

MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

AD NOVA ACTA ERUDITORUM
QUAE LIPSIAE PUBLICANTUR SUPPLEMENTE

BAND 5
LEIPZIG 1745

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ERLANGEN-NÜRNBERG ZUGRUNDE

SIGNATUR: LTG. IX,88.

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

QUÆ

LIPSIÆ PUBLICANTUR,

SUPPLEMENTA.

TOMUS V.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JO. FRID. GLEDITSCHIUM, & B. LANCKISII hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETUM, Pariſiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amſtelodami in WAESBERGIORUM & WETSTENII officinis.

LITERIS LANGENHEMIANIS,

MDCCXLV.

Lectoribus æquis Salutem!

Quæ ſit & Actorum, & *ad hæc* Supplementorum, *ratio, quo aut animo in hoc ſtudiorum genere a tot inde annis verſemur, aut ſucceſſu id a nobis actum ſit, quod eſſe noſtri muneris & inſtituti judicavimus, nemo eſt Lectorum, qui nunc doceri primum cupiat. Diu eſt, quod in literato hoc theatro perſonam agimus, & ex omni Europæ cultioris parte ſpectatores, ut numero multos, ita judicio acres, & ad æſtimanda hæc, quæ ludimus, inprimis aptos, habemus. Si qua igitur nos laude digni poſſumus videri, non eam a te nuper demum, ſed, quæ tua, Lector, eſt æquitas, ante annos complures, nobis eſſe decretam putamus. Itaque, tueri eam gloriam, & pro virili noſtra parte augere, hoc ipſum eſt, quod agendum nobis deinde intelligimus. Laborem, ſi non omnium, qui nobis imponi poſſunt, maximum, at nec exiguum, aut ducendum pro nihilo, ſuſtinemus. Nec, ſi quis hominum iniquiorum ſecus ſentiat, armis contra hunc, aut dictis aculeatis, ſed amico hoc monito, pugnabimus, ut rei, ſpecie tam levis & contemnendæ, ipſe faciat periculum, nec prius de omni hoc negotio judicandi licentiam ſumat, quam totam quaſi ejus formam habitumque ſenſibus perceperit. Certa nobis, ſi conſilium hoc ſequi voluerit, ſpes eſt, futurum, ut, quod aliena induſtria non potuit, nunc ei propria perſuadeat, ſentiatque ipſe ſuo aliquo incommodo, in re etiam tali, quæ imperitis leviſſima videri poteſt, ſtudium, ſi recte ac diligenter ſit perficienda, non mediocre conſumi. Primum, omnis generis libros, dignos, an indignos, ex remotiſſimis terrarum locis conquirere, & invitis ſæpe ac nolentibus, ne alienos ſe præbeant a Muſarum Lipſienſium commercio, perſuadere, res eſt, nobis credat Lector, nec moleſtia, nec difficultate, carens. Deinde, illorum, qualiocunque ſunt, lectione ac perveſtigatione diligenti non dies tantum, ſed menſes etiam, quin annos, integros conſumere, ſi quid ex altera parte vo-*

luptatis & oblectamenti, ex altera certe tantum tædii & incommodorum habet, ut, qui omne ſibi videt in his ſtudiis vitæ ſuæ tempus tranſigendum, is vere dici poſſit in piſtrinum, unde nullus ad libertatem detur reditus, detruſus. In ipſo autem, dicendi de his, quæ legimus, & ſententiam ferendi, munere verſantibus, multum falleris, ſi nulla opus eſſe arte, nullo acumine, nulla induſtria, exiſtimes, aut, fieri poſſe, putes, ut eandem hic tironis, quam veterani militis, armorum vim intelligamus. Exercitatione ea res, & ſtudio, &, ſi quid ſcimus, prudentia, continetur; nec mediocri modulo hæc ſingula adeſſe, ſed plena atque integra, oportet. Præterea, quantum his, quibus libere dicendi de alieni fœtibus ingenii commiſſæ partes ſunt, ab invidia, odiis, obtrectationibus aliorum, ſit periculi timendum, nemo fortaſſe melius dicere, quam nos ipſi, ſciat, ſi modo, hæc narrari, Lectori, parum iſtarum rerum curioſo, jucundum debeat putari. Nos, qui eam nobis olim legem ſcripſimus, ne privata commoda publicis præponeremus, jam demum conſtanti uſu, quæcunque comitantur hunc laborem, tædia, moleſtias, malevolorum murmura, non ſolum devorare fortiter, ſed, quo ſumus ſtomacho, etiam concoquere, didicimus; ad ferenda in poſterum, quam quæ tulimus, multo duriora parati, ſi quem dolor noſter aut tibi, Lector, aut ipſis literis, afferre fructum poſſit. Nimirum ita nos vivere in hac rerum univerſitate Deus juſſit, ut, quantum in nobis eſt, eorum, qui nobiſcum vivunt, commoda juvemus; quod ipſum ſi perfici a nobis jucunde & cum quadam voluptate poteſt, bene eſt, & in magno Deorum bono habendum; ſin aliter de nobis iidem illi Dii ſtatuerint, non ideo, deſerere hanc ſtationem, nobis fas putemus, ſed ita exiſtimemus, magnam eſſe, etiamſi labor noſter ſecum ferre aliquid acerbitatis videatur, in ipſa recte actorum conſcientia voluptatem poſitam, &, ſi parum nobis gratiæ de noſtro ſtudio ætas præſens habeat, certam tamen poſſe & conſtantem a poſteritate exſpectari.

* * *

AD
NOVA ACTA
ERUDITORUM,
Quæ Lipſiæ publicantur,
SUPPLEMENTA.
Tomi V Sectio I.

L' HISTOIRE ET LA VIE DE S. EPIPHANE, Archevêque de Salamine, &c.

id eſt,

HISTORIA ET VITA S. EPIPHANII, ARCHIEpiſcopi Salaminienſis, ac Eccleſiæ Doctoris, in qua apparet, quid maxime curioſum ac grave in Eccleſia inde ab anno 310 uſque ad annum 403 geſtum fuerit, una cum reſolutione Operum hujus Sancti, ejus adverſus Proteſtantes vindiciis, Notisque hiſtoricis ac criticis.

Pariſiis, impenſis Joannis Baptiſtæ La Mesle & Petri Franc. Giffart, 1738, 4.

Alph. 2 plag. 14.

Epiphanius nobis hic exhibetur longe alius, ac ille a Legendariis, a *Bollando*, *Bailleto*, aliisque viris doctis, ſolitus eſt repræſentari. Ejus initia referuntur hic ad ineuntem Seculi quarti fere ætatem. Parentibus perquam egenis fuit natus, Judaicæ religionis aſſectatoribus, ipſe in eadem educatus, nactusque patriam ſatis obſcuram, villam ſcilicet exiguam. Parentes nihil minus egerunt, quam ut literarum cum ſtudiis admoverent. Hæc Noſter explicatius teſtibusque

adjutus, tradidit, alias fere vel diſſimulata, vel ignorata. At facit cum eo *Sozomenus Hiſt. Eccl. VI, 32.* Contendit idem porro, *Epiphanium* ſeſe in Palæſtina rationibus vitæ cœnobialis conſecraſſe, ubi anno jam 330 mirum monaſteriorum numerum *Hilarion* habuit; ac deinde in Ægyptum tranſiiſſe. Laudat denuo teſtem eundem. Ivit *Epiphanius* in Ægyptum, non ut Alexandriæ ad ſtudia incumberet, ſed ut perfectiorem vitæ anachoreticæ contraheret conſuetudinem. Hæc Anonymus fidei veterum congruenter tradit. Confugit ipſe nonnunquam ad *Vitam Epiphanii antiquam*, vivo *Epiphanio* magna ex parte ſcriptam. Hanc alii ſubleſtæ fidei eſſe clamant. *Dupinius* addit & hoc, eam eſſe opus Metaphraſtæ. Noſter e contrario monet, *Dupinium* hic ſeſe fefelliſſe: Metaphraſtes enim vixit ſeculo X, Vitam vero hanc *Epiphanii* jam Seculo VII ineunte laudavit *Joannes Eleemoſynarius*. *Leo Sapiens*, Imperator, deſumſit inde elogia univerſa, quibus *Chryſoſtomum* excepit. Magna ejus pars in *Synaxarium* Imperatoris *Baſilii Porphyrogennetæ* translata fuit. Scriptores hi Metaphraſte ſunt omnino antiquiores. Autor Vitæ illius antiquæ ſtilo utitur conciſo ac ſimplicitatem ſpirante; Metaphraſtæ autem ſcriptura eſt diffuſa, periodis expolita, & Oratorem decente magis, quam eum, qui hiſtoriis conſcribendis operatur. Fabuloſi quid paſſim illam Vitam antiquiorem redolere, Noſter adeo haud inficiatur, ut id potius *Baronio* ac *Petavio* largiatur, ratus tamen, multa ei ineſſe, quæ Autorum, ætate æqualium, teſtimoniis congruant, ac fide ſint omnino digna. Autorem hiſtoriæ hujus licet divinando ſignificare. Ipſe enim in Præfatione fatetur *pag. 11*, ſeſe exſtitiſſe primum, qui Eccleſiæ Romanæ prodiderit errores *Curayeri*, (quantum ad Ordinationem Epiſcoporum Angliæ attinet,) eosque ſuſceperit refellendos. Unde intelligere licet, *Jacobum Gervaſium*, qui Hiſtoriam *Sugerii*, nec non *Abelardi & Heloiſſæ*, ſcripſit, *Epiphanii* vitam adornaſſe. Nec ipſe deſiſtit *Curayero* inſultare. Loco enim excitato exiſtimat, hunc veſtigia hæreticorum premere, ac ejus fugam ad Britannos, orbe diviſos, degeneraſſe in defectionem ac manifeſtiſſimam adverſus Eccleſiæ Romanæ conſulta rebellionem. Notat Præfatio-

nis

nis conditor deinde interpretationem, qua *Curayerus* P. *Sarpii* Hiſtoriam Concilii Tridentini in Gallicum convertit. Nec molliter de annotationibus, a *Curayero* ad *Sarpium* adjectis, ſentit. De *Curayero* & Opere illo ſic judicat: *Opus monſtroſum, diſcipulo* Lutheri *dignum, qui illum pudore deberet ſuffundere, eo quod minime adhuc ſalutis ſuæ fuit ſtudioſus. Cæcitas ipſius eo procedit, ut ne quidem animadvertat doctrinarum pugnam, ac repugnantiam, quæ in ipſius libro dominatur; nec ſentiat, ſe nulli addictum eſſe religioni, dum omnibus favet, niſi forte Deiſtarum religioni ſtudet. Huc collineant magni ipſius labores.* Addit adverſarius *Curayeri*, hunc peccare, dum Anglicano Reformatorum cœtui nomen Eccleſiæ, ſibique nomen Pontificii hominis, & Canonici regularis ad S. *Genevievæ*, tribuat; Eccleſiæ enim Pag. 75.
Anglicanæ deeſſe tum ſacerdotium, tum ſacrificium; a collegio Canonicorum S. *Genevievæ Curayerum* A. 1728, 30 Jan. eſſe publice ejectum, dirisque devotum. Omittimus reliqua. Ex adjuncto Abbatis *Richardi* ſuffragio ac approbationis indicio ad A. 1720 perſpicitur, vitæ *Epiphanii* Autorem exſtitiſſe Abbatem, qui ſeſe in receſſum abdiderit. *Gervaſius* certe ex Monacho Carmelitano Abbas factus eſt Trappenſis, ac poſthæc diverrit in ſolitudinem, ne contumelias, Anglis impactas, lueret. Miramur intemperiem animi, qua Autor in *Curayerum* æſtuat & inſurgit. *Capitibus quatuor* tractatio conſtat univerſa. *Primo* recenſetur vita *Epiphanii* inde a vitæ exordio uſque ad primordia ſacerdotii ſuſcepti. *Secundo* exponitur ejus ad Epiſcopatum Salaminenſem acceſſus ac argumentum Ancorati. *Tertio panarium* enucleatur. *Quarto* ſignificatur ejus iter ad *Apollinarem* errori eximendum, colloquium, cum *Vitali, Apollinaris* diſcipulo, inſtitutum, origo ſchiſmatis, a *Lucifero* Calaritano per imprudentiam ampliati. Adjunguntur ejus ad Concilia profectiones, inprimis Romanum, colloquia ejus, Salamine cum S. *Hieronymo* & S. *Paula* habita. Exponitur origo controverſiarum, quæ *Joannem Hieroſolymitanum* inter & *Epiphanium* interceſſerunt. Hic disjecit imaginem Jeſu Chriſti. Contendit 327.
Autor, actionem hanc Iconoclaſtis haud favere. Explanantur ejus lites cum *Joanne Hieroſolymitano*, quas ordinatio *Paulini*

niani exaſperavit. S. *Epiphanius* inviſit *Paulam* ægrotantem ac
Pag. 337. Salamine infeſtatur redux. *Hieronymus Epiphanii* inviti in Latinum convertit Epiſtolam, ac ſcribit pro eo contra *Joannem*, de quo fecimus mentionem. Patriarcha Alexandrinus venit Hieroſolymam ad hanc litem ſedandam. *Theophilus* ſententiam
354. mutat, & *Origeniſtis* adverſatur. Ipſe reconciliat pacem cum *Epiphanio*, ejusque partes ſuſcipit defendendas. Solitarii, ſeu Ana-
375. choretæ, infeſtantur, ac Conſtantinopolin diſcedunt, ubi a *Joanne Chryſoſtomo* recipiuntur. *Theophilus* ad *Epiphanium* dat literas, ut *Chryſoſtomo* eum reddat infeſtum. Anachoretæ querelam ſuam ad Imperatricem deferunt. *Theophilus* in baſilicam Imperatoris citatur ad rationem actionum ſuarum reddendam. Accuſa-
380. tores continent ſeſe in carcere uſque ad ejus adventum. *Epiphanius* adverſus *Origeniſtas* Synodum cogit. Alexandriæ agitatur Synodus eandem ob cauſam. *Theophilus* ire Conſtantinopolin feſtinat, ejusque iter occupare *Epiphanius* ſtudet. *Epiphanius* Conſtantinopolin appellit. Ordinationem ibi peragit quandam haud ſatis cano-
386. nicam, ac recuſat uti hoſpitio, quod *Chryſoſtomus* obtulerat. Fratres magni adjudicantur morti in foro eorum, qui eccleſiaſticam
389. haud agebant vitam. *Epiphanius* cum S. *Olympiade* init com-
390. mercia, ut eam cum *Chryſoſtomo* in pacem & concordiam reſtituat; incurrit in odia Imperatricis; cum fratribus magnis conferre conſilia ad ſalutem recuſat; tandem illa init, falſus, ſeſe fuiſſe præoccupatum contra eos atque *Chryſoſtomum*; re-
396. verſurus in patriam, diem obit ſupremum in itinere. Addit hiſce Autor luctum, quo Diœceſios Salaminienſis homines *Epi-*
400. *phanium* fuere proſecuti; honorem, quo poſt exceſſum fuerit ornatus, ſubjungit; miracula ejus recenſet; opera ejus, quorum ætas eſt incerta, illuſtrat. Exhibet catalogum errorum, qui *Epiphanio* tribui ſolent. Refellere & diluere conatur erro-
405. rum ejusmodi dicam. Subtexit Apologiam, calumniis hæreticorum, id eſt, *Sculteti*, oppoſitam. Hæc eſt Operis ſumma, hoc eſt argumentum. Index diligenter adornatus coronidem Operi imponit. Operæ pretium fuerit, addere nonnulla me-
23. moratu digniora. *Epiphanio* linguam Syriacam fuiſſe vernaculam, Ven. Autor exiſtimat. *Epiphanius* apud *Hieronymum Ep. 60*,

ſeſe

ſeſe aquam Euphratis bibiſſe, ſignificat. Hinc colligit Noſter, ipſum peregre abiiſſe aliquando in Arabiam vel Armeniam. In Caria tradit *Epiphanius* ſeſe bibiſſe ex fonte urbis Cibyræ, cujus aqua ſeſe mutet in vinum hora eadem, qua Chriſtus idem miraculum effectui dederit Canæ, *Hær. 51 Cap. 30.* Poſterius ſancte credimus; prius vero ſuffragio haud dignari lubet. Quantopere doctrina Arianorum evaſerit per orbem Romanum univerſalis, *Conſtantino Magno* defuncto, Autor ita exponit: *Nemo ſuſtinebat amplius publice refellere, vel damnare, Arium, ejusque doctrinam, niſi qui ſeſe exponere mallet graviſſimo oneri autoritatis imperialis, & anathematibus eccleſiæ, tunc triumphantis.* Unde conſequitur, characteres, quos Pontificii tribuunt Eccleſiæ catholicæ, tum Arianis fuiſſe proprios. *Euſebium* Nicomedienſem Ven. Autor Arianis adjungit, qui orthodoxos inſectarunt. Nec monere omittit, fœminas aulicas Arianis quam maxime pollicem preſſiſſe, ac *Athanaſium* horruiſſe. Perſecutionem, quam Conſubſtantialiſtis *Conſtantius* intulit, ipſe graphice exponit. *Marcellus*, Ancyræ Epiſcopus, orthodoxusne, an Arianiſmi fautor, exſtiterit, determinare non audet. *Photinum* certe, Diaconum ſuum, & Photinianiſmi autorem, *Marcellus* publica dehortatione a veneno erroris haud deterruit. *Epiphanius Hær. 72, Athanaſii* exemplo, *Marcellum* hæreſeos accuſare veretur. Ipſe autem Autor, *Marcellum* ab hominibus ætatis noſtræ pro orthodoxo habendum eſſe, exiſtimat. Hiſtoriam *Epiphanii* de *Joſepho* comite, qui, Jeſum Chriſtum exſtitiſſe Meſſiam, ſibi perſuaſerat, nec tamen doctrinam Chriſtianam profitebatur, ſed potius in Judaiſmo perſiſtebat, Autor conatur ab aliorum objectionibus vindicare. Archonticos, ſpeciem Gnoſticorum, creationem mundi principiis diverſis tribuentes, accurate deſcribit. Candide fatetur Autor, *Epiphanium* ſpecie honoris eccleſiæ ac gloriæ Dei nonnunquam ad avia fuiſſe abductum, e. g. in lite adverſus Origeniſtas, contra *Meletium* & *Chryſoſtomum.* Non poſſumus, quin hanc Ven. Abbatis probitatem laudemus. Ipſe originem vitæ cœnobiticæ, per Occidentem approbari cœptæ, ſollicite expiſcatur & exponit. *Epiphanius* ſubjun-

Pag. 24. 25. 29. 33. 37. 48. 51. 64. 76. 81. 97.

ſubjunxit Ancorato Symbolum fidei Nicænæ. At recentior manus ibi ſubſtituit Conſtantinopolitanum. Spiritum ſanctum a patre filioque procedere, inibi *Cap. 7 & 8* jam docuit *Epiphanius.*

Pag. 141. Hæc & complura alia Autor Ven. erudite & venuſte ediſſeruit, hiſtoriam Seculi IV eccleſiaſticam ubique illuminans. Quæ inſtar Apologiæ pro *Epiphanio* adverſus Proteſtantes expoſuit, ea, ſi otium nobis ſuppetat, alio tempore ſub incudem & examen revocabimus.

TRAITE' DE LA VERITABLE RELIGION, &c.

hoc eſt,

TRACTATIO DE VERA RELIGIONE ADVERſus Atheos, Deiſtas, ſimulacrorum cultores, Judæos, Muhammedanos, & univerſum religionis falſæ genus.

Tomi V.

Pariſiis, opera Hippolyti Ludovici Guerini, 1737, 8.

Alph. 8 plag. 1.

Habes hic, Lector, denuo appoſitas dapes, quibus veritas religionis Chriſtianæ, ejusque Pontificiæ, exhibetur. Varia hoc Opere, in Diſſertationes partito, pertractantur, & quæ haud ſigillatim in exponendo ejusmodi argumento proponi ſolent. *Diſſertatione I* de Atheiſmo, ſpeciebus ejus diverſis, &

Tom. I pag. 9. momentis annexis, agitur. Largitur Autor & contendit, dari atheos theoreticos, negative tales, ac ob convictionem erroris ſui tranquillos. *Diſſertatione ſecunda* diſſerit de atheiſmi originibus, ac ejus remediis. Dari atheiſmum theoreticum poſitivum, haud negat, ex erroribus, educationi ac inſtructioni

15. 20. & ſtudiorum tumultuariæ tractationi tribuendis, exortum. Præſidia & fontes hujus atheiſmi porro quærit in obſcuritate mentis involuntaria, negligentia ad rejiciendam meliorem inſtitutionem proclivi, & moribus depravatis. Judicio noſtro hæc atheiſmi theoretici poſitivi imago ſpectat ad atheiſmum theore-

theoreticum negativum. *Positivus* enim est ille, si quis argumentis genuinis, dextreque institutis, didicit, Deum nec dari, nec dari posse. Si darentur argumenta ejusmodi, positivus atheismus suo niteretur fundamento, nec culpa notandus esset. At id, quod inde consequitur & emanat, inficiantur & horrent merito omnes Philosophi ac Christiani. Athei soli, ad tempus obbrutescentes, illud admittent & suffragio dignabuntur. Unde fit perspicuum & evidens, atheismum theoreticum positivum esse contradictione plenum. Persuasiones vanæ & mentitæ conclusiones ad ratiocinationes monstrosas & fallaces sunt referendæ, & atheismi theoretici negativi colluviem constituunt. Autor deinde invitamenta & escam rationum, quibus atheismus producitur, expendit. In hunc censum vocat credulitatem, morum corruptelam, utilitatem præposteram, divisionem naturæ divinæ falsam, & argumentorum pro stabilienda unius Dei doctrina infirmitatem. Refellit ipse merito eos, qui Pag. 35.
sibi persuadent, atheismum desideriis hominum esse accommodatum, ac, theismum desiderio hominis infinito respondere, ostendit. Emolumenta & fructus sententiæ utriusque inter sese 43.
confert, ac, theismum utilitatibus fructuque esse ditissimum, atheismum vero inopem & vacuum eisdem, demonstrat. *Dissertatione tertia. Dissertatione quarta* exponit dogmata atheismi, methodos diversas ad eum diruendum & evertendum excogitatas, & methodorum ejusmodi examen. Inprimis solide docet, atheismum falsum esse & absurdum. De natura plastica disserit, argumenta, quæ videntur atheismo favere, recenset atque refellit. *Dissertatione quinta* atheismum porro refutat, & argumenta promit, quæ, Deum existere, creatorem omnium rerum, docent. Rationes ipse suas sic subducit. Aliquid hodie existit. Id itaque vel ex nihilo, id est, sine causa, vel ex semet suasque per vires, vel per causam externam, cœpit existere, vel a sese existit, id est, necessario & æternum existit. Primum illud locum nequit invenire. Quis enim affirmabit, id, quod non existit, seu nihilum, viribus esse instructum, & operari posse? In casu secundo inest vera contradictio. In casu tertio aut progressus in infinitum ponendus, aut acquiescendum

53.

62.

66.

73.

ſcendum eſt in ente aliquo ſempiterno, ſuisque viribus vivente. Progreſſus ille eſt abſurdus, & contradictione ſqualet, ſive cauſas continuo novas, ſive cauſas circulares, in ſubſidium voces. Hoc vero diſtinctius erat evolvendum. Ut dicamus, quod res eſt, ponitur in hac ratiocinatione, non evincitur, mundum eſſe creatum & contingentem. At neutrum ab Autore evidenter fuit evictum. Quid? ſi atheus, mundum eſſe æternum, contenderit? Contingentiam mundi eſſe curate demonſtrandam, quis inficiabitur? Hac extra dubitationem collocata, nihil effu-
Pag. 76. gii ſupereſt atheo amplius. Senſit hoc Autor ipſe; quare ratiocinationem, atheo opponendam, ſic inſtruit: Si omnia entia, quæ hodie exiſtunt, ſunt creata & contingentia, nullum ipſo-
77. rum eſt nec neceſſarium, nec increatum. Atqui res, quæ conſtituunt mundum, ſunt contingentia. Ergo, exiſtat aliquid per ſeſe æternum, neceſſe eſt, cujus vi mundus ſit productus. Mallemus, id, quod contingens eſt, ab eo, quod eſt creatum, in demonſtratione fuiſſet ſeparatum. Si enim ex contingentia mundi oſtenderis, Deum exiſtere, tum demum oſtendere licebit, mundum a Deo eſſe creatum. *Spinoza* enim aliquis, qui, mundum per cauſam immanentem ſemper exſtitiſſe per neceſſitatem internam & immutabilem, ſomniat, ridet omnino, ſi, in exordio demonſtrationis de re creata diſſeri, cognoſcit. Monet Autor ſolide, exiſtentiam Dei æternam a nobis quidem comprehendi haud poſſe, cognitu tamen eſſe facilem, nec ob ignorationem modi, quo res exiſtit, negandum eſſe, rem ipſam
79. exiſtere. Exempli loco addit, materiem mundi in infinitum eſſe dividuam, licet modus infinitæ diviſionis animo formari haud poſſit. Nobis vero liceat monere, diviſionem illam involvere contradictiones haud unas, & fœcundam eſſe progreſſu cauſæ materialis, re vera exiſtentis, in infinitum, quem atheus pro prora & puppi ſomniorum ſuorum amplectitur. Si una manu demamus atheo ſubterfugia & latebras, altera vero ei robur argumenti, quod anxie circumſpicit, largiamur; non poſſumus non in labefactando atheiſmo deſtinationem fruſtrari.
81. Pergit Autor, oſtendens, mundum adſpectabilem haud eſſe illud ens neceſſarium atque ſempiternum, rationem interſerens,

ilium

illum esse contingentem tum respectu formæ, tum ratione materiæ. Absurdum sane est, esse sua vi sempiternum, simulque esse contingentem. Alia autem instat quæstio, an mundus contingens per Deum potuerit esse æternus. *Cœpisse* & *æternus existitisse* sibi mutuo repugnant. Quare illa Scholasticorum æternitas mundi contingens & hypothetica per sese corruit, ac explodenda est. *Abbadie* quidem novitatem mundi ausus fuit demonstrare ex artium, scientiarum, legum, imperiorum, commercii, & historiarum, originibus & incrementis haud adeo antiquis; sed ad terram hæc spectant, ejusque præsentem indolem. Mundum omnem reliquum ideo esse haud adeo antiquum, athei negant, causati, vicissitudines corporum coelestium dari, & hæc subinde novam induere indolem. Opponenda sunt atheis argumenta robusta, convincendi vim spirantia, nervis artubusque prædita. Reliqua, quibus deest in eo certamine vis ac acies, sunt aliis usibus seponenda. In hunc centum referimus illud, quod ab origine generis humani haud adeo antiqua desumsit Autor. Negatur omnino, dari generis humani progressum in infinitum, siquidem mundus est contingens, ac partes ejus singulæ sunt contingentes. Quam ob causam genus quoque humanum est contingens, ac aliquando cœpit. At quid opus est, ostendere; singulis mundi partibus deesse progressum durationis in infinitum? Simul atque atheus contingentiam mundi, & principium rationis sufficientis, admittit, atheismus ejus est expugnatus. Miramur omnino, dari viros doctos, qui hoc principium conculcant & rodunt, simulque tamen eo utuntur, ut ostendant, dari rationem sufficientem, cur mundus hic contingens existat, eamque in Deo terminari. Si re ipsa id admittere nolunt, tum largiuntur, dari mundum posse contingentem, licet haud existat ejus creator; quæ opinio est utique omni atheismo absurdior. Autori placuit fundamenti loco ponere hanc propositionem: *Quicquid existit, id existit per causam vel internam, vel externam.* 90. Simul ac vero eam ad Deum transtuleris, affirmandum erit, existere aliquid posse per causam internam, id est, posse a se & per se esse productum.

Id vero rurſum fertile & plenum eſt contradictione. Qui enim eſt cauſa ſui interna, is jam exſtitit, antequam exiſtere cœpit. Sin putes, exiſtere per cauſam internam eſſe idem ac vi ſua exiſtere, tum vocula *cauſæ* abuteris. Cauſæ enim reſpondet effectus, ſi quid per eam exiſtit. Principio rationis ſufficientis hic eſſe opus, nemo videt unus, licet id quoque verum ſit: *Dum fugiunt homines errorem ex odio in homines ſecus ſentientes concepto, facile in contrarium currunt.* Quid de reliquo Autoris apparatu ſit ſentiendum, facile pateſcit. Deeſt paſſim tractationi methodus demonſtrandi ſatis rigida, ſatisque accurata. Admittuntur hinc inde ea in veritatum ſeriem, quæ, non niſi addita limitatione, eo erant trahenda. Poterant multa ſeponi, ordo poterat ſcopo accommodatius inſtrui, vox *eccleſiæ* poterat diſtinctius enodari. Deſideravimus quoque paſſim teſtimoniorum hiſtoricorum fidem. Nec tamen inficiamur, pleraque eſſe prorſus inſignia, rationem tractandi venuſtati & elegantiæ eſſe affinem, & argumenta exponi pulcherrima. Dabimus lectori ſumma univerſæ tractationis capita, ut oculata fide diſcat, quantum Autor decurrerit ſtadium, & quid ab ipſo ſit ex-
Pag. 101. ſpectandum. Ipſe, materiam, id eſt, corpora, per vires motrices ac reſiſtentes cogitationibus inſtrui poſſe, argumentis it comprobatum. Idem hoc utitur dilemmate: Si materiatum cogitare poteſt, facultas illa ipſi inhæret vel ex virtutibus inſitis, eisque aut cognitis, aut incognitis, vel ex potentia Dei infinita. Negat vero utrumque, ac inde conficit, materiem cogitandi capacem haud eſſe. Quis enim affirmare ſuſtinebit, ex ſoliditate, figura, diviſibilitate, motu, & quiete, cogitationem exponi poſſe? Mechanica phænomena & regulæ coſmologicæ hic
106. utramque faciunt paginam. Motus enim fit, Autoris judicio, a cauſa materiali externa, quæ rurſus ab alia, & hæc ab alia, moveatur, &, ſecundum ſyſtema atheorum, ſic in infinitum. Ad motum inteſtinum & vim, quæ corporibus ineſt nativa, haud reſpexit Autor. Quid? ſi atheus objecerit, cogitandi facultatem inniti motui corporum inteſtino perfectiori? Suffecerit oſtendiſſe, motum quemcunque corporeum effectibus eſſe fœcundum,

cundum, qui cogitationum indoli prorſus repugnant. Objectiones atheorum ſunt variæ. Suſpicantur ipſi, notionem de Deo haud dari, eamque eſſe incomprehenſibilem, creationem eſſe ad ἀδύνατα referendam, nihil eſſe materia prius, motorem primum haud dari, ſtultitiam & ordinis defectum ubique in mundo exſtare, caſibus fortuitis principium ordinis, in mundo obvii, tribui poſſe. His objectionibus occurrit ac medetur Noſter. *Diſſertatio ſexta* exponit de natura ſubſtantiæ ſupremæ, ac diverſis ejus virtutibus, falſus tamen, lucem tenebris hic in mente noſtra miſceri. Præcipue dat operam, ut diſtincte doceat, Deum e variis diverſisque corporibus vel anima haud eſſe conflatum, nec eſſe mundum. Portenta *Spinozæ* ſolide evertit. Oſtendit contra, Deum eſſe ſubſtantiam mere ſpiritualem, eamque unicam. Objectiones, huic pronuntiato opponi ſolitas, ſollicite enervat, inprimis ſpatium illud extenſum, individuum, immobile, penetrabile, æternum, neceſſarium, & infinitum, quod aliqui finxerunt, rati, vel illud eſſe Deum, vel certe organon Dei ſenſorium. Elaborat hinc Autor, ut æternitatem Dei ſtabiliat. Diſſerit deinde de æternitate ſucceſſiva & non-ſucceſſiva in utramque partem, ac negat, definiri poſſe, utra harum Deo ſit tribuenda. At vero eſſentia & vis Dei eſt 1) immutabilis & 2) ab omni ſucceſſione inteſtina libera. Is, in cujus intellectu & voluntate eſt aliquid ſucceſſionis, addiſcit aliquid, & novas expetendi vel averſandi rationes indipiſcitur aſſumitque, eamque ob cauſam mutabili eſſentia & vi eſt præditus. Hoc vero repugnat ſimpliciſſimæ Dei eſſentiæ, ejusque neceſſitati exiſtendi & eſſendi abſolutæ, immo ipſis ſacris literis. Deus mutabilis eſt non Deus. Quis tuto confidere poteſt ei, qui aliquid addiſcere & oblivi-ſci poteſt? Socinianorum ſuffragio gaudet æternitas Dei, ſucceſſionibus fœta internis, Succeſſionem in operibus divinis dari, haud negamus; ipſam vero in ipſa ejus eſſentia, vi, & attributis, locum habere, pernegamus. Perſequitur Autor præterea doctrinam de reliquis Dei virtutibus, ac in objectionibus ſolvendis ac removendis ſeſe præbet diligentiſſimum. Infinitatem Dei exponit per perfectionum omnium cogitabilium poſ-

Pag. 183. 189. 197. 224. 239. 281.

ſeſſionem, quarum una haud excludit aliam. Objectiones *Hollmannianæ* hic in cenſum veniunt, quæ ante biennium ex-
Pag. 261. ortæ demum fuerunt. Propoſitio iſthæc eſt ſingularis: *Deus in decretis liberis omnino eſt immutabilis*, ſi cum hac conjungatur *pag. 304: Quacunque neceſſitas, ſive interna, ſive externa, de-*
303. *ſtruit libertatem.* Libertatem tradit eſſe facultatem faciendi vel omittendi rem, prouti mens judicat, actionem eſſe convenientem, vel minus. Addit ipſe: *Omnis actio voluntaria non eſt libera.* Meminit beatitudinis, quam appetamus voluntarie, nec tamen libere. At Deus convenientiſſimum quodque non poteſt non appetere, judice eodem, & id voluntario appetit. Quid ergo? Libertatem Autor Deo verbis tribuit, re ipſa ad-
305. imit, voluntarium tamen Deo relinquit. Tandem vero ipſe ſic ſeſe expedit, ut tradat, actiones Dei internas haud eſſe liberas, externas gaudere libertate, e. g. creationem. At, ſi recordemur, actiones Dei externas niti actibus ejus volendi & intelligendi internis, actiones etiam Dei externæ pro ratione complexus ſententiarum erunt minus liberæ. Nec tamen dubitamus, ipſum dubitationibus hiſce noſtris diſſolvendis ſatis eſſe parem. Quis enim contendit, Deum unica tantum ratione aliquid efficere poſſe? Quis credet, ipſum extrinſecus agere per neceſſitatem uniformem & mechanicam? Agit is itaque citra coactionem alterius, ex viribus internis, ac appetendo ſemper optimum, idque ex vero tale. In regenitis & beatis imago ejus exſplendeſcit. Servi cupiditatum abnormium agunt impulſi & coacti ad malum, viribus boni, quod Deo probatur, deſtituti, appetuntque ea ſub ſpecie boni quæ ſunt exitioſa. Hanc notionem libertatis ſequitur ipſe Deus in ſacris literis. Fruſtra ſunt, qui Deum libertate orbare ſuſtinent, eo quod non nisi convenientiſſimum & optimum expetit, & id, quod ei oppoſitum, averſatur. Si is ita eſſet comparatus, ut viribus præterea nullis eſſet inſtructus, tum dici ſane poſſet carere libertate.

321. Omnipotentiam, ſcientiam, præſcientiam, ad contingentia quoque futura moralia patentem, veracitatem, & providentiam
345. Dei, Autor confirmat, & ab objectionibus vindicat. Sunt, qui arbitran-

arbitrantur, ſubſtantias creatas ſua vi, ſemel inſita, ſubſiſtere. Hos quoque horret & merito refellit. *Diſſertatione ſeptima* inquirit, utrum atheiſmus, an ſuperſtitio, ſit pejor. *Baylii* ar- Pag. 389.
gumenta hic convellere & revincere ſtudet Autor. *Diſſertatione octava* examinat argumenta, quæ paſſim ad comprobandam Dei exiſtentiam adhibentur. Argumentum, a conſenſu
gentium peti ſolitum, pronuntiat minus eſſe ſolidum. Id, quod 406.
a conſcientia deſumitur, vi nulla excellere, credit. Illud, quod a periculo atheiſmi arceſſitur, minus eſſe ſolidum, decernit. Argumentum, a poſſibilitate entis ſupremi deſumtum, 419.
victoriæ plenum exiſtimat. Illud enim neceſſario exiſtit, ac, ſi poteſt exiſtere, re vera exiſtit. Id, quod ab idea infiniti 433.
depromitur, diſcutit, ac, validum firmumque eſſe, pronuntiat. 435.

Tomus ſecundus expendit Deiſmum, & Theologiam naturalem Tom. II.
exponit. *Diſſertatio prima* occupata eſt in diſtinguendo bono ac malo morali. *Hobbeſii* opinionem, qui, boni notionem ab opinione & arbitrio pendere, credidit, repudiat. Moralitatem ſtatuit internam, bonique ac mali ideam inniti naturæ rerum, non legibus mutabilibus arbitrioque conformibus, oſtendit. Moralitatem illam ordinis ratione eſſe priorem legibus po- pag. 9.
ſitivis divinis, docet. Perill. *Wolfii*, *Leibnitii*, *Grotii*, ac *Puffendorfii*, poſterioris ac ſeſe emendantis, eadem eſt vox, eadem ſententia. Differre re ipſa mali bonique ideam & ſenſionem, ex remorſibus angoribusque conſcientiæ evincit. Quæ 15.
hiſce pronuntiatis opponi ſolent, ita enodantur ab Autore, ut dubitationis ſuperſit nihil. *Diſſertatio ſecunda* verſatur in obligatione faciendi bene, & fugiendi prava. Obligationem hanc oſtendit eſſe ſuperſtructam naturæ rerum, voluntati ſpiritus ſu- 29.
premi, & indoli ſocietatum, quibus homines nomina dederunt. Hinc oſtendit, quid ſit virtus, quid ſit peccatum. *Diſ-* 32.
ſertatio tertia exponit præmia, virtutibus juncta, & pœnas, peccatis debitas. Monet, dari compenſationem hac vita poſteriorem & excellentiorem, ſiquidem in præſens virtutibus ſæpe haud ſit præmium, nec vitiis ſua pœna. Vitam dari hac 39.
vita ſeriorem, exinde etiam colligit, quod mundus haud ſit ita conformatus, ut in terra liceat frui tranquillitate & beatitudine. 41.

Deiſtæ, qui, vitam futuram dari, negant, in hujus vitæ variis retributionum generibus quomodo acquieſcere poſſint, difficile eſt divinatu. *Diſſertatio quarta* ediſſerit æternitatem pœna-
Pag. 47. rum ac præmiorum. Autor bene monet, perpetuitatem pœnarum infernalium e lumine rationis haud innoteſcere, ac Deiſtas eam repudiare, licet, vacuitatem beatitudinis in impios redundare, haud inficientur iidem. *Diſſertatio quinta* vindicat doctrinam de mentis immortalitate. Animam eſſe a corpore diverſam, oſtendit, objectionesque, in contrarium obortas, profligat. Harmoniam ſeu commercium animæ corporisque in my-
76. ſterii, impervii nobis, loco deputat, arbitrioque Dei illud transſcribit, ſiquidem anima & corpus eſſentiæ ratione & toto cœlo diſcrepant. Commercium illud ſitum eſſe exiſtimat in diverſis-
81. ſimarum operationum mutua communicatione. Immortalitatem animæ tribuit internam, immo externam ratione corporum ac ſpirituum creatorum, non vero reſpectu omnipotentiæ divinæ. Oſtendit deinde, Deum potuiſſe ac voluiſſe animæ im-
87. pertiri durationem haud deſituram. Deiſtas ſimul refellit, hiſce oblatrantes. *Diſſertatio ſexta* dicata eſt demonſtrandæ libertati humanæ, objectionesque, ex oppoſito obvias, revincit. *Diſ-*
145. *ſertatio ſeptima* eſſentiam & indolem religionis naturalis expendit atque repræſentat. Cultum Dei internum & externum Autor exhibet deſcriptum, Deumque eo indigere, negat. Ob-
149. ligatos eſſe homines ad cultum Dei, ſolide demonſtrat, ſiquidem is Deo gratus eſt, hominem quippe emendans & perficiens. Exercitia cultus externi eſſe indifferentia, putat, quæ
156. pudorem & modeſtiam haud violant, ac, ea eſſe expedienda, quæ a miniſtris religionis ſint præſcripta, contendit. Liceat monere, cultum externum Dei, interno conformem, pietatem & devotionem confirmare ac augere; actiones nullas eſſe per ſe ſe indifferentes, obſtante moralitate interna; ac cultum externum ejusque exercitia poſſe exiſtere, licet haud exiſtant miniſtri v. c. antiſtites religionis. An enim dici poteſt, hominem, in ſolitudine verſantem, a cultu Dei publico eſſe immunem? Negavit tamen Autor, cultum Dei eſſe inventum hominis ex omni parte. *Diſſertatio octava* docet, minus ſufficere beatitudini obti-

obtinendæ Theologiam naturalem, ideoque neceſſariam & utilem eſſe revelatam. Deiſtæ hic in omnia alia eunt, quos amice exhortatur, definiens luminis, rationis quod vocant, fines & cancellos. Ut oſtendat, dari religionem divinitus patefactam, provocat ad imperfectionem mentis humanæ, ad Philoſophorum aberrationes & contradictiones mutuas, ad conſenſionem generis humani, vel potius eorum, qui ſacra inſtituerunt, & ad ſapientiam Dei. Mirum ſane, cur, adminiculum tranquillitatis homini dari debuiſſe, omittat diſtincte docere. Sunt, qui credunt, Theologiam naturalem ſufficere homini, ac deſiderium Deo placendi facere in hoc momento paginam utramque. Hoſce meliora docere elaborat. *Pars* nunc *tertia* procedit, conſecrata demonſtrationi, qua docetur, exiſtere ac dari religionem divinitus detectam. *Diſſertatio prima* præmittit notas ejus, tum reſpectu ipſius per ſeſe conſideratæ, tum ratione dogmatum ejus, tum reſpectu promulgationis ac eorum, qui ipſam tradunt. Deiſtarum argumenta, quibus hi Scripturarios oppugnant, recenſet Autor, & ad ea reſpondet. Facinus *Judithæ* laudari, negat, ratus, celebrari duntaxat ejus conſtantiam & fortitudinem, non vero cædem *Holoferni* illatam. At, quam infirma hæc ſit reſponſio, nemo unus animadvertit. In libro *Judithæ* facinus ipſum celebrari, quis non videt? Proteſtantes, id eſſe confictum, & librum a Judæis & Eccleſia Chriſtiana antiquiſſima pro divinitus inſpirato haud reputatum eſſe, facile comprobant. Contradictiones dari Autor in ſacris literis, quæ tales apparent, largitur; genuinas inibi exſtare, negat. An autem, ſi ſequamur Vulgatam, liceat id diſtincte comprobare, alia eſt quæſtio. Subjungit hæc Autor: *Revelatio eſt clara, quantum attinet ad ſubſtantiam dogmatum fidei & vitæ debitum in modum tranſigendæ, reſpectu eorum omnium, qui eam legunt citra opiniones præjudicatas.* Notas revelationis conſtituit haſce primi generis: 1) perſpicuitatem, 2) promulgationem, miraculis ſtabilitam, 3) prophetiam & miraculorum ſplendorem. Deſiderant Deiſtæ promulgationis univerſalitatem reſpectu temporum ac locorum, nec non promulgationis evidentiam quam maximam. Reſpondet Autor, Theologiam naturalem, quam

Pag. 164. 167. 189. P. III. Pag. 215. 216. 221.

Deiſtæ

Deiſtæ amplectuntur, carere promulgationis eadem univerſa-
Pag. 225. litate & evidentia, ac nihilo minus eſſe veram; Dei gratiæ modum haud eſſe præſcribendum; donum eſſe donum, licet univerſalis illa & evidentiſſima declaratio haud accedat; con-
229. ſilia Dei eſſe hominibus impervia; religionem, Judæis traditam, promulgatam & firmatam eſſe miraculis bene multis; religionem, Judæis ac Chriſtianis traditam, excellere evidentia exoptanda, ſenſuum ſcilicet & teſtium, illam Patriarchis, *Moſi*, Prophetis, ac Apoſtolis, patuiſſe, hanc reliquis patere. Notas
234. tertii generis haſce expromit: 1) miraculorum effectionem ad confirmandam miſſionem divinam, *Jud. VI & VII*, 2) prædictionis eventum non niſi divinitus cognitum, 3) vim miracula patrandi, humilitatem legatorum, eorumque a lucro vel honore captando averſionem. Notas ſecundi generis haſce definit: 1) veritatem doctrinæ theologicæ & moralis naturaliter cognitæ, 2) ejus ſupplementum, beatitudini ſempiternæ conſequendæ conformatum. Veri Prophetæ has conſtituit notas: 1) mores bene conformatos, 2) enuntiationem ſalubris doctrinæ, 3) prædictionem futurorum eventuum, lumini rationis impervio-
rum. Hæc *Diſſertatio prima* complectitur. *Diſſertatio ſecunda* agit de Prophetia generatim. *Diſſertatio tertia* exponit de miraculis generatim, ac Autor tum *Sam. Clarkii*, tum *Hutte-villii*, definitionem, de miraculo ſuppeditatam, repudiat. Deinceps, miracula fieri poſſe, docet; eveniſſe, oſtendit; ac tandem, Deum eorum eſſe autorem, docet. Id vero nec ſummus Eccleſiæ Romanæ Pontifex, nec Theologi alii, largiuntur,
319. quod largitur & profitetur præterea, nempe vim & potentiam miracula edendi a Deo dari poſſe diabolo ac ſpiritibus malignis. Omnipotentiam certe, per quam eduntur miracula primi generis, cum diabolo communicari poſſe, negamus. Ad preces vero dæmonum malignorum a Deo edi miracula, idem eſt, ac Deum ſapientiſſimos monarchiæ ſuæ fines negligere. Num quid enim malitioſi genii regnum Dei amplificabunt, vel confirmare
343. enitentur? Tum Autor recenſet notas, quæ intercedunt naturale inter & ſupernaturale. Arbitratur, ex doctrina legati eſſe colligendum, miraculum, ei adjectum, utrum a Deo, an a caco-

dæmone,

dæmone, ſit profectum. Objici poteſt ita ſentientibus, circulum committi vitioſum, ſi doctrinæ ſuſcipiendæ ratio ſit ex miraculo deſumenda, ac miraculum rurſus ex doctrina ſit dignoſcendum. Circuli hanc umbram facile propulſat Autor. Pag. 359.
Ipſe jubet animum attendere in conflictu miraculorum ad excellentiam & numerum, a Dei parte facientem. Hiſtoria de Magis Ægyptiis *Pharaonica* videtur hanc opinionum determinationem Autori extorſiſſe. Statim ipſe ſubdit, miraculis ineſſe 379.
vim internam comprobandi veritatem doctrinæ, cujus gratia edantur, oblitus ea, quæ docuerat, opinionis momenta. Quid enim? Si cacodæmon miracula ederet ad mendacia & falſa dogmata ſpargenda, anne hiſce etiam vis ejusmodi ineſſet? Videtur hic Autor ſibimet repugnare pro more plerorumque, qui huc uſque de miraculis expoſuere. Ille adjungit hæc duo, 1) miraculum, ab homine vivo editum, non eſſe teſtem probitatis ac ſanctitatis, quæ inſit ipſi, 2) miracula vero, ſuper tumba hominis edita, eſſe ſanctitatis, quæ eidem fuerit propria, documenta. Sanationes miraculo inſignes credit eas, quæ ex- 391.
cludunt adminicula & medicamenta naturalia, quæ eveniunt ſubito, quæ dolores haud pariunt, quæ agitatione, tremore, & convulſionibus, carent vel ex toto, vel poſt breviſſimam moram. 411.
Differit poſthæc de examinibus innocentiæ per ferrum calidum & aquam ferventem, atque id, quod in eis fuit miraculoſum, arbitratur exſtitiſſe ſupernaturale. Examina autem illa 440.
credit minus ſufficientia ſcopo, fallacia, & repudianda. Inficiandum itaque erat, Deum ea miraculis voluiſſe ſtabilire. Exequitur deinde commentando examen, aqua frigida peragi ſolitum, ac ſimilem in modum de eo differit. Tum de virgula 454.
divinatoria commentatur, ejusque commotionem arceſſit a geniis, qui homine ſint potentiores, & quidem malignis, homini imponere ſtudentibus. Hæc edifſeruntur *Tomo II.* 483.

Hinc ad expendendam *Polytheiſſini* religionem Autor progreditur, oſtenſurus, doctrinas, paganis proprias, fidei eſſe ſubleſtæ falſasque. Non eſt, quod hiſce immoremur. Qui enim Theologiam Tom. III.
naturalem primoribus digitis attigerunt, facile illam quamplurimorum Deorum religionem proſternunt. De oraculis copioſius

Pag. 23. exponit, ac autores eorum putat fuiſſe ſacerdotes, a mentibus cacodæmonum animatos. Oracula nonnulla meris ſcatuiſſe impoſturis, contendit. Quidni vero univerſa? Reſpondet ad hanc
41. quæſtionem Autor negando. Oracula fidem exuiſſe ac collabefacta eſſe Jeſu nato, ſibi perſuadet. Luce ſcilicet veritatis
56. mentes occupante, ceſſabant putidiſſima & caro vendi ſolita illa commenta. Inquirit præterea in miracula, quæ homines a vera religione averſi jactarunt, ac inter ſuos edita fuiſſe tradide-
79. runt. Imperat ſibi, ut credat, prodigia ac præſtigias Magorum Ægypti fuiſſe miracula genuina, refellens ſimul *Sercium*. Victimas, a Diis comeſtas, ſtatuas loquentes, curationes miraculi
120. plenas, quas pagani jactitarunt, levi brachio disjicit. Quo
148. facto, ſeſe accingit ad religionem Judaicam, adverſus Deiſtas tuendam. *Moſen* re vera exſtitiſſe ab omni impoſtura alienum, docet. Pentateuchi fidem jubet eſſe ſartam tectam. Hiſtoriam de tranſitu per mare rubrum, ac de percuſſa petra, a nugis exte-
194. rorum vindicat. Interpretationes horum frivolas de ſerpente
202. aheno, & virga *Aaronis* refloreſcente, amolitur. Subjungit hiſce vaticinia & prædictiones *Moſis*, ac ſigillatim de Judaicæ œco-
213. nomiæ exitu commentatur. Differit ibi de vaticiniis, ad adventum Jeſu ſpectantibus, tunc eventum ſortitis, cum nova fundabatur œconomia. Reſpondet ad objectiones eorum, qui
238. contendunt, Meſſiam haud veniſſe, eo quod Judæi eum haud ſuſceperint, & notæ Meſſianæ in Jeſum haud congruant. At, prius ita eventurum, prædixerant vates divini; poſterius vero eſt falſum. Oſtendit deinde, cultum Judaicum haud perennem
256. eſſe debuiſſe, ſiquidem Deus, fœdus novum ſeu diſpoſitionem novam acceſſuram eſſe, promiſerat. *Diſſertatio ſeptima* verſatur in veritate religionis Chriſtianæ ſtabilienda, & adverſus
261. Deiſtarum, paganorum, Judæorum, & Muhammedanorum, genus omne vindicanda. Inprimis annititur hic Autor, ut, Evangeliſtas eſſe fide dignos, evincat. Facta certe, ab eis expoſita, fieri potuerunt; a teſtibus oculatis & coævis ſunt con-
270. firmata; ii, qui iſthæc literis memoriæ prodiderunt, ſinceri fuerunt teſtes; impoſturæ ſuſpicio ab eis reſilit quæcunque; ipſi pagani, Judæi, ac Muhammedani, miracula Jeſu pro veris habuerunt

buerunt, ac, ea fuiſſe edita, credidere; facta, Evangeliis ſignificata, Pag. 283.
ad nos pervenerunt ſine ulla ſui mutatione. Religionem Chriſtianam eſſe divinitus patefactam, ex hiſce momentis Autor colligit. Vident nunc Pontificii, hanc demonſtrationem vacillare ac corruere, ni ipſi largiantur, fontes Codicis ſacri Græcos ac Hebræos perſtitiſſe incorruptos, ac ſcripta diviniora eſſe legenda a Chriſtianis, perſpicua quippe in eis momentis, quæ ad fidem & pietatem faciunt per ſeſe. Deiſtæ contra inſtant, monentes, hiſtoriam Evangelicam trahere multum incerti ex 297.
disjunctiſſimi temporis intervallo, quo ætas noſtra abeſt ab illa; exſtitiſſe rationes, de factis, in hiſtoria illa commemoratis, dubitandi, cum facta acciderint; Evangelia eſſe corrupta & mutata, teſte veterum ſcriptorum jam indicio. *Celſus*, *Origene* teſte, libris Nov. Teſt. jam objecit adulterationes. Antiqua MSta non habent 12 poſtremos *Marci* verſus, nec hiſtoriam adulteræ *Jo. VIII*, nec illa *Joannis* de tribus in cœlo teſtibus. *Victor*, quem Noſter *Tmuitanum* vocat, refert, *Anaſtaſii* juſſu ſancta Evangelia eſſe correcta ac reformata. Sic putant rationes ſuas Deiſtæ. Reſpondet Autor facillimo negotio ad ſingula. *Origenes Celſo* hæc regeſſit: *Equidem a nemine alio mutatum Evangelium ſcio, præterquam a Marcionis & Valentini & fortaſſe Luciani diſcipulis. Quod crimen non eſt Evangelii, ſed eorum, qui id auſi ſunt depravare temere.* Autor largitur, additum eſſe nonnihil Evangeliis paulo poſt, quam autores eorum obierint, ac nominatim tria illa momenta ante memorata, ratus tamen, inde colligi haud poſſe quidquam, integritati ſacri Codicis adverſum, ſiquidem res ac doctrinæ, locis tribus illis commemoratæ, alibi in Nov. Teſt. quoque tradantur. Deinde poſtulat a Deiſtis argumenta, quibus evidenter doceatur, tria illa loca a manu recentiori eſſe in Novum Teſt. intruſa, ſed legi potius in antiquiſſimis ſcriptoribus Chriſtianis, ipſisque MStis Græcis. Ad *Victoris* narrationem notat, *Macedonium* tentaſſe 322.
mutationem, at *Anaſtaſium* juſſiſſe libros ſacros integritati ſuæ reſtitui. Conſulendus hic eſt *Liberatus*, Diaconus Carthaginienſis, ſcriptor coævus, *Breviar. Cap. 19.* Depromſit hæc ſingula ex Anglorum ſcriptis, Deiſtarum gregi oppoſitis, licet eos,

per quos profecit, haud cenſuerit deſignandos laudandosve. Exſtant ſane Evangeliorum libri *Anaſtaſio* antiquiores, qui ta-
Pag. 325. men cum recentioribus conſpirant ſatis accurate. Oſtendit Autor deinceps, Jeſum fuiſſe legatum divinum, Deumque ipſum, tum ex prædictione futurorum, tum ex miraculis, ab illo ex-
347. promtis. Vaticinia, ruinam gentis Judaicæ prænuntiantia, ſuæ indoli relinquit, intercedens, ne quis ea pro prædictionibus habeat politicis. Cum vero Autor exiſtimet, cacodæmonas poſſe miracula edere, ac de rebus futuris vaticinari per oracula, immo vera inſtar angeli lucis proferre; difficile ſane eſt divinatu, quomodo divinitatem miſſionis Jeſu poſſit ex miraculis ac
366. prædictionibus ab hoc editis ſtabilire. Nihilo minus eam inde
392. ſtabilire, & objectiones repellere, molitur. Divinitatem religionis Chriſtianæ per indolem Meſſiæ, qui eſt Jeſus, corroborat. Denuo hic oſtendere laborat, Jeſum eſſe Meſſiam. Divinitatem religionis Jeſu Chriſti it comprobatum ex ejus reſurrectione, *Dittoni* pharetra uſus. Sollicite reſpondet eis, qui hiſce oblatrant, contendentes, miraculo reſurrectionis ineſſe contra-
418. dictionem, reſurrectionem Jeſu minus eſſe publicam, quam ejus mortem, ac a diſcipulis ejus duntaxat commemoratam, quo-
425. rum interfuerit exiſtimationem magiſtri defendere, teſtes, de hac reſurrectione locutos, fide eſſe indignos. Tum vero divinam Chriſtianæ religionis naturam & originem ſtabilire conatur ex modo, quo ipſa ſuccrevit, & uſquequaque dilatata fuit.
448. Monent quidem Deiſtæ, aggregationem gentium ad doctrinam Chriſti nil habere ſingulare, amplificationem eccleſiæ Chriſtianæ haud reſpondere prædictionibus de univerſalitate divini cultus, a Meſſia ſtabiliendi, rei Chriſtianæ amplificationem ab ingenio & arte hominum profectam fuiſſe, progreſſum religionis ac martyrum conſtantiam eſſe ſigna veritati erroribusque communia. At hos non dimittit Autor, reſponſo nondum inſtru-
467. ctos. Porro labefactare conatur opinionem eorum, qui, religionem Chriſtianam doceri demonſtrarique, eo quod myſteria complectatur, negant, immo ſibi perſuadent, religionem Chriſtianam ſocietatibus conſervandis & amplificandis eſſe exitioſam, ſiquidem cultores Romanæ Eccleſiæ perpetuo diſſentientes infe-

ſtent,

ſtent, hæreticos doceant eſſe puniendos, ſecedentes ab ipſorum placitis capite eſſe plectendos tradant, artibusque vaferrimis utantur ad religionem ſuam propagandam, ac ſæpius per præſulem ſuum Imperatores Regesque ſub religionis ſpecie ſolio vitaque privaverint. *Diſſertatio octava* occupata eſt in refel- Pag. 482.
lendo Muhammedaniſmo. Vitam & doctrinam *Muhammedis* præmittit, Arabicæ linguæ peritiam haud præferens. Oſtendere autem ſtudet, *Muhammedis* miſſionem haud fuiſſe divinam; doctrinam, ab ipſo productam, ad Deum haud eſſe referendam; impoſturæ & inventioni humanæ omnia deberi. Hæc 511.
Tomo III exponuntur. Succedit *quartus*, in quo Autor Tom. IV.
id agit ſedulo, ut perſuadeat lectori, veritatem religionis Chriſtianæ in ſola Romana eccleſia reperiri poſſe, & quidem tam conſpicuo adſpectabilique modo, ut eam oculis manibusque liceat uſurpare. Imperat ſibi, ut credat, demonſtrari poſſe hoc pronuntiatum per *præſcriptionis* viam adverſus omnes ſectas Chriſtianorum, qui a Romana Eccleſia diceſſerint. Jura uſucapione ac præſcriptione acquiri poſſe, nemini obſcurum; at, propoſitionum veritatem præſcriptioni ſuperſtruere, fortuitum, anceps eſt, & periculoſum. Rabbini & Judæi eadem præſcriptionis via & methodo uſi fuerunt adverſus Jeſum & Apoſtolos, & eandem inſiſtunt in hunc uſque diem. Sumit ſcilicet Autor, haud demonſtrat, Romanam Eccleſiam inde ab ipſa origine fuiſſe eccleſiam ceteris præſidentem ac univerſalem, nec in ea unquam a doctrina Chriſti & Apoſtolorum fuiſſe diſceſſum. Qui Hiſtoriam eccleſiaſticam & Canones Conciliorum diligenti manu verſarunt, norunt omnino, quid diſtent æra lupinis Perplacent illa Autoris: *Vera a Chri-* Pag. 3.
ſto appellata religio non conſiſtit tantum in cognitione veri Dei 4.
ac Jeſu Chriſti, legati, ab illo miſſi in terram; ſed complectitur etiam per ſeſe fidem omnium doctrinæ articulorum, quæ Jeſus Chriſtus inſtituxit homines, & ad cujus profeſſionem ipſe ſalutem affixit. Quicunque illam corrumpit, aut per additionem, adjungens ei aliquid ex ſuo ingenio, aut per ſubtractionem, reſecans inde nonnihil, aut per immutationem, exponens arbitratu ſuo dogmata, incurrit is iram Dei. Recedendum eſt ab eo,

nec ille eſt audiendus. Ipſe eſt falſus Propheta, qui maledictione cœleſti eſt dignus. Addit illud *Pauli* pronuntiatum, quo execrabilem pronuntiat illum, qui unicum παρ' ὃ doctrinæ Apoſtolicæ adjunxerit. Concilium certe Conſtantienſe docet, doctrinam de promiſcua communione ſub utraque eſſe Chriſti & Apoſtolorum. Nihilo minus Eccleſia Romana, non obſtante Chriſti inſtitutione, & Apoſtolorum præcepto, & eccleſiæ primæ puriorisque uſu, eam doctrinam mutilavit & ſuſtulit; doctrinam de purgatorio, & ſexcentas alias, doctrinis Chriſti & Apoſtolorum addidit; canonem librorum divinitus inſpiratorum eo tempore, quo ſcriptores Apocryphorum & prima ſcripta non amplius exſtabant, adverſus teſtimonia eccleſiæ antecedentis & Judaicæ & Chriſtianæ, dilatavit & extendit; & verbum non ſcriptum religioni Jeſu adjunxit. Ne hoc altum ingrediantur, & hæc ſingula expendant Pontificii, ipſi methodum *præſcriptionis* præferunt methodo *diſcuſſionis*. Illam Autor vocat brevem, compendioſam, facilem, & vulgo Chriſtianorum
Pag. 5. accommodatam; hanc vero appellat longam, difficilem, & difficultatibus ſpinoſis obſitam, doctis duntaxat congruentem. Si exemplum Chriſti & Apoſtolorum ſequimur, tum methodus præſcriptionis eſt proſcribenda, & Chriſtiani etiam, ſtudiis haud exculti, docendi & convincendi ſunt per argumenta & methodum diſcuſſionis. Cauſæ ſuæ male conſulunt, ſuſpicionemque impoſturæ præbent, qui lectionem librorum Biblicorum ſuis adimunt, ac amplitudinem religionis ſuæ in hominum plebisque ignorantia ponunt. An modus propagandæ eccleſiæ hic ſit divinus, genuinus, & homini, rationis uſu mediocri imbuto, ſatisfaciens, Autori relinquimus arbitrandum. Ipſe ad metho-
7. dum diſcuſſionis recte adhibendam loco principii ponit ſerium & exquiſitum ſacri Codicis ac traditionis ſtudium. At Vir ille egregius nondum demonſtravit, Jeſum voluiſſe religioni ſuæ aggregari traditiones. Proceres plures eccleſiæ Judaicæ adjunxerant verbo Dei æque traditiones, quas tamen Jeſus damnavit & exploſit. Et ubinam exſtat ille traditionum Romanæ eccleſiæ catalogus? Quot ipſe conſtat articulis? Quandonam, qua fide, qua Dei inſpiratione & providentia, ille cœpit & promulgatus eſt?

eſt? Anne illi, qui eum evulgarunt, miſſionem ſuam miraculis & prædictionibus confirmarunt? Utrum doctrinæ fidei, an agenda, an cerimoniæ & ritus innoxii, nitantur traditione, an iſthæc omnia, quis diſtincte docuit? Si traditio eſt idem ac profeſſio dogmatum eorundem per ſingula inde ab ævo Apoſtolico elapſa Secula, Pontificii certe ad traditionem provocare non debent. Primi enim Chriſtiani ad *Hieronymum* uſque & ultra canonem librorum Biblicorum profeſſi ſunt ac martyriis confirmarunt alium, ac eum, quem Pontificii ſucceſſu temporis introduxerunt. *Diſſertatione prima* Autor it comprobatum, religionem veram & Chriſtianam conſpicua ratione inveniri in Eccleſia Romana, & hanc veritatem patere per methodum præſcriptionis. Dolendum ſane, notionem, quam de eccleſia Chriſti tenere oportet, ab Autore informatam fuiſſe animo, quæ a religione Chriſti & Apoſtolorum diſcedit. Societatem Proteſtantium appellat Autor *ſocietatem ſatanæ, ſuperſtructam tabuis naufragii ſocietatis Jeſu Chriſti*, quaſi Chriſtus & Belial in unam ſocietatem conſtituendam conſpirare poſſint. O Deus, condona Autori graviſſimum id peccatum! Ipſe in eo eſt, ut oſtendat, veram religionem Chriſtianam inter Proteſtantes haud inveniri. Quo fine ſocietatis vere Chriſtianæ hos deſignat characteres: 1) antiquitatem, ad Jeſum uſque porrectam, tum ratione nominis, tum reſpectu miniſterii; 2) propagationem per orbis partes præcipuas, & prodigioſam profitentium copiam; 3) pietatem, ſanctitatemque vitæ, in fundatoribus eccleſiarum; 4) adſpectabilitatem minus interruptam, & ad tempora uſque noſtra propagatam; 5) autoritatem paſtorum, ad quam homines citra doctrinæ examen cœco currunt impetu, ad ipſorum nutum per cœcam obedientiam proni; 6) conformitatem cum promiſſis Chriſti *Matth. XXVIII, 20, XVI, 18*; 7) communionem cum ſede Romana ob *Irenæi* locum *Lib. III Cap. 3*, quaſi is tribuiſſet eccleſiæ Romanæ dominatum in reliquas univerſas, & ob *Cypriani Ep. 45* ad *Cornelium*, quaſi *Cyprianus* eccleſiam Chriſti credidiſſet eſſe monarchiam, & poſtea nunquam errare poſſe in ullis fidei momentis, atque Romanam eccleſiam eſſe & manſurum cœtum Chriſti univerſalem, ſibi perſuaſiſſe

Pag. 13.

15.

32.

ſuaſiſſet. Ita potius erat colligendum: quicunque cœtus doctrinam Jeſu & Apoſtolorum ſequitur & affectatur, ac eundem cum Chriſtianis primis amplectitur librorum divinorum canonem, ille eſt eatenus eccleſia Chriſti. Atqui. Ergo. Promiſſiones, quæ ad univerſalem Chriſti eccleſiam ſpectant, ad Romanam trahere, & indolem corporis Chriſti myſticam atque cruci ſubjectam in ſplendorem externum & monarchiam adſpectabilem convertere, eſt idem, ac petere id, quod eſt principii loco. Contendit deinde, characteres veræ Chriſti eccleſiæ abeſſe a Proteſtantium cœtu, ſcilicet ex principii petitione. Sibi perſuadet, originem doctrinæ Proteſtantium non pendere a Chriſto & Apoſtolis, ſed a *Luthero*, *Calvino*, &c. quaſi reformatores inſtituerint religionem plane novam, nec potius monuerint homines, dogmata omnia eſſe probanda, ſed meliora & antiquiſſima retinenda. Quicquid Romana Eccleſia habet doctrinæ Chriſti & Apoſtolorum conforme, id reformatores noluerunt repudiatum; additamenta, & ſubtractiones, ac varium illud παρ' ὃ, repudiarunt. Quis dixerit, reformatores Ordinis Benedictini plane novum Ordinem condidiſſe? *Hadrianus VI*, Pontifex, non diſſimulavit, morbos errorum inſidere capiti & membris Eccleſiæ Romanæ, negavitque ſcripto publico, Pontificem Romanum errare non poſſe. Nec deſunt Pontifices alii, idem teſtati. Seceſſio a nævis, ab additamentis, & ſubtractionibus, quæ cum doctrina Apoſtolica conſiſtere nequeunt, non eſt rebellio vel hæreſis vel defectio ab eccleſia univerſali. Seceſſionem ejusmodi ſæpius molita fuit ipſa Eccleſia Romana in Conciliis ſuis, & ſubinde aliquam effectui dedit, licet nondum omnem. Quæ characteribus allatis opponi ſolent, Autor amoliri laborat. Ipſe inprimis annititur, ut oſtendat, Eccleſiam Romanam eſſe unicam Chriſti ſocietatem, licet libri canonici a divina inſpiratione haud ſint profecti. At qui fingi poteſt Eccleſia Chriſtiana citra religionem Chriſtianam? Hæc vero innititur Chriſti & Apoſtolorum doctrinæ, quemadmodum Autor *pag. 3* & *4* fuit confeſſus. Undenam vero de indole eccleſiæ conſtat, niſi ex libris divinitus inſpiratis? Ipſe vero autoritatem eccleſiæ divinam præmittit doctrinæ de inſpiratione librorum

Pag. 38.

146.

151.

brorum Sacræ Scripturæ. Audacula videtur propoſitio, *pag. 168* allata, Deum Prophetis haud inſpiraſſe ſingula verba, quibus uſi ſunt, ſed nonnunquam reliquiſſe arbitrium delectus vocum illis ipſis. Directio divina certe nunquam eis defuit. Id vero, ni fallimur, idem docuit *pag. 174*. Hiſtoricis ſacris verba ipſa eſſe divinitus inſpirata, negat. Scriptores ſacros, ne Pag. 179. in errores inciderent, præmunito fuiſſe, & ad ſcribendum a Deo determinatos, largitur. Differit deinde de argumentis, quibus vulgo ſolet Θεοπνευστία librorum Biblicorum comprobari, & quatuor eorum rejicit. Exponit de diverſis ſacras literas exponendi methodis. Omittimus jam reliqua, ſiquidem Lector ex hac fimbria facillime de texto omni poterit judicium ferre. Nil certe venuſtatis & nitoris hic deſideratur. Deiſtis paſſim egregie occurritur. Id vero, quod rei eſt caput, ita eſt involutum, ut incautus lector ſuffragium Autori haud facile ſit denegaturus.

VITA E CAMPEGIAMENTI DEL SERENISSIMO Principe FRANCESCO EUGENIO, &c.

hoc eſt,

VITA ET EXPEDITIONES MILITARES Sereniſſimi Principis Sabaudiæ, FRANCISCI EUGENII, ſupremi Ducis bellici exercituum Imperatoriorum ac Imperii Romano-Germanici. Editio ſecunda, reviſa, correcta, & acceſſionibus locupletata.

Venetiis, typis Joannis Baptiſtæ Recurti, 1739, 4.

Alph. 1 plag. 17.

In Præfatione præmiſſa Autor docet lectorem, quantus exſtiterit *Eugenius* ille inclytiſſimus & conſilio & manu. Scriptores, unde ſua hauſit, indicare haud duxit operæ pretium. Ordinem inſtitit chronologicum, nec eorum quidquam omiſit, quæ *Eugenius* excogitavit præclara, geſſit excellentiſſima, præſtitit admiranda, profligavit periculoſiſſim. Vultus tanti Herois, ære expreſſus, libro præfixus apparaet. Præterea figuræ,

Pag. 113. æri inciſæ, allatæ fuerunt nullæ. Infeliciores expeditiones Autor haud omiſit, teſtatus, expeditione Telonem Martium verſus ſuſcepta exercitus fœderatos magnam partem periiſſe. Nonnunquam Orationes & Epiſtolas *Eugenii* intexuit. Rationes, quas ipſe *Eugenius* propoſuit in concilio Vindobonenſi, rebus bellicis deſtinato, ob bellum Turcis inferendum, repræ-
208. ſentavit exhibuitque ad verbum. Conſilium ejus & orationem,
240. cujus interventu inducias cum Turcorum Imperatore A. 1717 fieri noluit, ad verbum adduxit. Exequias, a *Carolo VI* in honorem ejus inſtitutas, ſubjunxit, ac in pietate reliquisque
298. virtutibus *Eugenii* Principis prædicandis operam collocavit haud exiguam. Non aberramus a veritatis tramite, ſi contendimus, libro hoc univerſam fere Europæ hiſtoriam bellicam, per annos 40 deductam, comprehendi. Indice ſubjecto argumenta ſignificantur potiora.

D. NICOLAI HIERONYMI GUNDLINGII, REGII BOruſſici intimi & eccleſiaſtici Conſiliarii, Prof. Publ. Ord. Halenſis, gründlicher Diſcours über die Kayſerliche Wahl-Capitulation Caroli VI, &c.

id eſt,

SOLIDÆ PRÆLECTIONES IN CAPITULATIONEM Imperatoriam Caroli VI, ob præſtantiam & uſum, una cum verbis Capitulationis, neceſſariis notis marginalibus, tabula ſynoptica Capitulationis, & amplo Indice, in lucem emiſſæ.

Francofurti & Lipſiæ, impenſis Wolfgangi Ludovici Spring, 1741, 4.

Alph. 8 plag. 14.

Editor poſthumi huius Operis eſt cultor & admirator vaſtiſſimæ eruditionis ac notitiæ, Germaniæ res complexæ, quæ quondam inerat Ill. *Gundlingio*, quem merito Polyhiſtorem, & promtuarium Juris Hiſtoriæque, tum literariæ, tum eccleſiaſticæ, tum politicæ, portentumque eruditionis, appellamus. Si quis nil niſi expoſitionem jurium, quæ ſuppeditat Capitulatio, hic

hic quærat, is magnopere ſe fallit. Enucleantur hic origines reipublicæ Germanicæ, fines ejusdem indagantur, ſtatus omnis ex Hiſtoria per viciſſitudines ſingulas eruitur, tractationes ſæpius ſpeciales intexuntur, & hiſtoria jurium publicorum Germaniæ ex penu Hiſtoriæ depromitur, hypotheſes precariæ diſquiruntur, & fictiones profligantur. Jungendæ tamen ſunt huic Operi Prælectiones B. Autoris in *Cocceji Jus publicum*, & ipſa nonnunquam conferenda ſunt *Gundlingiana*. Notat idem ſæpius doctrinas & ſententias, ab Illuſtri *Joanne Petro de Ludewig* in ſcenam productas. Immerito tamen negat, Marchiones Brandeburgicos appellatos fuiſſe Duces. Utilitates, ex reformatione *Lutheri* profectas, ſolide enarrat data occaſione, easque ad Pontificios ipſos propagatas eſſe, docet. Fundamenta ſuperioritatis territorialis non ſub *Conrado I*, ſed in interregno, eſſe inveſtiganda, contendit, ſuffragio Ven. Abbatis *Gothofredi* in *Chronico Gottwicenſi* munitus. Ad Procœmium Capitulationis Cæſareæ epitomen ſuppeditat notitiæ de veteri medioque ſtatu Germaniæ publico. Tabulis genealogicis hinc inde expoſitiones ſuas confirmat & illuſtrat, & genealogica feliciter ſubinde detegit huc uſque incomperta. Methodo cauſarum minus favet. Meditationes ad Capitulationem *Joſephi*, A. 1711 Halæ editas, *Obrechto* tribuendas exiſtimat. *Lynckerum*, ejusque aſſectatorem, *Carolum Ottonem Thyllium*, ſtatuit partium Imperatoriarum nimis eſſe ſtudioſos. Capitulatio denotat conventionem, pactum, certas leges, utrinque initas. Italis ſignificatus hic primum arriſit. Capitulationis vox hoc ſenſu primum legitur in Receſſu Imperii Erfurtenſi A. 1567 §. *Darauf zu unterſchiedenen mahlen*, & §. *Wenn dann dieſe Erforſchung*, ac Capitulatione *Ferdinandi II Art. 42*. Leges Palatinas a Capitulationibus differre, Autor docet. Comites Palatii regii & Palatinos diſtinguit, hos habens pro judicibus palatiorum provincialium. Quatuor Comites Palatinos, *Speculo Saxonico Lib. III Art. 53 §. 1* commemoratos, vindicat. Franciam Germanicam Rhenanam diſtributam olim tradit 1) in cisrhenanam, cujus metropolis eccleſiaſtica exſtitit Moguntia, 2) in ripuariam, cujus caput fuit Colonia, 3) in Belgicam, in

Pag. 5.

9.

10.

12.

qua Treviri fuerunt caput. Per hanc Franciam Comes Palati-
Pag. 13. nus Rheni magna emicuit in judicando autoritate. Imperantibus *Ludovico Germanico* & *Carolomanno*, regnum quoque in Bavaria exſtitit. Eadem ratione in Sueviam dominatum tenuit veluti regnum *Carolus Craſſus*, qui in Diplomate apud *Mabillonium* in *Annal. Benedict.* vocatur *Rex Suabiæ*. Saxoniæ tandem dignitas regni acceſſit per *Ludovicum* juniorem, *Ludovici Germanici* filium, *Ludolfi*, Ducis Saxoniæ, generum. Hiſce quatuor regnis Palatinos Comites ſingulos fuiſſe, *Gundlingius* arbitratur. Palatini Saxonici ſedem exiſtimat fuiſſe Altſtedium. At monendum nobis eſt, 1) ante *Ottonis M.* tempora mentionem Comitis Palatini, per Saxoniam judicis, haud fieri, 2) urbem palatinam initio haud fuiſſe unam, ſed multiplicem,
17. in Saxoniæ regionibus. *Fridericum* & *Burchardum*, Saxoniæ
19. Comites Palatinos, in unum compingit. De Comitibus Palatinis Lateranenſibus deinde diſſerit. *Legem regiam* exſtitiſſe, largitur, & oſtendit ex *Ulpiano l. 1 Dig. de Conſtit. Princip.* ac *Inſtit. de Jur. nat. & gent. §. 6*, nec non ex *l. 3 Cod. de Teſtam.* & *l. un. Cod. de Cod. toll.* atque *l. 14 Dig. de Manum.* Lex Romanorum regia tradidit Imperatoribus poteſtatem omnem; at Capitulationibus poteſtas Imperatorum coercetur
21. & limitatur. Quare diſſerentia inter utramque intercedit ſatis magna. Suaſu *Joannis Trithemii Maximilianum I* ſeſe appellaſſe Regem Germaniæ, Autor ſuſpicatur. Capitulationum a-
27. nalogа in Imperio Germanico ſemper exſtitiſſe, docet. Jus naturæ politicum dari, arbitratur. *Lynckerum* fuiſſe ſcholaſticum, & Juri naturæ politico univerſali tractando ineptum, pronuntiat.
34. Jus publicum poſitivum Germanicum in Academiis eſſe docendum, demonſtrat, &, ſecus ſancitum eſſe in *Inſtrumento Pacis*
36. *Art. 5 §. 50*, negat. *Joannem Deckherum* perſonatum, qui *de*
38. *Pace religioſa* ſcripſit, eſſe *Andream Gailium*, tradit. Defenſionem religionis moderatam & ſolidam haud eſſe vetitam, docet. Rempublicam Germanicam eſſe irregularem & monſtroſam, fatetur cum *Monzambano*. Jureconſultis profeſſionem
48. Juris publici vindicat. Duces ſibi, imperantibus *Henrico IV* & *V*, cœpiſſe tribuere formulam *Dei gratia*, credit. *Pipinus* ea

primus

primus videtur fuisse usus. Seculo XIII huic formulæ potentatus & ditio territorii haud adhæsit. Burggraviatum Magdeburgicum esse Principatum, largitur. *Sigismundus* Cæsar *Fridericum Bellicosum* infeudavit Burggraviatu Magdeburgico ceu Principatu. Decerpsit ex Diplomate *Sigismundi* nonnihil *C. S. Schurzfleischius* in *Diss. de Vitricis Ecclesiæ*. Exstat illud in Archivo Vitebergensi. Regnum Merovingicum & Carolingicum fuisse hæreditarium, Autor ostendit solide. Regnum Germaniæ electivum exstitit, cum de *Arnulphi* successore Forchheimii fuit actum. Addit tamen Autor, Germanos haud [illegible] deflexisse in electione a familia mascula, imperii ad clavum sedente. Commemorabilis est Epistola, quam de ea re [illegible], Archiepiscopus Moguntinus, ad *Joannem IX*, Papam dedit. [illegible] eam *Goldastus de Regno Bohemiæ* & *Balbinus* in *Miscellaneis*. Feuda, quæ nonnulli a Ducibus & Principibus *Conrado I* & *Henrico Aucupi* oblata fuisse tradunt, merito explodit. Imperante *Ottone III*, Electores a *Gregorio V*, Papa, creatos fuisse, solide negat. *Antonius Pagi* fabulam hanc primus destruxit, a *Baronio* exornatam. *Rudolphum Rhinfeldensem* suasu Legati Pontificii Imperatorem fuisse electum, dicere haud omittit Ill. Autor. *Lotharii Saxonis* jam ætate exstitisse *primos in electione*, id est, *Electorum semina*, ostendit ex Autore *Vitæ Mathildis pag. 197*, *Guntheri Ligurino*, *Ottone Frisingensi*, *Alberico ad A. 1125*, & *Innocentii III* Epistola ad Principes Teutoniæ & Alemanniæ *Tom. I pag. 700 edit. Baluz.* Electos fuisse Imperatores singulos inde a *Conrado I*, luculente evincit. Germanos septentrionales caruisse literis *Taciti* ætate, probabile ducit. Carmina Germanorum veterum jam ante *Carolum M.* periisse, conjectat. Gallos, Celtas, Galatas, Wallones, a flumine *Wala* dictos esse, putat. Cimbros, a *Mario* victos, attingit. *Tacitum* Germaniam invisisse, autumat veri esse simile, licet *Baylius* & *Dithmarus* negantem propugnaverint sententiam. *Tacitus* mores Germanorum comparavit cum Romanis. Hic lecturis eum esto Pharus. Alemannos Autor e compluribus gentibus conflatos esse affirmat; reliquos vero Germanos ad eandem stirpem referendos esse, *Tacito* testanti accredit. Ex Phrygia & Thracia,

Pag. 50. 52. 60. 61. 63. 65. 69. 72. 80. 82. 85. 87.

ac a *Japheto*, Germanos antiquiſſimos arceſſit. *Tuiſtonem*, ſeu *Teutonem*, *Teutaten*, *Titanem*, exiſtimat fuiſſe virum ſtatura
Pag. 90. excellentem & procerum. Si quid conjecturis aſſequi poſſumus, non ſolum hoc ipſum credimus veritati congruere, ſed addimus etiam, *Tan* eſſe *tenſum*, *longum*, *procerum*, & morali ſenſu *heroem*, vocem vero *tüdde*, *teut*, *tiht*, denotare *turbam promiſcuam*, unde ſuperſtitat vox *Getüdde* eodem ſignificatu. *Teuton* itaque notat *heroem*, præſidentem turbæ inconditæ, magnæ, & liberiori. Huic originationi concordat locus *Callimachi* ex *Hymno in Delum v. 169 ſeq. Thetin* eſſe terram Græcorum lingua, Autor tradit, minime autem demon-
91. ſtrat. *Tacitum* Stoicæ ſectæ faviſſe, affirmat. Gigantes olim exſtitiſſe, contendit, nec tamen eos, quos Poetæ finxerunt. Servos fuiſſe priſcis Germanis, merito ex *Taciti Cap. 25* comprobat, eosque glebæ adſcriptos, Romanisque ſervis miſerio-
99. res, fuiſſe, tradit. *Wolfgangi Lazii* libris *de Migrationibus gentium* plus fabularum, quam uſus, ineſſe, ſcribit. Mores veterum Germanorum compendioſe deſcribit. Benedictini
104. Galli librum *de la religion des Gaulois*, Pariſiis editum, parvi faciendum eſſe, docet, ſiquidem is ſacra Gallorum omnia a ritibus Romanorum derivaverit. Druidum ſedem definit prope urbem *Dreux*, dictosque illos credit ex *Druid*, id eſt, *Deo*. Germanos, vocabulum *Taciti* ætate recens, appellatos exiſtimat ex *guerre* & *mann*, id eſt, viris bellicoſis, quo nomine
106. ipſi ſeſe impertierint, Rhenum transgreſſi. Germaniam ſeptentrionalem fuiſſe *vaginam gentium*, credit; Sueciæ linguam & populos antiquitatem ultimam præferre, licet ita *Olaus Rudbeckius* in gratiam *Chriſtinæ*, Reginæ, pronuntiaverit, ſolide negat. Bojos Gallorum a Bojis Germanorum diſcernere nos ju-
108. bet. Illos vero paſſim diſcurriſſe, & aliquando in agro Biturigenſium habitaſſe, ſuſpicatur; rediiſſe autem ipſos poſthæc in patriam ſuam Bojohemicam, addit. Francos eſſe originis Germanicæ, adverſus Gallos quosdam, id pernegantes, evincit. Romani Germaniæ, reſpectu ipſorum cisrhenanæ, Præſides,
110. viros conſulares, præfecerunt. *Conſtantinus M.* præfectum prætorii Treviris conſtituit. Illam Franci, ac jam antea Romani,

diviſe-

diviſerunt in primam & ſecundam. Secundæ metropolis eccleſiaſtica fuit Colonia, civilis vero Aquisgranum. Exorſa fuit ſecunda ab amne Abrincone, ſeu Moſella, & ad Friſios uſque decurrit. Ignoravit hæc *Herm. Conringius*, teſte ipſius *de Finibus imperii* libro. Reliqua, ſeptentrionibus magis obverſa, Germania cognomen obtinuit *magnæ*, a Rheno ad Viſtulam & montes Carpathios diducta. In hac Magdeburgum floruit Primatu. Primatuum primus exſtitit Moguntiæ. Hæc momenta, & *Arioviſti* geſta, Autor egregie exponit. Conjectat, *Cæſarem* Pag. 113. aliquid ficti rebus *Arioviſti* immiſcuiſſe. Uſenburgum, Cliviæ locum, dictum putat ab Uſipetibus. *Druſi* facinora enumerat præclare, per Germaniam illuſtria. Friſios habitaſſe per Selandiam, Gelriam, Hollandiam, Ultrajectum, & porro per Oldenburgicas ac Bremenſes regiones fuiſſe diffuſos, ſibi perſuadet. Oram Holſatiæ Friſios, a Principibus Holſatorum ad- 115. ſcitos, ſerius coluiſſe, adjungit, vocatos quippe *Strandfrieſen*. *Arminium* exiſtimat fuiſſe Ducem accolarum Herciniæ, & pro- 117. pe Pirmonti locum olim commoratum. *Varum* A. 760 U. C. 120. in Germaniam fuiſſe miſſum, arbitratur. Epicuræos faviſſe avtochiriæ pariter ac Stoicos, demonſtrat. *Libidinem*, quam *Florus IV*, 12, *Quintilio Varo* tribuit, de immoderato tyrannidis ſtudio exponit. *Arminii* & *Marobodui* res haud omittit. Res *Germanici* attingit. Migrationes gentium deducit 125. ex diſſidiis Romanorum inteſtinis, ac imminutione exercituum, Germanis oppoſitorum, quorum partem haud modicam *Conſtantinus M.* Byzantium verſus ire juſſerit. De primis Franco- 126. rum Regibus copioſe diſſerit, ac *Gregorium Turonenſem*, de eis commentatum, exiſtimat fide dignum. Disbargum habet pro 128. caſtello Teutonum, Coloniæ oppoſito, a quo *Poſthumus* voluerit vocari *Hercules Deuſonienſis*, & illud nunc credit vocari *Duitz*, *Deutz*. Verba *Gregorii* adjecta, *quod eſt in finibus Thuringiæ*, laxiſſime interpretanda eſſe tradit. Pagum *Derlin-* 132. *ga*, ſeu *Darlingen*, veterem Alleram inter & Obacrum fuiſſe ſitum, tandem agnoſcit. Durcelingos, Herulorum in Italiam comites, pro Darlingis reputat. Burgundiones a Burgis, ſeu caſtellis, quibus ſeſe defenderint, dictos, & Vandalici generis fuiſſe, arbitratur.

tratur. Res a *Chlodovæo* geſtas, & genus Regum Burgundionum,
Pag. 138. copioſe exequitur. Tulpiacum, ubi *Chlodovæus* Alemannos vicit, exponit de Alpiaco, *Alpzich*, loco ad Wormatiam ſito. *Hincmari* Vitam S. *Rhemigii* fabulis refertam eſſe, tradit. De
141. *Theodorico*, Oſtrogothorum Rege, cogitate ſcribit & pragmatice. *Cochlæi* Vitam *Theodorici* a *Jo. Peringskiöldi* Commentario in eam minus recte diſtinguit. Hic enim illius editionem
144. iteravit, notis ditatam. Bavaros Autor *Theodorico* illi adhuc paruiſſe, oſtendit. Filiorum *Chlodovæi* vitam Chriſtianis indignam meritò ſub cenſuram vocat. Domini *de Hœrnik* librum
151. *de Regno Auſtraſiæ* laudat. *Brunegildæ* fœdam vitam et *Gregorii M.* in eam laudes conciliare nequit. Hunc in numero hypocritarum cenſet. *Pipini* genus ex terra Metenſi arceſſit *Chil-*
156. *dericum III* exſtitiſſe, largitur. *Pipini* modum artesque ad regnum perveniendi, et Epiſtolam Pontificis Romani, ſale perſpergit. *Caroli M.* potentiam fuiſſe ampliſſimam, demonſtrat. Finnos eſſe Germanicæ originis, ob linguæ diſparitatem negat. Sueviam noſtram eſſe Rhætiam veterem, credit. Altheimium, ubi
161. *Conradus I* Synodum celebravit, in Bavaria collocat. Adingam villam pagi Rhætiae putat eſſe villam *Ruperti*, *Rupperswil*. At pagus ille nunc ſuperſtitat in tractu *Ries*, et Althemium fuit ad Nordlingam ſitum. Adinga, ſeu Otinga, eſt *Oettingen*. *Falckenſteinius*, ni fallimur, *Gundlingianam* ſententiam ſolide refel-
167. lit. De Lotharingia, Germaniæ accreſcente, *Gundlingius* egregie diſſerit. *Boſonis* regnum Arelatenſe, ad *Rudolphum* Welficum devolutum, expendit ſolide. Ducatum Burgundiæ non Germanis, ſed Gallis, annumerandum fuiſſe, *Hahnio* licet re-
169. fragante, oſtendit. In interregno regnum Burgundiæ, Arelatenſe complectens, in partes diſciſſum. Germaniæ annexa manſerunt Mompelgardia, Pfiretum, Baſilea utraque, Sabaudia, & Comitatus Burgundiæ. Galli ac Helvetii pleraque a Germaniæ imperio avulſerunt. Imperator nondum renuntiavit juri in Provinciam & Delphinatum, ideoque Archiepiſcopus Trevirenſis adhuc vocatur Archicancellarius per regnum Are-
171. latenſe. At poſſeſſio præſtat juri dominii nudisque titulis. Imperatori *J. P. de Ludewig* jus quæſitum tribuit in Galliam univerſam.

verſam. Ridet hæc Noſter ceu fabulam antiquam. De regno Burgundico noviſſimo docte exponit. Circuli Burgundici ea fuit indoles, ut ſumtus imperiales inde redierint nulli. Comites Flandriæ & Arteſiæ nunquam beneficiarios Germaniæ clientes ex integro exſtitiſſe, Autor bene monet. Germaniæ vindicat Valacras, Gandavum, et Valentinianas. De Lotharingia, nuper Gallis cedente, ſolide exponit. Diviſionem Germaniæ in *terras mediatas & immediatas* diſcutit, eamque, ſenſu *Coccejano* acceptam, repudiat. Bremam fuiſſe urbem imperialem jam ævo *Henrici Aucupis*, exiſtimat. Goslariam hoc nomine jam *Conradus Salicus* affecit. Lubecam et Ratisbonam *Fridericus Barbaroſſa* ſoli imperio ſubjecit, ut *Henrico Leoni* faceret ægre. In Bohemia fuiſſe multa bona, ad fiſcum regium referenda, docet. Comes Ortenburgenſis intra Bavariam adhuc immediate ſubeſt Imperio. De reliquis Imperii dominiis erudite Autor commentatur. Hofam Vogtlandiæ, civitatem olim imperialem, *Ludovicus Bavarus* Marchioni Brandeburgico donavit. Altenburgi Burggraviatum *Margaretha*, *Friderici II* filia, detulit ad maritum, Miſniæ Marchionem. Videndus hic eſt *B. G. Struvii* liber *de Allodiis Imperii*. Hartisburgum fuiſſe ævo *Ottonis IV* caſtrum imperiale, Autori affirmanti haud accredimus. *Schauen*, prædium & caſtrum immediatum, immerito idem appellat *oppidum*. Sueviam *Pipinus* Rex in libertatem aſſeruit, & ipſa ævo *Caroli Craſſi* adhuc erat regio, fiſco regio obnoxia. Hammerſteinia, urbs imperialis, dudum Trevirenſi ceſſit. Decem Alſatiæ villas imperiales *Ludovicus Bavarus* juſſit mœnibus cingi. Advocatus provincialis olim eis, a Cæſare impoſitus, præfuit. Nobiles olim fuerunt imperii milites, & loco ſtipendii terras villasque tenuere ex prædiis fiſci imperialis. Milites Franciæ nobiles Ducibus ſeſe nunquam ſubjecerunt, ideoque Imperio ſoli adhuc parent. Autor explodit diviſionem Germaniæ in ſeptem provincias magnas, *Coccejo* approbatam. Francos dici quaſi *francs*, id eſt, *liberos*, exiſtimat, *Eccardianam* tamen etymologiam ſuo loco relinquens. De Francis exponit ex profeſſo. Controverſiam ſuam cum Ill. *Leibnitio* de prima Francorum patria copioſe repetit, eamque

Pag. 173. 176. 178. 181. 182. 183. 184. 186. 189.

denuo infra Albim in Ducatu Bremenſi deſinit. Geographus Ravennas utrique favet; nam hic latus Albis nec inferum, nec
Pag. 196. ſuperum, definit. *Apollinaris Sidonius* firmat *Gundlingii* opinionem, ad *Creſcentium* ita ſcribens: *Tu Nitrum, Vabalim, Viſurgin, Albim, Francorum & penitiſſimas paludes, intrares, venerantibus Sicambris. Ammianus Marcellinus Lib. XXVII Cap. 8, Saxones Francis fuiſſe vicinos*, tradit. Mota palus (id eſt Mœotis),
197. *Gundlingio* judice, in Ducatu Bremenſi exſtitit. *Adamus* certe *Bremenſis* ita tradidit. Per amnem Ravennatis *Biſigiliam* in-
206. telligit Noſter Viſurgim, *Leibnitius* Oderam. Geographus Ravennas omnino Mauringaniam, ſeu patriam Albis partem, Daniæ quaſi meridianam credidit. Quo ipſo momento veriſimilis redditur *Gundlingii* ſententia. *Hieronymus* in *Vita Hilarionis: Inter Saxones quippe & Alemannos gens non tam lata, quam valida, apud Hiſtoricos Germania, nunc vero Francia, dicitur.* In
209. *Tabula Peutingeriana* legitur: *Chauci, Amſivarii, Cheruſci, Chamavi, qui & Franci, Bructeri.* Hæc faveut *Gundlingio*, ſi locum *Ammiani* habueris alicujus penſi. Holſatiam eſſe Saxoniam antiquam, *Ost-Salten*, ex *Bedæ Hiſt. Eccl. I, 15*, comprobavit Noſter.
210. Applaudit locus *Fabii Ethelwerdi pag. 834 ed. Londin.* & *Jacobus Uſſerius de Primordiis eccleſiarum Britannic. pag. 393.* Noſter ſibi perſuadet, *Warnefrido* antiquiſſimas Langobardorum
213. migrationes fuiſſe incompertas. Ipſe eos ex *ora longa*, Albi adjecta, arceſſit. Bardorum patria. Aſciburgium habet pro Asburgo, ad Uſenburgum prope Rhenum conſpicuo, *Tabula* munitus *Peutingeriana*. Per paludem, per quam *Druſus* in Chau-
223. corum fines, teſte *Dione Caſſio Lib. IV pag. 544*, profectus fuit, intelligit mare Germanicum, Oceanum ſeptentrionalem. Locus vero *Jornandis de reb. Get. Cap. 23 Leibnitio* favet, ſiquidem paludes Mœoticæ ibi notant mare, Herulis, Venedis, & Æſtiis, vicinum. Eidem favet locus *Eumenii*, Rhetoris, in *Pa-*
227. *negyrico*, laudes *Conſtantini* enarrantis, *pag. 142*, ubi *nationes Franciæ intimas* dixit *ab ultimis barbariæ littoribus avulſas.*
229. Chaſuarios fuiſſe Francos, ac, imperante *Maximiano Hercule*, circa Bononiam Oceanenſem in Galliam exſcenſiones feciſſe, Autor ſolide evincit. Hinc de origine legum Salicarum diſputat,

tat, & *Leibnitium* refellit. Delegati a Francis dicuntur *Wisogaſt*, *Bodogaſt*, *Windogaſt*, & *Salagaſt*, id eſt, advenæ ex quatuor locis, de quibus eruditi contendunt. *Gundlingius* exiſtimat, Alemannos a *Chlodovæo* redditos fuiſſe tributarios, legesque accepiſſe & præfectos, ſeu *Gaſitan*, id eſt, *geſetzte*, poſitos. Geographus Ravennas *IV §. 26* Gormetiam, ſeu tractum Wormatienſem, definivit. In eo inveniuntur *Sulheim*, *Bodenheim*, *Windheim*, & *Wiſenheim*, unde videntur dicta fuiſſe loca *Salegeve*, *Bodogeve*, & *Windogeve*. *Bodenheim* aliàs vocatur in Diplomatibus *Butinecheim*, & a Geographo Ravennate *Budengiæ*. Urit autem nos ſcrupulus ille, qui ſcilicet fieri potuerit, ut in tractu tam exiguo quatuor pagi, ſeu *geve*, exſtare potuerint. Acceſſit quidem Ven. *Chronici Gottwicenſis* Autor *Gundlingio*, qui hanc litem in *Gundlingianis* jam peroravit; at hæc ipſe hunc ſcrupulum amovit. De nihilo id videtur eſſe, quod objici ſolet *Leibnitio* & *Eccardo*, Francos ætate *Chlodovæi* ad Bodam & ad Unſtrutam ditionem non exercuiſſe. Non eſt hujus loci, *Leibnitii* rationes, ac *Gundlingii* argumenta, & ad exceptiones reſponſa, repetere. Meminimus inter hæc, ad Unſtrutam olim pagum Winidon exſtitiſſe, ſi fides ſit Diplomati cuidam Gandershemenſi. *Pactum* & *pactus* notat *legem*, nec a paciſcendo, ſed *pangendo*, *packen*, denominationem ſuſcepit, *Gundlingio* contendente. Ad Wormatiam fuiſſe *Franciam* quandam, docet ipſe ex *Jornandis rebus Geticis Cap. 55 ad A. 473*, ex Continuatore *Reginonis ad A. 963*, & ex *Witechindi Annal. III.* Hanc Franciam Autor habet pro *parva*, ſeu *minore*, quæ Franciæ *magnæ* fuerit oppoſita. Requirimus vero autoritatem. Alemannia olim dicta fuit *Francia nova*. Teſtis eſt Monachus S. Galli. A coloniis Francorum deſcendit id nominis. *Jornandes* & *Wippo* haud obſcure ſignificant, Franciam Auſtraſiam, ſeu ſuperiorem, prope Wormatiæ tractus eſſe quærendam. *Franciam magnam*, quæ memoratur a *Conſtantino Porphyrogenneta*, Autor de Gallia exponit. *Leibnitium* id nævi habuiſſe, monet, ut ſibi contradicentes haud potuerit ferre, ſtudio ſui plenum. Franciæ orientalis originem ex coloniis Francorum, in Alemanniam ductis, deducendam exiſtimat. Seculo V ineunte,

Pag. 234.

235.

249.

255.

259.

Francos, Viſurgim inter & Rhenum, habitaſſe adhuc, ex *Tabu-*
Pag. 261. *la Peutingeriana* tradit, monens, *Proſperum* upicum meminiſſe *Pharamundi*, *in Francia regnantis*, reliquos ſcriptores *Pharamundum* omiſiſſe. Reguli Francis fuerant jam pridem. Memorantur ad A. 288 *Genobaudes* & *Atech*, ad A. 306 *Aſcaricus* & *Regaiſus*, ad A. 360 *Nebiogaſtes*, Rex Chamavorum, quocum *Julianus* pacem ſancivit, ad A. 378 *Mallobaudes*, ad A. 382 *Priamus*, ad A. 389 *Genobaudes* alius, *Marcomeres*, & *Sunno*, de quibus *Claudianus Lib. I* in *Laudibus Stiliconis*. De *Chilperici* monumento, A. 1653 ad Tornacum invento, *Gundlingius* expoſuit venuſte, ratus, *Chilpericum* illum, *Chlodovæi*
patrem, in vago itinere obiiſſe, nec ditionem ſibi trans Rhe-
263. num firmaſſe. *Spartianus* in *Vita Probi* ſitum Duisburgi haud procul Colonia definivit. Duisburgo relicto, Franci Rhenum ad Coloniam tranſierunt. In Tabula genealogica, qua *Gundlingius* ſtirpem Merovingicam & Carolingicam *pag. 264* expreſſit, errores non uni apparent. *Merovæi* pater ibi traditur fuiſſe *Clodio*; ſed ejusdem *Merovæi* frater *Sigimerus*, a quo ipſe *Carolingidas* derivat, fictionibus eſt inſerendus. *Dagoberto I* filium tribuit *Sigebertum II*, qui *Theoderico II* erat vindicandus. Omittimus alia, lectorem ad Cel. *Jo. Lud. Lev. Gebhardi Reges Fran-*
267. *corum Merovingicos* amandantes. *Hertii Notitiam veteris Francorum regni Gundlingius* prædicat iterum iterumque. Aquisgranum putat dici ex *Aquis* & *Gronna*, id eſt, *Gerinne*, ſeu canale. Francia orientalis fuit & Germanica, & Ripuaria, & Mediana, ſeu Belgica. In prima erat metropolis eccleſiaſtica. Moguntia, civilis Francofurtum; in ſecunda, quam *Henricus Auceps*
269. priori adjecit, Colonia metropolis erat olim eccleſiaſtica, Aquisgranum vero civilis; in Belgica, ſeu Mediana, erant metropolis eccleſiaſtica Treviri, Metæ vero metropolis civilis. Hæ tres provinciæ Imperii Germanici ſunt origo. Inde primates hujus Franciæ inſignibus gaudent prærogativis. Epiſcopo Wirciburgico titulum *Ducis Franciæ Orientalis* Autor it vindicatum, cauſas interferens, *Gosbertum* jam Seculo VIII ibi exſtitiſſe Ducem, ejusque filio *Ettano* A. 740 ſine prole exſtincto, plurimam terræ ducalis partem a *Pipino*, Rege, Epiſcopis Virciburgenſibus

genſibus fuiſſe contributam. Fuſius de ea re Autor diſſeruit in *Neuer Bibliothec P. XIX pag. 750*, ibique *Caſp. Achatium Beck*, qui Præſide *Chriſtiano Wildvogelio de Ducatu Franconiæ* diſputaverat, refutavit. Argumenta ſua hic denuo repetit, additis paſſim nonnullis. A. 856 templum S. *Kiliani* incendio conflagravit Wirceburgi, ac jacturam Epiſcopus fecit Diplomatum *Pipini* & *Caroli M.* Nihilo minus chartarum *Caroli*, *Ludovici*, *Arnulfi*, *Conradi*, *Henrici*, & *Ottonum*, *Henricus Sanctus* facit mentionem, ac addit tandem hæc: *Nec quisque Comes vel aliquis publicus judex in ulla penitus re præfatæ eccleſiæ homines vel res audeat ullo unquam tempore aut loco diſtringere, vel inquietare, vel aliquam poteſtatem aut jurisdictionem in toto Ducatu vel Comitiis Orientalis Franciæ, niſi ſuper Parochos, quos Pargildos vocant, exercere, quos ad honorem — Chyliani — ſuperaddere decrevimus. Pargildus* is fuit, qui reditus Parochis eccleſiaſticis colligebat atque tradebat. Moveri omnino poteſt quæſtio, an Diplomata illa ſint genuina. Jurisdictione enim baculi paſtoralis Epiſcopi ætate adhuc *Henrici II*, *III*, & *IV*, erant contenti. Inſolitum quid & prodigii plenum Germanis videbatur, ab *Ottone M.* conferri in fratrem *Brunonem*, Archiepiſcopum Colonienſem, poteſtatem judiciariam per modum legationis præfectoriæ, teſtibus *Autore Vitæ Brunonis pag. 280 Tom. I Leibn.* & *Autore Chronici magni Belgici pag. 80.* Jus vitæ necisque nemini Epiſcoporum Seculo XI medio adhuc fuit traditum. Vide Præceptum *Henrici II* ad A. 1013 apud *Schannatum Cod. probat. Wormat. pag. 40*, & Præceptum *Henrici IV* ad A. 1050 *ibidem pag. 57.* Marca Wirciburgenſis complectitur illum Ducatum, & Ducatus notat ibi locum, in quo ſedem habuit Dux quidam. Marcam illam incoluerat *Gosbertus*, Dux, Princeps Wirciburgenſium, ut legitur in *Vita S. Kiliani*, quam *Henr. Caniſius* & *Jo. Mabillonius* ediderunt, & *Sigeberto Gemblacenſi ad A. 697.* Ducatus igitur, quem Epiſcopi Wirciburgenſes ſibi tribuunt in Franciam Orientalem, ſpectat tantum ad marcam Wirciburgenſem. Jurisdictionem omnem *Gundlingius* putat in Epiſcopum Wirciburgenſem illico a *Pipino* & *Carolo M.* translatam, ſiquidem *Heda pag. 35* attulerit Diploma, quo *Pipinus* Epiſcopo

Pag. 271.

273.

274.

275.

ſcopo Ultrajecti jurisdictionem omnimodam conceſſerit. At quis hoc exiſtimabit genuinum? Confugit *Gundlingius* eandem ob cauſam ad Diploma fundationis Osnabrugenſis. At nec hoc eſt genuinum. *Eccardi* cenſuris id adeo fuit attritum & labefactatum, ut nemini id noſtra ætate amplius imponat. *Carolus Craſſus* perhibetur Epiſcopo Paderbornenſi impertiviſſe facultatem eligendi ſibi Advocatum. At, optime *Gundlingi*, Advocati ejusmodi facultatem judicandi ex manibus Regis, non ex manibus Epiſcoporum, accipiebant. Nonne ipſe fuiſti *pag. 472* faſſus, *Henricum Magnanimum* ex manibus ſoceri *Lotharii* ſuſcepiſſe advocatias omnium Epiſcopatuum & Cœnobiorum Saxoniæ univerſæ? Nec tamen inficiamur, *Henrici* jam *IV* ætate Epiſcopum Wirciburgenſem jurisdictione polluiſſe. Luculentus enim eſt locus *Adami Bremenſis* de *Alberto*, Archiepiſcopo Bremenſi, *IV, 5: Voluit efficere, Epiſcopo Würtzburgenſi ſimilem ſe eſſe, qui in Epiſcopatu ſuo neminem dicitur habere conſortem, quia ipſe tenet omnes Comitatus ſuæ Parochiæ, & Ducatum quoque provinciæ gubernat. Ita & Epiſcopus Bremenſis ſtatuebat, omnes Comitatus ſui Epiſcopatus, jurisdictionem habentes, in Eccleſiæ poteſtatem redigere.* De reliquo Ducatus ille non patet extra Epiſcopatum, ut patet ex *Friderici Barbaroſſæ* Diplomate, A. 1168 dato. En verba: *Damus & confirmamus omnem jurisdictionem ſeu plenam poteſtatem faciendi juſtitiam per totum Epiſcopatum vel Ducatum Würzburgenſem & per omnes Cometias in eodem Epiſcopatu vel Ducatu ſitas.* Ni tamen *Albertus Achilles*, indulgente Papa *Pio II*, titulum *Ducis*
Pag. 280. *Franciæ Orientalis* adhibuiſſet, Epiſcopus *Gothefredus* Wirceburgi eo uti haud cœpiſſet, e Comitibus Limburgicis ac Ducibus Wirceburgi antiquiſſimis natus. *Maximilianus I* Ducatum illum denuo Epiſcopis Wirciburgenſibus confirmavit, ac reliqui Imperatores exemplum ejus fuerunt ſecuti. *Beckius* Vindicias edidit in *Parergo de Ducatu Franconiæ*, quod adjun-
281. xit *Diſſertationi de Manumiſſionibus in eccleſia.* At has quoque excuſſit & explosit Noſter. *Alpaidis*, ex *Ludwico Pio* natæ, Ill. olim Autor genus ad *Conradum* uſque *Salicum* illuſtrat. Ma-
285. ritus ejus obiit A. 817, *Bigo* nominatus, ac in Diplomatibus *Comes Illuſtris.*

Iuſtris. Giſela, Berengarii mater, *Eberhardi* Forojulienſis uxor, patre pariter *Ludovico Pio* uſa fuit. *Eccardus* & *Jo. Dav. Kœhlerus* id ipſum ſuffragiis ſuis munierunt. Id vero novum eſt inventum, *Eberhardum* illum exſtitiſſe Comitem Pariſienſem Pag. 289. & Magiſtrum (protectorem) Judæorum, ut ex *Annalibus Reuberianis* & Epiſtola *Abogardi* ad *Ludovicum Pium* de inſolentia Judæorum perſpicitur. *Eberhardi* filium putat fuiſſe *Conradum* æque Comitem Pariſienſem, & Vermerienſem præterea. Hujus filium *Guncilionem*, ſeu *Conradum*, exiſtimat *Conradi I* patrem, 292. *Luitgardæ* Reginæ, ex *Ludolfo* natæ, aſſectatorem, teſtibus *Annalibus Bertinianis.* A *Conrado Pariſienſi Conradum Welficum* diſtinguendum eſſe, docet. Hic enim fuit Dux Rhæticarum 294. partium, non Comes Pariſienſis, licet *P. Labbæus* utrumque confuderit. Comites Naſſovienſes Autor a *Conradi Salici* fratre arceſſit. *Con lum Sapientem* habet pro filio *Eberhardi*, qui 301. erat frater *Conradi*, Germanorum Regis, ob Diploma *Ludovici Infantis* apud *Browerum*, omittens *Wernherum* Continuatoris 302. *Reginonis.* Comitum Hennebergicorum & Marchionum Auſtriæ genealogiam ex communi ſtipite, *Poppone*, deducit. *Burchardi*, Ducis Thuringiæ, patrem *Walachonem*, matrem *Giſelam*, fuiſſe, docet, ipſum *Burchardum* ratus exſtitiſſe *Mathildis* 305. maritum, quæ ſoror fuerit *Conradi I*, Regis, unde a *Witichindo* 307. Corbejenſi *Burchardus* vocatus ſit *gener Conradi Regis. Alpaiais* progeniem tabula genealogica *pag. 310* exſecutus eſt Autor diligentiſſime. Scriptores, de Francis commentatos, ſubjunxit. Francos dictos eſſe *Salios* ex *Saal, palatio*, credit. De Palatinis Rheni deinde diſſerit. Comitis Palatini ad Rhenum munus putat conſtitiſſe in jure intra palatium Aquisgranenſe dicundo. Conſentit Chronicon Browillerenſe. Poſtea ipſe Ducces Bavariæ perluſtrat. *Aventinum* ex MStis & Archivis ſua congeſſiſſe, tradit, notatque ejus nævos. Bojos eſſe originis 327. Germanicæ, non Gallicæ, cum *Leibnitio* arbitratur. *Bajoariorum* primus meminit *Rutilius Claudius Munatianus. Adalgeronem*, Regem Bajoariæ, *Aventini* commentum, nemo amplius agnoſcit. *Theoderico*, filio *Chlodovæi*, ſua ſponte videntur Bajoarii ſe dedidiſſe, eo quod privilegiis inſignibus ipſi fuerunt ornati,

nati, ac Duces ſuos retinuere uſque ad *Carolum Magnum*, qui
Pag. 338. ipſis Comites ac Marchiones præfecit. Imperante *Ludovico Infante*, *Arnulphus* primus Dux creatus eſt, filius Marchionis *Leopoldi*. *Carolomanni*, ex *Ludovico Germanico* nati, uxor fuit *Hildegarda*, filia *Erneſti*, ſuminatum Bavariorum in numero præcipui, atque Ducis, id eſt, Marchionis. Huic filius fuit, dictus æque *Erneſtus*, teſtibus *Annalibus Fuldenſibus ad A. 857.*
341. Alter ille exſtitit Marchio, eumque Autor ſuſpicatur *Leopoldi* Marchionis fuiſſe patrem. *Arnulphus* Imperator certe *Leopoldum* vocavit *dilectum propinquum* in *Hundii Metrop. Salisb. Tom. I pag. 130*, nec non ipſe *Ludovicus Infans* id nomen honorarium repetivit ibidem *pag. 249* & *351*. Conjecturam hanc libet appellare plauſibilem & veriſimillimam. *Schœnlebium* Autor perhibet rerum Romanarum peritum, ſtatus Germaniæ, qui fuit ævo medio, expertem, & confuſionum parentem. *Cunegundam* marito ſuo *Henrico Sancto* Actæonas ſubſtituiſſe, ſibi
349. perſuadet. *Hermannum* Comitem Northeimenſem fuiſſe & *Henrici Rixoſi* fratrem, fruſtra tradit. *Hermannum* illum fuiſſe Comitem pagi Leingau, novimus Diplomatum fide. Quicquid præterea de eo affertur, infra veritatem & fidem veterum eſt. Ducatus tunc nondum exſtitiſſe hæreditarios, Autor recte monet. *Henrici Rixoſi* fratrem *Brunonem* fuiſſe Marchio-
351. nem Brunſuici, ut crederet, ſibi imperavit. At veteres hic tacent. Conjectamus potius, *Brunonem* ex *Ludolfi* Ducis fratre *Brunone*, pariter Duce, per *Ludolfum* deſcendiſſe. Nec *Bruno* ille fuit Marchio Brunſuici, ſed Princeps, vel nobilis Dominus, exſtitit. Ex poſteris ipſius *Egbertus I* & *II* fuerunt Marchiones Thuringiæ. Unde fabula fuit vulgata, *Egbertorum* progenitores fuiſſe Marchiones Brunſuici. At cuinam uſui inſerviiſſet Marchionatus in media Saxonia? Marchionum erat potius li-
352. mites regni defendere. *Ottonis* Saxonis ac Northemenſis, Ducis Bavariæ, accuſatorem *Gundlingius* appellat *Egilonem*, qui *Egino* erat vocandus. *Iſenbartum* Welfonum progenitorem exſtitiſſe, autumat, fide veterum deſtitutus. De *Juditha*, *Toſtici* Angli vidua, *Welfonis IV*, Ducis Bavariæ, uxore, ſollicite & accurate exponit. In ejus enim fata & genus diligenter inquiſivit,

quiſivit, ut conſtat ex *Gundlingianis P. XXX pag. 405 ſeq.*
Ætate hujus *Welfonis* Ducatus ac Comitatus cœpiſſe naturam Pag. 361.
induere hæreditariam, ſolide annotat. *Azoni*, *Welfonis* patri,
tribuit uxores duas, *Cunigundam* & *Ermengardam.* At tres ei
ſunt aſſignandæ, *Cunigunda*, *Gerſenda Cenomanenſis*, ac *Ma-*
thildis. *Egram Fridericus Barbaroſſa* imperio donavit, dotis 366.
loco acceptam ex *Adelheida*, Comite Chambenſi ac Voburgenſi,
quam poſtea repudiavit. *Ludovicus Bavarus* eam urbem *Jo-*
anni, Regi Bohemorum, oppignoravit. Controverſias Ducum
Bavariæ *Wittelspachiorum* cum Comitibus Palatinis ad Rhenum 369.
candide percenſet. Monet, *Theobaldum III*, Marchionem *de*
Vohburg & *Chambe*, circa A. 1204 deceſſiſſe filiis carentem. Fi- 376.
liarum alteram videtur *Conradus*, Comes Zollerenſis, in uxorem
duxiſſe, ac per eam Burggraviatum Noribergicum obtinuiſſe.
De Suevia ſolide exponit Autor, exorſus a ſedibus Alemanno- 394.
rum. Delineat ipſe fata Comitum & Ducum, ac originem &
fundamenta ſtatus præſentis. *Brunonis*, Brunſuicenſis domini, 411.
qui *Ludolfum* & *Ecbertum* genuit, uxorem fuiſſe *Giſelam*, Bur-
gundicam, tandem credit. *Henrico*, Comiti Schwinfurtenſi,
Henricus II Rex Schwinfurtum ademit, fiſcoque regio addixit.
Hinc illud evaſit civitas Imperialis. Zehringicæ terræ, intra 413.
Helvetiam ſitæ, per *Amam*, *Berchtoldi V*, Ducis Zehringenſis,
filiam, *Ulrico*, Comiti Kiburgenſi, acceſſerunt. Habspurgici eas 414.
ex hærede ultima Kiburgenſi obtinuerunt. Hiſtoriam Zehrin-
genſem ſervat clauſam Archivum Badenſe. Dynaſtæ Beutelsba-
chici ſub *Henrico V* Comites fuerunt redditi, ac, exſtincto *Fri-* 419.
derico IV, Duce Teccenſi, renuntiati ſunt Duces Wirtenber-
genſes. De rebus Badenſibus ſuccincte agit Autor, de Saxo-
nibus copioſe, licet Ducum Saxoniæ & Brunſuico-Luneburgen-
ſium rationem ſolidam haud ubique habuerit. *Holſtene* vocem 426.
eſſe ortam ex *Olt-Satten*, id eſt, Saxonia antiqua, comprobat
ex Diplomate *Caroli M.*, in quo terra transalbina vocatur *Olt-*
ſeten. Holſatiam ad *Lotharii Saxonis* ætatem partem fuiſſe Du-
catus Saxoniæ, tradit. *Lotharius* Comitatum Holſatiæ transtu-
lit in Comitem Schaumburgicum more minus hæreditario. Ham- 432.
burgum a poteſtate Ducum Holſatiæ eſſe prorſus immune, Au-

tor comprobat ex literis *Henrici de Badewid*, quem *Waldemarus II*, Rex Daniæ, Seculo XIII ineunte, *Adolpho* Duce ejecto, Hamburgo præpoſuerit. *Conradus IV* illum *Henricum* imperiali autoritate confirmavit. *Henricus* hic Hamburgenſibus vendidit ipſorum libertatem, eamque A. 1216 confirmavit Co-
Pag. 433. mes Holſatiæ *Albertus*, Orlamundenſis, cui *Waldemarus* jus ſuum, in Hamburgum bello quæſitum, tradiderat. Tribunal Spirenſe urbem Hamburgi A. 1618 reputavit pro libera civitate Germaniæ. Cardo rei in eo vertitur, an *Adolphus* & poſteri unquam conſenſerint in illam venditionem; an bellum *Waldemari* fuerit juſtum; an *Henrici de Badewid* poſſeſſio fuerit legitima; an Hamburgum Comitibus Holſaticis unquam paruerit. Comitibus illis poſtea reſtitutis, Hamburgenſes jam a vicario *Waldemari* emerant libertatem. Quæritur vero, an *Waldemarus* conſenſerit; an emtio fuerit tituli juſti. Inter hæc dudum Hamburgenſes reſponderunt ad ſingulas quæſtiones præjudiciales, & diuturna jam fruuntur libertate. *Ecbertum* Brunſuicenſem Autor exſtitiſſe tradit Marchionem & Saxoniæ orientalis, (id eſt, Thuringiæ ac Miſniæ,) & Friſiæ per pagos, qui vo-
435. cantur *Oſtergau*, *Weſtergau*, *Pfiffelgau*, inde ab Hamburgo uſque ad Cliviam. Quam vellemus, poſterius hoc teſtimoniis veterum fuiſſet evictum! De Thuringis egregie diſputat Vir Ill. Thuringos olim *Germanos* eſſe appellatos, tradit ex Geographo Ravennate, eosque *Werinos* eſſe appellatos, conjectat. *Sagittarium* de rebus Thuringicis antiquis optime meritum eſſe,
441. refert. De *jure Suabejæ* ſic ſentit, ut haud licuerit Saxonicæ fœminæ nubere Suevo, ni hæreditate ſua mallet excidere, ratus, de Suevo hæc capienda eſſe ad Bodam prope Halberſtadium incolente. Oſterlingos ſedem habuiſſe circa Scheppenſtadium, intelligitur ex eo, quod campis duobus ibi adhuc adhæret cognomen *Oſterling*. Ab *Oſterlingo* dictus eſt pagus *Osdarling*, & brevius *Darling*, ſeu *Darlingau*. Neminem hoc animadver-
445. tiſſe, miramur. *Witechindum* fuiſſe Regem, Autor merito negat. Ipſe fuit dynaſta Hargi, loci ad Osnabrucam, & Comes An-
447. gariæ. *Arminii* ſtatuam Hilleshemii adhuc ſtare in baſilica, Autor ſibi perſuadet, a *Jo. Leznero*, ac *Meibomio*, eum affectante, deceptus.

deceptus. Veteres tradunt, fanum & ſtatuam *Arminii* a *Carolo M.* in cineres fuiſſe redacta. Statua illa Hildeneshemenſis, cui ſimulacrum S. Mariæ inſiſtit, conflata eſt ex metallo mixto, indubie artibus *Berwardi* exorta, qui ſtatuas ejusmodi ex metallis norat facere. Saxonas vi ad Chriſti doctrinam fuiſſe perductos, Noſter oſtendit, culpam conjiciens in ſacerdotes, *Carolo M.* ita ſuadentes. Attiniaci in Campania *Witechindum* ſacro fonte fuiſſe imbutum, docet. Inſignia *Witechindi* vulgata explodit. Dominos *a Steinbergo* dictos Gallicæ eſſe originis, exiſtimat. At quo duce, quo lare, ſeſe tuetur? Tacent veteres. Judicium Vehmicum, ſpeciem proceſſus inquiſitorii, *Leonis III* ſuaſu a *Carolo M.* fuiſſe inſtitutum, ex Capitulari quoddam reddit admodum probabile. *Henricus II* Rex, *Ditmaro* tradente, *duriſſimam Saxonum legem* confirmavit. Id de judicio Vehmico, ſeu Weſtphalico, Autor exponit, plura commentatus in *Neuer Bibliothec P. XXX Art. 6 pag. 925 ſeq.* Reformatio *Lutheri* huic judicio dedit finem. Diploma *Caroli M.*, quo *Truthmanni* munia recenſentur, genuinum eſſe cenſet, de quo tamen liceat dubitare. Saxonibus a *Carolo M.* præfectos eſſe non Duces, ſed Comites & Marchiones, oſtendit. De Scabinorum origine diſputat. *Ludolphum* fuiſſe Ducem, non autoritate ducali, ſed ut vicario nomine bella gereret, denuo docet, ratus, *Henricum Aucupem* regimen primum ducale in Saxonia tenuiſſe. *Witechindum* exſtitiſſe Ducem, negat. Ex eo *Ludolphum* deſcendiſſe per mares, cum *Eccardo* inficiatur. Errat tamen in eo, quod *Ecberto* tribuit filiam *Witichindi* uxoris loco. *Bruno*, *Ecberti* pater, hic in cenſum venit. *Ecberti* uxor erat *Ida*, e genere Francico orta. *Brunonem*, Ducem Saxoniæ, ad Ebstorfium eſſe occiſum, tradit. At pugna cum Normannis haud procul Hamburgo fuit commiſſa. Occiſi Saxones ſepulti fuerunt Ebſtorfii. *Gundlingius* paſſim in rebus Saxonicis recenſendis a janua aberravit. Exhibebimus nonnihil errorum ejus. *Henricum Aucupem* putat in Gronda ad Viſurgim a *Conrado I* Rege fuiſſe obſeſſum. Comites Eberſteinenſes A. 1435 exſtinctos eſſe credit, qui A. 1410 profligati ſunt, ac in Pomeraniam aufugerunt, ſuperiori demum Seculo exſtincti. *Hermanni*

Pag. 449.

454.

459.

462.

464.

466.

Billungici in honorem campanus fuiſſe agitatas Magdeburgi, *Ditmaro* accredit. *Hermanni* allodium putat fuiſſe Luneburgum. At id ab *Ottone Illuſtri* ad *Ottones* pervenerat. Billungos deducit ex *Childebrando, Caroli Martelli* fratre, *Odam*que,
Pag. 467. *Ludolphi* uxorem, fuiſſe filiam *Nibelungi*, ſibi perſuadet. *Ni-*
468. *belungum* pro *Amelungo* habet. Duces ad Viſurgim, ex *Ottone M.* progenitos, exſtitiſſe putat. *Henricum Nigrum* credit ob uxorem *Wulfhildem* adiſſe hæreditatem Luneburgi, eamque
470. permutaſſe cum *Lothario Saxone*. *Ditericum*, defenſorem civitatis Brandeburgenſis, in Bataviam abiiſſe, tradit, ibique factum Hollandiæ Comitem. *Wilhelmum, Henrici Leonis* filium, allodia paterna *Friderico II* in feudum obtuliſſe, exiſtimat.
505. Aichsfeldiam eſſe oppignoratam Magdeburgenſi Archiepiſcopo,
510. tradit. Jus Ducum Brunſuico-Luneburgicorum in Ducatum Lauenburgicum infirmo ſtare talo, fingit. De Venedis, Moravis, ac Hunnis, Slavisque, multa ediſſerit. *Cyrilli*, Slavorum Apoſtoli, chronologiam & res geſtas in ordinem redigit emen-
524. datiorem. Errat, dum *Romaniam* per Romanum imperium ex-
538. ponit. Romania enim eſt regio Conſtantinopoli adjecta. Si *Gundlingius* ipſe hunc edidiſſet Commentarium, eique manum addidiſſet ſupremam, non dubitamus, quin nævorum nihil ſuperfuiſſet. Nihilo minus tanta in eo enitescit eruditio, & tam diffuſa rerum Germanicarum noſtrique Juris publici peritia, ut nemo commode hoc libro carere poſſit. Continuo Autor origines jurium ex Hiſtoria & vera ſtatus Germanici indole derivat, quotiescunque incidit in controverſiam alicujus momenti. Et quid eſt, quod in Jure publico Germanico dignum ſit attentione, cujus hic haud habita fuerit ratio? Antiquitates gentium Germaniæ poterant omnino ſuccinctius reſpectu ſcopi pertractari, ac plurima antiquitatis monumenta dimitti intacta. Quis vero ægre feret, tantum ſibi apparatum rerum patriæ hic [illegible] poſitum a Viro, omnia diligentiſſime explicante Qu[illegible] debit genealogicis inventis, quibus hic liber [illegible]? Quis de eo accuſabit Autorem, quod *Cocceji* & *Jo. Petri de Ludewig*, Virorum utique ſummorum, nævos hic modeſte eliminaverit? Quis exiſtimabit, male de Imperio noſtro *Gundlingium* me-

ruiſſe,

ruiſſe, qui ſuum cuique tribuit, Imperatori & ordinibus Imperii æque favens, & majorem veritatis, quam auræ aulicæ, rationem habens? Inſunt tractationi nonnulli errores, fatemur enim; at talia rerum ſelectiſſimarum & Polyhiſtore dignarum hic ſuppeditatur copia ac rerum fructuoſiſſimarum ſeges, ut nulla nævorum ſit habenda ratio. Phœbus enim hic tanta ſeſe commendat luce & ſalute, ut maculas rariſſimas nemo non animadverſione judicet indignas. Maculæ profecto illæ ad Jus publicum haud ſpectant. Ad hoc vero pertractandum Ill. Autor tantam diligentiam, dexteritatem, & peritiam, hic attulit, ut cum ipſo adhuc comparari poſſit nemo, certe pauciſſimi pares ei habeantur.

DE CATALEPSI SCHEDIASMA, UNA CUM Hiſtoria mulieris cataleptiæ, Societati Regiæ communicata a RICHARDO REYNELL, Pharmacopœo Londinenſi.

Londini, impenſis Caroli Davis, 1736, 4.

Plag. 3.

Fuit Autori hujus libelli animus, morbum a Britanniæ Medicis prorſus intactum ſtrictim attingere, monetque is ipſe, pleniorem atque dilucidiorem argumenti tractationem a ſcriptore magis idoneo exſpectandam eſſe. Pauca de morborum capitis obſcura indole præfatus, Catalepſin in veram & ſpuriam dividit. Illam vocat, cum præter reliqua ſymtomata motus ſenſusque ſimul perit. Hæc in ceteris ſe habet ut vera catalepſis, ſenſus tamen haud prorſus evaneſcit, ita, ut audiat ægrotus, videat, præſentes diſcernat, quin etiam, ſoluto paroxyſmo, meminerit eorum, quæ dicta vel facta fuerunt. Poſtea differentias ab Apoplexia, Epilepſia, Tetano, Lethargo, indicat, &, cauſis quibuscunque omiſſis, nonnulla, quæ ad præſagia pertinent, affert, medelam vero nec novam jactitat, nec ſpecificam pollicetur, imo potius in arcanorum, & cum ampliſſimis elogiis venalium, remediorum nundinatores acriter invehitur. Proinde in acceſſione mali ad excitandum ægrotum ea

commendat, quæ alias in ſoporoſis affectibus adhibentur. Ubi vero paroxyſmus deſiit, iis utitur, quæ viſcidum quodcunque incidûnt, vel attenuant, et pro re nata e corpore educunt, ex quorum numero ſalia volatilia, emetica, epiſpaſtica, & antiſpaſmodica, varia excellere contendit. Ad averruncandum morbum cauteria, tum potentialia, ut dicuntur, tum actualia, neque minus evacuantia & roborantia, collaudat, quæ duo poſtrema, tantum abeſt, ut ſibi repugnent, ut alterum alterius auxilio ſemper egeat, & in morbis capitis perſæpe requirantur. Diætæ quoque rationem init, & cadavera hominum hoc morbo, ſicut alio repentino quovis, exſtinctorum, non illico ſepelienda eſſe monet. In fine adjecta fuit hiſtoria mulieris catalepticæ, feliciter curatæ, ex Transactionibus philoſophicis Anglicanis deſumta, a qua Opuſculo huic maxima commendatio accedere videtur.

CAROLI FRIDERICI HUNDERTMARK, D. Medici Lipſienſis, Acad. Cæſar. Leopold. Carol. Nat. Curioſorum Collegæ, de Sacchari Saturni uſu interno ſalutari Exercitatio Academica, in qua ſimul varia Chemiæ capita illuſtrantur.

Lipſiæ, apud Bernardum Chriſtophorum Breitkopf, 1741, 4 maj.

Plag. 2½.

Sat audaci conatu Doctiſſ. Autor remedium poſtliminio in Medicinam revocat, alias ſuſpectum, ſed cujus tam bene cauſam ornat propugnatque, ut omnes ſui muneris partes expleviſſe videatur. Initio de incertis remediorum effectibus & cauſis diſputat. Et, quamvis ex odore atque ſapore optime rei cujusdam virtus medica cognoſcatur, nihilo ſecius & rebus odoris ſaporisque expertibus ſuam eſſe inſignem efficaciam, Magneſiæ albæ exemplo comprobat. Sacchari quidem Saturni uſus adverſus varia mala externus a longo inde tempore admodum fuit frequens, inter quæ mala merito etiam numerantur pollutio nocturna,

nocturna, atque gonorrhœa benigna, a Noſtro hic omiſſæ, quibus ſuo tempore comprimendis cum alias ab Autoribus frequenter, tum noviſſime ab Ill *Hoffmanno*, externus hujus remedii uſus fuit commendatus. Internum quoque ejus uſum *Wedelius* quondam, *Michaelis*, & *Junckerus*, variis ex cauſis probarunt, quibus non immerito videntur addendi, quos *Jo. Friccius* in libro *de Virtute Venenorum medica* excitavit. Noſtræ autem ætatis Medici ab eo, tanquam peſſimo remedio, abhorrent, quod vel ex *Bœrhaavenii* atque *Neumanni* teſtimoniis intelligitur. Doctiſſimus itaque Autor uſum internum in febribus acutis malignis, a putredine atque acrimonia humorum, partiumque nobiliorum internarum inflammatione, oriundis, & delirio cum ac ſine febri, prorſus eſſe tutum propugnat, poſtquam corpus optime ex artis legibus præparatum, neque amplius venæſectio, medicamenta ex nitro, vitriolo, camphora, ſpiritus acidi, & illa, quæ corpori externe applicantur, varii generis, utilitatis quidquam & levaminis attulerunt. Quo autem pateat, laudem hanc non ratiociniis tantum, docte ſubtiliterque excogitatis, ſed ipſius etiam experientiæ ſuffragio, niti, ad quatuor provocat exempla ægrotantium, quorum jam vita atque ſalus penitus fuit conclamata, ut fœminæ inflammatione internarum thoracis partium, & febri vehementiori correptæ, viri, puerique, cum febre ardente maligna conflictati, & adoleſcentis, vehementiſſimum in furorem acti, quibus ſummo cum emolumento, ſtupendisque effectis, hanc medicinam propinavit. Quod qui imitari cupiunt, has ſemper cautiones obſervent: 1) non temere, nec niſi ſumma urgente neceſſitate, ad ejus uſum eſſe confugiendum; 2) portionem ejus non adeo magnam, & nunquam ſolam, ſine alius medicamenti, camphoræ, nitri depurati, cinnabaris, admixtione, dandam eſſe. Noſter ad exemplum *Albini* ejusmodi pulverem confecit: Recipe Lapid. Prunell. ſcrup. unum Cinnab. Antim. ſcrup. dimid. Camphoræ gr. quinque, Sacchar. Saturn. gr. unum, duo, vel quatuor. M. 3) Nec uſum ejusdem per aliquod temporis ſpatium continuandum, neque frequentius iterandum eſſe. 4) In ægrotis, ubi malus corporis habitus, & ſuſpicio viſcerum obſtructorum atque

atque ſcirrhorum, eſt, atque in robuſtiſſimis etiam, quando in febribus acutis ſolutio morbi per criſin ſubeſſe videtur, omnino ab eodem eſſe abſtinendum. Quæ omnia quantum valeant, cauti prudentesque Medici plurium experimentorum uſu facile cognoſcent.

Der geſchwinde Hebräer, ꝛc.

ſeu

CELER HEBRÆUS, QUI CEL. D. JO. ANDR. DANZII Grammaticen Hebraicam breviter, perſpicue, & expedite, exhibet, in lucem editus a M. JO. MATTHÆO HÜBSCHMANNO, Eccleſiaſte Eckartsbuſenſi.

Lipſiæ & Iſenaci, impenſis Mich. Gottl. Griesbachii, 1741, 8. Plag. 11.

Methodum ſequitur Rev. Autor erotematicam, ſeu catecheticam, initiandis lingua Hebræa omnino utiliſſimam, dummodo ea in uſum ipſum transferatur. Præfatio declarat & exponit neceſſitatem, utilitatem, & indolem, diſcendi ſermonem Hebræum. Tractatio ipſa ſequitur ordinem & telam *Danzii*; ac *Capita decem* repræſentat, de lectione, punctorum permutatione, nomine, pronominibus, verbo perfecto & imperfecto, de particulis, figuris etymologicis, analyſi inſtituenda, ac reſolutione grammatica, & regularum applicatione. Requirimus ſchemata verborum ipſa. Exempla enim acrius movent, & conſtantius inhærent regulis, accuratiſſime conceptis. De reliquo laudamus conatum operamque Autoris. Varia enim ætas & corporum habitudo varios deſiderat modulos ciborum. Ordo certe, diviſiones, dictionis perſpicuitas, ac brevitas, ubique eminent, ac omne hic ferunt punctum. Ceterum liber hic ejusmodi eſt, ut nihil inde excerpi ſingulare poſſit, quippe novi nihil continens, ſed vetera ad uſum maxime tyronum explanans atque explicans.

✲ ✲ ✲

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi V Sectio II.

ANNALES TYPOGRAPHICI, AB ARTIS inventæ origine ad annum 1664. opera MICH. MAITTAIRE, A. M. Editio nova, auctior & emendatior.

Tomus I.

Amſtelodami, apud Petrum Humbert, 1733, 4. Alph. 4 plag. 10.

Diximus de præclaro hoc Cel. Autoris Opere, in quo potiora rei typographicæ & Typographorum fata ab artis originibus uſque ad annum 1500 deſcribuntur, in *Actis A. 1719 Menſ. Nov. pag. 478*, & inſtituti rationem ordinemque luculenter expoſuimus. Nunc brevibus enarrabimus, quæ novæ hujus editionis dos ſit. Primo de origine typographiæ, illius autoribus, & libris, qui ſub primordia artis prodierunt, diſputat, & indices urbium & typographorum addit. Poſtea ad librorum catalogum contexendum accedit, & annos ſingulos in *quinque claſſes* diſtribuit. *Prima* eos tantum libros, quos ſub initium Operis recenſuerat, complectitur, errata emendat, & cuncta fuſius atque certius explicat. *Secunda* libros exhibet, quos poſt primam *Annalium* editionem ipſi videre contigit. *Tertia* obſervationes continet, quas *Jo. Ludolphus Bunemannus*, Vir Clariſſimus, cum Autore communicavit. *Quarta* libros

commemorat, quos ex variis ſelectis Catalogis, aut bibliothecariis quibusquam Tractatibus, aut ex virorum doctorum epiſtolis, obſervationibus, vel operibus, collegit. In *quinta* libros invenies, quos ex Italico *Peregrini Antonii Orlandi* de Typographicæ artis origine & progreſſu Opere excerpſit. Nomina virorum doctorum, per quos profecit, ut infame illud plagii crimen a ſe amoveret, candide atque ingenue indicavit, & ſummam, quantum fieri potuit, diligentiam accurationemque adhibuit. Nihil igitur jam addimus amplius, quam ut vota faciamus pro ſalute Cel. Autoris, ut *duos poſteriores Tomos*, quos prelo paratos ſe jam dudum habuiſſe ſcribit, horum *Annalium* propediem cum orbe literato communicet, & deſideratiſſimo huic Operi finem imponat exoptatiſſimum. Quem nuper *duobus Voluminibus* in Opus *Annalium* univerſum publicavit Indicem locupletiſſimum, proxime in ipſis *Actis* copioſius commemorabimus.

JO. LAUR. MOSHEMII HISTORIA TARtarorum eccleſiaſtica. Adjecta eſt Tartariæ Aſiaticæ ſecundum recentiores Geographos in Mappa delineatio.

Helmſtadii, apud Fridericum Chriſtianum Weygand, 1741, 4. Alph. 1 plag. 4.

A potiori ſolet arceſſi denominatio. Idem in hanc Hiſtoriam congruit. Autor ejus exſtitit *Hermannus Chriſtianus Paulſen*, Gluckſtadio-Holſatus, juvenis doctiſſimus, quem Ven. Abbas exhortationibus inflammavit, ut ipſe, quippe qui præ ceteris id præſtare poſſe videbatur, totum hoc argumentum ſedulo pertractaret. Dignum omnino eſt hoc ſcriptum nomine Ven. *Moshemii*. Hic enim Autori facem prætulit, materiam omnem ſuggeſſit, & librorum fecit copiam, ipſum quoque ſcripturæ genus multis in locis mollius reddidit & exquiſitius. Quibus permotus bibliopola veritus haud eſt, magnum Antiſtitis nomen libro huic præfigere. Commentatio ipſa in *Sectiones duas* eſt diſtributa. *Prior* exhibet *capita tria* hiſtorica; *poſterior* offert

fert monumenta & Epiſtolas, quarum autoritati *Pars prior* eſt ſuperſtructa. *Capite Sectionis prioris primo* recenſentur fata rei Chriſtianæ in Tartaria ante *Gingiſchanum*. Tatarorum gens proprie unam duntaxat ſignificat tribum ex multis illis gentibus, quæ hodie eo nomine inſigniuntur, habitantem partim in ora fluminis Janiſeæ, partim Chatajam verſus. Tzina ſeu Pag. 2.
China olim diſtincta fuit in borealem & meridionalem, illam Chatajam, hanc vero Mangi ſeu Maſinam, appellatam. Tradunt nimirum Tartari ſeu Tatari, *Japhetem* reliquiſſe filium nomine *Turck*, cui principatum & imperium in fratres tradiderit; & ab hoc univerſam gentem deſcendere ſuam. Inter *Turcki* poſteros *Alanza Chan*, ex fide Tartarorum, duos reliquit filios, *Tatar* & *Mungi*, Tartarorum unde & Mungalorum tribus fuerint exortæ. Videntur maximam Scytharum partem *Neſtoriani* Tartaros vocaſſe, eo quod Mungalorum gentem ignorabant. Tartaria non uno modo dividitur. Ejus li- 5.
mites orientales ſunt nondum extra dubitationem collocati, licet *Petrus I*, magnus Ruſſorum Imperator, ut populos, in his terris viventes, redderet notiores, nulli operæ pepercit. Initia religionis Chriſtianæ eo inductæ ſunt ſatis obſcura. *Tho-* 5.
mam, Apoſtolum, Chinas adiiſſe, omnibus fit vero abſimile. Videtur India, in quam veteres S. *Thomam* profectum eſſe fe- 7.
runt, Perſia fuiſſe. Ex Syriacis tamen monumentis elucet, in Choraſana & Mavalnahra provinciis religionem Chriſtianam Seculo IV jam floruiſſe. *Arnobius* Seres refert inter populos, qui Chriſti doctrinæ acceſſerunt, ſcriptor Seculi III. *Salibazacha*, ineunte Seculo VIII, Sinæ exſtitit Metropolita. Quidni itaque Tartaria eito ſatis Chriſtianæ religionis luce fuit colluſtrata? Celebre illud monumentum Syro-Sinicum, quod ſupe- 9.
rioris Seculi anno 25 in urbe Singan fu, provinciæ Xenſi capite, in China erutum fuit, controverſiis illuſtre, Autor exiſti- 10.
mat eſſe genuinum, ſiquidem doctrina *Neſtorianorum* potius, quam Latinorum, in illo proponatur. Ex *Coſma Indicopleuſte*, Monacho *Neſtoriano*, potuiſſet is etiam huc nonnihil transfer- 12.
re. Seculo IX Chriſtianorum haud pauci in China fuerunt inventi. Seculo XIII ibidem adhuc multi Chriſtiani fuerunt

commorati, teſte *Marco Paulo Veneto*. De *Presbytero Joanne* diſſerit Autor ſatis ſolide, eumque in Aſiæ regione flo-
Pag. 22. ruiſſe, quæ, Chinarum imperio contigua, hodie *Tenduch* & *Tenguth* vocatur, contendit. Ipſe autem fuit Chriſtianorum
27. ibi Princeps non unus. Ultimum horum Principum celeberrimus Tartarorum Imperator *Gingschang* debellavit, *Togrul* ſeu *Tayrell* vocatum, *Neſtorianæ* ſectæ addictum. Incidunt
29. hæc in Seculum XII. *Capite ſecundo* Autor recentiora perſequitur, ac in ætate *Tamerlanis* ſubſiſtit. *Gingis-chani* geſta
40. perſpicue exponit. *Zagatajum*, ejus filium, in civitate Samarkanda divinam Chriſti doctrinam publice profeſſum fuiſſe, docet. Legationes Pontificis Romani *Innocentii IV* in Tarta-
45. riam recenſet. Dominicanos ad Tartarorum regiones prædicandi Evangelii cauſa emiſſos ea ætate fuiſſe, oſtendit. Franciſcanorum ad *Kajukum*, Tartarorum Chanum, legationem
50. copioſe exequitur. *Neſtorianorum* & *Jacobitarum* conjunctionem cum Latinis eccleſiaſticam, quæ exſtitit temporaria, & in medium Seculum XIII incidit, attingit. *Ludovici IX*, Gallorum Regis, legationem ad magnum Tartarorum Chanum haud omittit delineare. *Kajuko*, A. 1249 humanis rebus exemto, ſucceſſiſſe *Mongu*, nepotem *Gingſchani* ex *Thaulai* filio, eundemque
53. a Rege Armeniæ *Haithono* ad ſacra Chriſtianorum ſuſcipienda eſſe adductum, demonſtrat. *Halakum*, ducem ejus bellicum, Chri-
59. ſtianis ſeſe aggregaſſe, ſignificat. Succeſſiſſe Regi *Mongu* fratrem *Coplajum*, fratrem æque *Halaki*, qui in Syria ducem *Guibogam* cum 10000 Tartaris reliquerat, adjungit. Aſſaſſinos,
63. populum Phœnices crudelem, quos *Halakus* delevit, dictos credimus ex שסה, *diripiendo*, *deprædando*. *Halako*, A. 1265 mortuo, filius *Abaka* ſucceſſit, Chriſtianorum amicus, & maritus *Mariæ Palæologæ*, ex *Michaele*, Græcorum Imperatore, procreatæ. Latini ad Tartariam eccleſiæ ſuæ adſciſcendam ſæpius animum appulerunt. Leviores tamen eorum in Tartaria vi-
68. dentur progreſſus, ſi illi comparantur cum iis, quos *Neſtoriani* in Tartariæ terris eodem tempore fecere. Hi enim Epiſcopos ſuæ ſectæ habuerunt in China & Tartaria. Tranſit deinde
71. Autor ad *Tangodorem*, qui *Abacam* excepit, Principem Chriſtianis

ſtianis primo amicum, deinde infenſiſſimum, *Muhammetis* ex quo aſſectator eſſe cœperat. *Argonus* contra, *Achmeto* ſubłato, & a *Coplajo* in regno confirmatus, Legatos ad Pontificem Pag. 73.
miſit A. 1285 & 1288. Franciſcani A. 1289 ex Tartaria Romam venerunt, per decennium antea Evangelii indidem prænones, & eodem rediere. Floruiſſe ea ætate religionem Chriſtianam in Tartaria, Autor argumentis haud ſiculnis demon- 79.
ſtrat. *Argonus* enim & *Baidus* religioni Chriſtianæ haud offecerunt. At, hiſce defunctis, ſucceſſit *Gaſanus*, qui in gratiam 83.
Muhammedanorum Chriſtianos vexavit. De religione *Coplaji*, qui totum regnum Chinenſe ſibi dicitur ſubjeciſſe, Autor in utramque partem diſputat, negans tandem, illum Chriſtianæ doctrinæ fuiſſe ſtudioſum. *Gaſano* in Tartaria occidentali ſuc- 90.
ceſſit *Chodabenda*, qui *Muhammedanis* ſeſe aggregavit. Adjungit id porro Autor, *Jaballahum*, *Neſtorianorum* Patriarcham, fruſtra dici literas ad *Benedictum XI.* miſiſſe, ſedique Romanæ ſeſe ſubjeciſſe. In China & Chataja tunc temporis religionem Chriſtianam caput extuliſſe lætam, lectori idem perſuadet. *Jo-*
annes enim *de Monte Corvino* nil reliquit inexpertum, ut cœtum numeroſum Chriſto in Charaja colligeret, quem Pontifex 93.
A. 1289 in Tartariam miſerat, & qui Archiepiſcopus Cambalienſis factus fuit. Commemorat idem *Odorici de Foro Julio*, 100.
ac aliorum Franciſcanorum, itinera in Tartariam. Multa quidem præclare ab iis geſta nuntii, quos in Europam miſere, narrarunt; monet vero Autor, relationibus ejusmodi caute circumſpecteque fidem eſſe habendam. *Abuſaidum* A. 1336 106.
mors abſtulit, ultimum Tartarorum Chanum, qui in iis, quæ occidentem ſolem ſpectant, regionibus ſummum tenuit imperium. Inteſtinas competitorum concertationes finivit *Tamer-* 113.
lanes, qui vi armisque provincias, de quibus pugnabatur, occupavit. In Chataja tunc temporis floruiſſe Chriſtianæ religionis cultum, ac Tartaros orientales ad Pontificem amandaſſe Legatum, Autor venuſte & fuſe demonſtrat. A. 1368 Tarta- 114.
ros & Chriſtianos ex China a duce quodam *Tſchu* ejectos eſſe, addit. *Capite tertio* hiſtoriam rei Chriſtianæ in Tartaria a *Tamerlane* ad noſtra uſque tempora exponit idem. Inprimis 121.

docet, *Tamerlanem Muhammedanæ* religioni haud fuiſſe addictum. Ediſſerit religionem, qua Tartari nunc utuntur, partim *Muhammedanam*, partim ſimulacrorum cultui faventem.

Pag. 133. 137. Lamas a Chriſtianis deſcendere, negat. Subjungit hæc tandem: *Nobis quidem multo turpior Dalai Lamæ & reliquorum Lamarum parens videtur eſſe. Faciemus periculum, an in tanta rerum caligine facem aliquam accendere valeamus. Narrant rerum orientalium ſcriptores, & docent plurimi Deorum in Aſia cultores, antiquiſſimis temporibus hominem in his regionibus vixiſſe, qui cultum idolorum, & doctrinam de animarum migratione, primus docuerit; hunc parentem eſſe Sammanæorum, qui eadem profitentur. Diverſa huic a diverſis tribuuntur nomina. Hieronymus, Clemens Alexandrinus, aliique, eum* Buddam *appellant; a Siamenſibus* Sommano Codom, *a Chinenſibus* Fo *ſive* Foe, a *Japonenſibus* Xekia, *ſive* Xaka, *vel* Schaka, *nominatur. Nam, varia hæcce nomina uni homini eſſe propria, ea, quæ de ipſo perhibentur, quæque ſatis inter ſe conveniunt, declarant, & ab eruditiſſimis viris jam eſt obſervatum. Varia de eo referuntur commenta, quorum præcipuum eſt, ipſum ſæpius mortuum, mutato habitu, in vitam rediiſſe. Hic, quod diximus, Deorum cultum & animarum migrationem ſectatoribus ſuis, dum viveret, inculcavit. Sed, appropinquante morte, larvam exuit, &, convocatis diſcipulis, omnia, quæ adhuc docuerat, vana & falſa eſſe perhibuit. Addidit, unicum rerum omnium principium & cauſam eſſe vacuum atque nihilum, ex hoc omnia*

138. *profecta, huc reverti. Impoſtoris, vel potius athei, hujus ſectatores in duas ſe ſeparaſſe familias, mihi perſuadeo. Alii arcanam ejus doctrinam profeſſi ſunt, & vacuum atque nihilum pro rerum omnium exiſtentium cauſa habuerunt; alii publicum ipſius ſyſtema receperunt, & cum idola coluerunt, tum antiquiſſimum Orientalium errorem de animis ex uno corpore in aliud deſcendentibus publicarunt. Illi in regno Siamenſium ad hodiernum uſque diem commorantur; hi vero in Tartaria partim, partim in Chinarum imperio, hodie verſantur, & cultum Deorum moderantur. Priores a civibus ſuis, regni Siam incolis, Talapoini appellantur; poſteriores Chinenſes Hochang, Japonenſes, vel Europæi potius,*

potius, Bonzios, & Tartari Lamas, vocant. Omnibus hiſce ſacrorum miniſtris magnus ille Lama præeſt. Ab omnibus divino honore colitur, omnes ei potentiam atque ſcientiam, nullis limitibus circumſcriptam, tribuunt. Quæ quidem omnia facile nos adducunt, ut Dalai Lamam pro ſucceſſore hujus Foes ſive Xakæ habeamus, vel a cultoribus ſuis pro eo haberi credamus, in quem anima hujus impoſtoris poſt longam temporum ſucceſſionem tranſierit, vim ſuam divinam in eo exſerens. Suſpicamur, illum impoſtorem *Fo* eſſe Ægyptium Regem & Philoſophum *Suphin*, qui tranſitum animarum fictum & idolorum cultum orbi obtruſit, doctrinamque de creatione omnium rerum repudiavit. Sectatores opinionum tam inſulſarum conjectamus vocari in ſacris literis בני הנכר, *filios peregrini*, ipſum vero jam in libro *Joſuæ* vocari *alienum* הנכר, ac cultus idolorum inventorem. De reliquo Autor merito ſpem abjicit, qua quidam obfirmati, ſibi perſuadent, fore, ut Jeſuitæ in *Delai Lamæ* domicilio ſeu oppido initia religionis Chriſtianæ diſſeminent, ac robore communiant ſecuro. Quantum ad monumenta & Epiſtolas attinet, his ſplendor & argumentorum firmitas conciliatur libro. Ex libris ſane pretioſis, & ex parte raris, illa curavit Ven. Vir huc transferenda.

EXAMEN DE L' ESSAY DE MONSIEUR POPE
ſur l' Homme, &c.
hoc eſt,
EXAMEN TENTAMINIS, A DOMINO POPE ſcripti de Homine, concinnatum a PETRO DANIELE CROSA, Socio Academiarum Regiarum, Scientiis addictarum, Pariſienſis & Burdegalenſis.

Loſanæ, impenſis Marci Michaelis Buſqueti ac ſociorum, 1737, 8.
Plag. 11.

Cel. *Croſa* ut compagem doctrinæ philoſophicæ, quam Ill. quondam *G. G. Leibnitius*, fama ſuper æthera notus, profeſſus fuit in ſcriptis, redderet ſuſpectam pro more, & criminoſam pro deſideriis conſortum, calamum ſtrinxit in excellentiſſimum

tiſſimum Angliæ Poetam, qui ipſi videbatur ſyſtema doctrinæ *Leibnitianæ* carmine complexus, idque immortalitati conſecraſſe. Ut appareat Lectori, quantum ſibi heroem, quocum depugnet, delegerit, ſignificare juvat, ex judicio *Croſæ Po-*
Pag. 13. *pium* eſſe *imbecillem, cæcum, ac exiguum verſificatorem.* Quantula, obſecro, gloria manebit refutatorem, ſi tantillum ſibi depopoſcit athletam! Cel. *Croſa* geminum ſibi propoſuit ſcopum, in eo poſitum ſcilicet, primo ut ſcita *Leibnitii* recenſeret & refelleret, deinde ut *Popium*, eorum præconem, inſe-
35. ctaretur, atque approbatione ſuffragiisque aliorum orbaret. Promittit præterea tralationem Gallicam & emendationem Diſſertationis ſuæ philoſophico-theologicæ *de Mente humana, ſubſtantia a corpore diſtincta & immortali*, A. 1726, 8, Groningæ luci expoſitam. Sunt, qui ei inſtituto applaudunt, minus contenti ſtilo horrido, methodo *Ramiſtica*, ac variarum propoſitionum mutuo conflictu. Mirum ſane, ipſum in Diſſertatione ſibi potuiſſe haud temperare ab odio, quod effudit in *Leibnitium* ibi *pag. 25, 26, 29, 151, 187, 222, 224*, in *Wolfium pag. 26, 115, 219, 221, 27, 116, 35, 110, 121, 122, 123, 124, 129, 133, 138, 139, 188*, ac in *Bulfingerum pag. 134, 208, 136, 140*, immo in Metaphyſicam *pag. 111, 112, 252, 254, 261, 129, 138, 150, 162, 189, 209*, licet ſtilus ejus, quo utitur, Latinus ſtribliginem & voces plus quam philoſophicas præferat. Idem in Diſſertatione illa impingit Philoſophiæ *Leibnitianæ* contemtum religionis *pag. 186*, æternitatemque mundi *pag. 115*, & exagitat harmoniam præſtabilitam *pag. 143, 219, 240, 243 ſeq.* ferre non poteſt, Deum vocari ſubſtantiam, vi repræſentandi ſibi omnia poſſibilia præditam, *pag. 144, 219, 220*, reprehendit determinationem volitionum neceſſariam *pag. 123 ſeq.* ipſamque prævisionem futurorum *pag. 184*, credit, dari æqualia, *pag. 209*. Hæc denuo repetit Vir doctus, ratus, contradictoria eſſe credenda, *pag. 205*, dari compoſitionem ſtaminum, e quibus corpora conſtant, infinitam, *pag. 29*, ideoque haud dari *monadas*, ſeu ſimplices ſubſtantias, *pag. 27*, ſufficere, ut quis velit quid, ſubſtantiam, opus haud eſſe ratione, cur velit, *pag. 120*, contingens eſſe id, quod nos latet, *pag. 198*, animæ deberi corporis motum, *pag. 100*, licet neget, inde conſtare

conſtare phyſicum influxum, *pag. 202, 203*, animam velle citra argumenta *pag. 75, 107, 113, 122, 134*, colores haud exiſtere in objectis *pag. 80*. Nihilo minus largitus fuit, imperfectionem rerum eſſe ex origine eſſentiali finitorum repetendam *pag. 69*, prævisas eſſe a Deo omnes mentium finitarum cogitationes possibiles ſub omnibus circumſtantiis *pag. 92*, conatus corporibus eſſe eſſentiales *pag. 70*, dari neceſſitatem naturæ in cogitationum ſucceſſione *pag. 74, 81, 85, 75, 77*, animam ſeſe determinare *pag. 108*, darique cauſas, voluntatem determinantes, *pag. 183, 113, 205, 200, 119, 178, 201*, non dari experientiam de modo unionis animæ cum corpore *pag. 202, 203*, ſyſtema cauſarum occaſionalium aſſenſu eſſe indignum *pag. 160, 92*, harmoniam dari inter corpus & animam, concomitantiam præſtabilitam, *pag. 92, 93, 98, 115, 236*, corpusque in animam non agere *pag. 100*, motum eſſe aliquid activi *pag. 185, 68*. Hæc extrema ſingula, ſi inter ſeſe connectantur, a Cel. *Croſa* penitus conceſſa, ſyſtema fundunt fundantque *Leibnitii*. Sed, cum paſſim haſce propoſitiones rurſus labefactavit ſuſtulitque eadem in Diſſertatione, quid de ipſius refutationibus anti-*Leibnitianis* ſentiendum ſit, facile patet. Inprimis id notandum, Cel. *Croſam*, adverſus *Popii* Poema ſcribentem, omiſiſſe in recenſendo *Leibnitii* ſyſtemate *pag. 17 ſeq.* id, quod eſt palmarium, & obex ſexcentarum objectionum, nempe Deum prævidiſſe ſpirituum & animarum liberas cogitationes ac libera decreta, quæ ſub quibuscunque circumſtantibus momentis apparitura erant, & haſce cogitationes in mundo divinitus electo non dependere ab electione mundi, vel a machina, vel a fatali neceſſitate, ſed a libertate mentis, eas proferente. Ea, quæ ad liberas hominum actiones attinent, in ſyſtemate *Leibnitiano* traduntur a Deo eſſe prævisa, & antecedere ordinis ratione decretum Dei, quo mundum finibus ſapientiſſimis convenientiſſimum produxit. Eadem prævisio & idem ordo locum habet in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ. Sed ad rem. Cel. *Croſa* primo exagitat hoc ſyſtema, illudque ad riſus excitandos in formam minus placituram componit. Addit tandem illud *pag. 22*: *Fremo, nec virium mihi ſatis eſt ad exprimendas conſequentias hujus ſyſtematis reſpectu* Pag. 18 ſeq.

Moſis & Prophetarum, Muhammedis, ejuſque ſectatorum. Simul permiſſionem mali credit eſſe mundo optimo in ſyſtemate *Leibnitiano* eſſentialem. Pag. 23. Ut vero eam reddat detreſtabilem, ita diſſerit: *Neceſſum, in eo mundo inveniri beneficos, percuſſores, perjuros, proditores, impoſtores omnium ſpecierum.* Memoriam recolimus illius, a Chriſto pronuntiati, *Matth. XVIII, 7*: Ἀνάγκη ἐϛὶν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα· πλὴν οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται. Ex neceſſitate ejusmodi hypothetica deinde colligit, ſupervacuas eſſe leges, illis facinoroſis oppoſitas, in ſyſtemate *Leibnitiano*, videlicet in eo, quod, invitis bonis omnibus, hic vel ille ſibi denuo finxit. Diſtinguent igitur alii merito inter merum *Leibnitii* ſyſtema, & ſyſtema *Leibnitii*, quale id Cel. *Croſe* ſodalibusque ejus apparet. 24. Ex eo fonte profluxit id, quod Autor exiſtimat, fœminam, marito quæ manus violentas mortemque inferat, nil egiſſe mali ex ſyſtematis *Leibnitiani* præſcripto. 25. Addit hiſtoriolam de viro Scoto, filio ſuo quieta deliberataque mente vitam eripiente. Adjicit clauſulam: *Hic nondum fuerat initiatus ſyſtemate* Leibnitii, *alioqui dixiſſet: univerſum hoc fuiſſet turbatum, niſi machina mea hunc luſiſſet ludum.* Simul ac ſyſtema *Leibnitii* de mundo optimo recenſuit ſecundum ingenii ſui præſtantiam, adjecit hæc: *En, Domine, ideam ſyſtematis ſi nos terminis ita conſtringamus, ut id conferamus in pauca, pars ejus manet occulta, nec offert animo horrorem omnem. Conſtitui illud diductiori tractatione exponere, ac ideam hanc latiſſime evol-* 26. *vere. At id fiet alio Opere. Venit in mentem, te flagrare deſiderio ex me cognoſcendi, an credam, Dominum* Popium *re vera hoc ſyſtema adoptaſſe. Reſpondebo tibi, me, quo minus id credam, impediri, uſquedam compluribus argumentis ad id credendum inducar, quam quæ in libro ejus reperiuntur.* Id Cenſor reprehendit in *Popio*, quod vias rationesque agendi, Deo proprias, approbare dubitantibus voluerit, cum tamen hominis cauſam agat, Deumque veluti mali cauſam dimittat minus excuſatum. Notat Cenſor, *Popium Libro primo* ſubjeciſſe clauſulam contradictione laborantem: *Quicquid exiſtit, id eſt bo-* 27. *num.* Applicat hæc ad actiones ſceleratas Cenſor, ut abſurditatem

tatem propoſitioni inferat, neſciens, vel neſcire recuſans, id, quod legi repugnat & vitioſum eſt, conſiderandum eſſe vel phyſice, vel moraliter. Moralis illa repugnantia ſeu ἀνωμαλία non eſt *poſitivum quid*, ſed defectus & privatio. Quare rationem non videmus, cur *Popii* clauſula non ſit egregia, orbisque conſenſu digna. Difficile haud eſt oſtendere, Cel. *Croſam* eam philoſophandi rationem, quam oppugnare adortus fuit, animo ſuo longe aliter informaſſe, quam ejus autor & ii, quos præpoſtera aliis placendi libido nondum ad alteram partem projecit, facere conſueverunt. Syſtema enim *Leibnitianum* putat carere ſubſtantiis, agendi libereque concupiſcendi facultate præditis, bonum vero & malum, virtutem & vitium, conſequi in eo, immutabilem inevitabilemque in modum, congruenter conſtructioni entis cujuscunque, primique motus naturæ conformiter, quem creator ſubſtantiis impreſſerit. Credideramus, Virum ſummum ex definitionibus propoſitionibusque *Leibnitii* verum ſyſtema *Leibnitianum* fuiſſe demonſtraturum, ut lector intelligeret, exhiberi genuinum, non fictum, *Leibnitii* ſyſtema. Sed dolemus merito, ſpe nos excidiſſe noſtra. Oratorias deprehendimus ibi exercitationes, philoſophicæ demonſtrationis propemodum nihil. Recurrit perpetuo illud, quod pro certo poſuit Autor fundamento, libertatem humanam in ſyſtemate *Leibnitiano* ruere in præceps perimique. Vetus reſuſcitatur querela, reditque labor actus in orbem. Notum quoque reddit, compertumque declarat univerſis, ſeſe quæſtionem de libertate humana tractaſſe in *Logica* ſua, copioſius in *Latina*, ac noviſſime in *Compendio Logices*, in *Examine Pyrrhoniſmi*, & in Opere Latino *de Mente humana*, cujus enuntiationes, *Leibnitiano* ſyſtemati ſimillimas, paulo ante delibavimus. Mirari ſubiit, Cel. Virum in ea eſſe hæreſi, mentem humanam vocari συνονύμως a *Leibnitii* admiratoribus *animam*, *ſpiritum*, *ſubſtantiam cogitantem*, *cogitationes modificantes ſeſe*, *monades*. Addit id quoque, ſectatores Philoſophiæ recentioris non poſſe in homine veram agnoſcere libertatem, ſed eam Deo detrahere malle, quam ideam ſuam de libertate pro contradictione reputare. Ubi vero & quomodo hi ſic ſta-

Pag. 30. 31. 34. 38. 40.

tuant, ipſe demonſtrare intermittit, ratus, ſufficere, ſibi ita videri. Hinc libertatem probat ex rotunditate terræ, ex jugo montium, ex ſuperficie telluris, e duobus hemiſphæriis conſtante; quaſi *Leibnitius* docuiſſet, partes orbis terrarum, earumque adjuncta, non potuiſſe aliter conſtitui, ſi Deo, ſapienter libereque decernenti, ita viſum fuiſſet. Qui hiſce partibus contingentiam tribuunt, ii ſimul libertatem Dei reddunt ſtabilem, libertatem puta illam, quæ ſapientiam includit, nec unquam, hac ſepoſita, exercetur. Sapientiæ innexus eſt finis, ejusque perpetua obſervatio. Finem adminiculis, quæ vocant *media*, exuere, eadem vetat ſapientia. Ubi autem adminicula præſto ſunt, quæ finibus ſubordinata ſpecialibus intelliguntur, ibi finem univerſalem, ad quem hi denuo tendant, exiſtere pateſcit. Libertas itaque applicata & effectui data non poteſt eſſe effectus ſine cauſa; & applicationi ſubeſſe illi ſolet id, quod movet & impellit potius ad agendum, quam ad non agendum. Ubi ſunt *motiva*, ibi exſtat ratio ſufficiens, *) cur hæc potius agantur, vel non agantur, quam alia. Potuit ſane Deus terram inſtruere ſecundum formam quadratam. Hæc vero ipſi diſplicuit. Num itaque citra rationem delegit proxime ſphæricam? Num nullus finis, nulla ſapientia, huic delectui cohæſit? Sed id quoque memorandum, adverſus *Popium* multa *Croſam* monere de numeroſiſſimis diſcipulis, qui recentiorem ſuſpiciant Philoſophiam; eorumque ſuffragia per modum
Pag. 43 ſeq. fabulæ Romanenſis exagitare. Paſſus fuerat, *Popium* haud amplecti *Leibnitianum* ſyſtema; id potius eſſe perobſcurum. Quid itaque ad poema *Popii* faciunt ea, quæ Cel. *Croſa* de conditore ſyſtematis novi philoſophici, ac indole diſcipulorum ſe. aſſectatorum ejus, copioſe intexit? Dolemus ejus vicem, qui univerſis Philoſophiæ recentioris ſuffragatoribus ambitioſos, lucri

*) Quicquid enim exiſtit (& fit), illud gaudet ratione ſufficienti vel intra eſſentiam ſuam, ut Deus, vel extra illam, quare exiſtat & agat hoc vel alio modo. Id inculcatur a Ven. *Joachimo Langio* in *Cauſa Dei Tom. I Poſt. H pag. 3, 195*, a *Sherlocko de Providentia Dei Cap. 2 pag. 26*, a Cel. *Hoffmanno de Fato phyſico & medico* §. 25, & ab ipſo *Croſa* in *Tent. Metaphyſ.* §. 26 *pag. 9.*

cri plenos, aliosque fines & rationes abſurdas, cur calculum album paſſim *Leibnitianæ* adjiciant doctrinarum compagi, af- Pag. 46.
fingit, omnesque illos ſtudio partium vaniſſimo laborare, ſibi perſuadet, qui Metaphyſicam & Philoſophiam ceteram recentiorem haud adſpernantur. Sed nondum omnem ſuam protu- 47.
lit indignationem. En hiatum inſignem: *Supereſt alius locus, plane accommodatus defenſoribus iſtius ſyſtematis recentioris pudore ſuffundendis, atque deſtruendis illis, proprius, qui honori generis humani inſerviunt.* En verba Gallica: *Il eſt encore un autre endroit bien propre à couvrir de honte les defenſeurs de ce Siſteme, & à mortifier ceux, qui s'intereſſent à l'honneur du genre-humain.* Deſtinatio ſane partim excelſa, partim turpis! Adeo idem inverecundus eſt, ut eos, quotquot recentiorem amant Philoſophiam, maximo rapi patet præcipitio ad Liber- 48.
tiniſmum, ut eis tribuat mentem Deo immorigeram ac guſtum minus juſtum, cupiditatem conculcandi regulas morum venerabiles, citra ullam animi moleſtiam. Tantus hic Vir ſummus eſt καρδιογνώστης! Deſideraveramus argumenta & arma firmiora a Philoſopho tam erudito & tam exculto. Sed qualis ipſi videtur *Popius?* Hic ipſi videtur factus ad percenſenda facta 50.
maxime incredibilia, ac ad edendas notiones omni veriſimilitudine & ſenſu communi deſtitutas. Parum abeſt ſane, quin hunc Poetam in beſtiam convertat. Qui conſequentias odioſas deamant, eorum eſt, huc arrigere aures, ac ſolvere didactra. Syſtema porro *Leibnitii* appellat ſyſtema abſurditatibus plenum. Id ut perſuadeat lectori, ſenſim formas centum & 66.
ultra aſſumit texturarum, ratus, in ſyſtemate *Leibnitiano* confundi morale cum phyſico, ac deſideria cum affectibus in eo eſſe ſucceſſiones inevitabiles concatenationis æternæ, idque eo 82.
nomine eſſe horrore dignum, adeo, ut ſufficiat illud propoſuiſſe ad viros honeſtos averſatione & indignatione percellendos. En accuſationum cumulos majores! Cel. *Croſa* ſic ratiocinatur *pag. 92: Hypotheſis Leibnitiana evertit funditus ideas ſimplices & naturales, moralitatis, juſti, injuſti, ejusque, quod laude & pœna eſt dignum: mentibus, intelligendi facultate præditis, non eſt integrum aliter agere, ac agunt. Illæ nil volunt,*

niſi illud, quod ipſæ modo inevitabili velle debent. Denuo eſt monendum, in ſyſtemate *Leibnitiano* non velle nos hoc vel illud, quia id ita ſemel a Deo inevitabiliter & neceſſitate abſoluta conſtitutum, ſed quia Deus prævidit ea, quæ homines pro libertate ſua erant omiſſuri & ſuſcepturi, atque, liberrime ut ea effectui darentur, decrevit ſapienter. Actiones hominum liberæ ſeſe habent antecedenter ad decretum Dei, & hoc ad moraliter malas actiones pertinet permittendo, ad moraliter bonas viresque phyſicas approbando & concurrendo. Bene Ven. *Joachimus Langius* in *Cauſa Dei Tom. I pag. 233: Actus* (liber) *non dependet a præſcientia, ſed hæc ab actu, utpote futuro, etſi* (hypotheſin fingit impoſſibilem) *nulla eſſet præſcientia.* Syſtema *Leibnitianum* ex ſenſu & voto Cel. *Croſæ* hoc nititur ordine: Actus omnes liberi motusque in mundo procedunt ex immutabili divino decreto, & hoc nullam actionum liberarum præſcientiam ſupponit, ſed eſt cum omnibus eis, quæ fuerunt decreta, abſolute neceſſarium. Hoc ſyſtema, fœtum ſuum, debellat Cel. *Croſa* per univerſum hoc *Examen.* Largientur omnes, quotquot gaudent ſenſione humana, hoc ſyſtemate tolli libertatem, everti moralitatem, evaneſcere leges, præmia, & pœnas, nihilique eſſe religionem omnem. Cum hoc commento dimicat longe lateque Vir, omni elogio noſtro major; quam dimicationem ſi libro exemerimus, paucula ſupererunt, quæ ad *Popium* emendandum, vel potius reprehendendum, ſpectant, Poetam excellentiſſimum, de quo ipſe Cenſor pronuntiat, incertum eſſe, an ille ſyſtemati *Leibnitiano* exſtiterit addictus. Subjicimus Cel. Viri judicium ex *pag. 192: Eſt malignæ indolis indicium, voluptatem ex percenſitis aliorum nævis erroribusque capere. Qui hujus eſt commatis, ea, quæ legit, in deteriorem partem interpretatur, ut ipſi ſuppetat abunde, quod reprehendat. Si is vero infelici gaudeat facultate enuntiandi eleganter cogitata de nævis alterius, ac eos exaggerandi, immittit venenum malignitatis ſuæ in animum auditorum aut lectorum.* Planetæ aſtri *Syricus*, qui *pag. 198* commemorantur, ab aliis appellantur, ſi qui ſunt, planetæ *Sirii.* Calcat ubique Vir ſummus *Leibnitium*, & in cauſa eſt, ut alii

reminiſcantur *Diogenis*, qui ad *Platonem*, *Calco*, inquiebat, *Platonis faſtum*, reſpondentem ſtatim: *ſed majori faſtu.*

Betrachtungen über die weiſen Abſichten GOttes bey denen Dingen, die wir in der menſchlichen Geſellſchafft und der Offenbahrung antreffen, ꝛc.

id eſt,

MELETEMATA IN SAPIENTES DEI FINES de rebus, quas in commercio ſocietatis humanæ, ac in divinioribus literis, deprehendimus, edita a JOANNE FRIDERICO JACOBI, Eccleſiaſte Oſterodæ urbis prope Herciniam.

Gottingæ, impenſis Chriſtiani Henrici Cuno, 1741, 8.

Alph. 1.

Illuſtriſſimi Domini ac Satrapæ provincialis, *Thomæ Eberhardi, de Ilten* cognominati, in ſinum ac patrocinium Autor Pl. Rev., qui Philoſophiam ſolidiorem cum Theologia ſororio conjugio copulat, merito conjecit *Meditationes* haſce, tum delectu, tum elaboratione fructuque ſaluberrimo, commendabiles. Cœperunt eæ jam A. 1738 per *Faſciculorum* ordinem Gottingæ in lucem prodire. Excrevit eorum numerus ad *ſenarium*, & A. 1740 poſtremus eorum publice apparuit. *Meditationes* in univerſis *Faſciculis* exhibentur *ſeptem*. Acceſſit eis tandem formula Dedicationis, Præfatio, *Meditationes* aliæ *quatuor*, & index rerum memorabilium. Optat vero is ipſe, ut Teleiologiam e Theologia revelata quis eadem compage exſtruat, quæ conſpicua ſit in Perill. *Chriſtiani Wolfii* libro, *de Finibus rerum naturalium* inſcripto. Noſtrum eſt, proponere oculis Lectorum argumenta ſingularum *Meditationum*, ut exhortemur ac excitemus alios, in clivo eodem laude non minori fudaturos. *Meditatione prima* inquiritur in rationem, cur Chriſtus a cruce haud deſcenderit, nec redivivus ſeſe populo univerſo oſtenderit. Deſcendiſſe Jeſum ideo affirmat, quod Judæi, Meſſiæ officia haud recte edocti, rebellionem in Romanos fuerint concitaturi, Pag. 7. 9.

citaturi, ac ita religioni Chriſtianæ impedimentum ſuboriturum fuerit ſatis grave. Eandem ob tationem Jeſum ſeſe teſtibus certis modo præbuiſſe vivum poſt reſurrectionem, pronuntiat. Addimus, odium procerum Judaicorum ne ſic quidem conquieſcere potuiſſe, quippe qui *Lazarum*, mirifice e morte revocatum, occidere paraverant. Præſenſerant ipſi, doctrinam Jeſu & opulentam ſuam ambitionem, conſervandis familiis pro-
Pag. 13. ſpicientem, adverſa fronte inter ſeſe pugnare. *Meditatione ſecunda* quæritur, cur Deus Tyrios ac Sidonios non emendaverit per miracula, qualibus, vigente Chriſti miniſterio, fuit locus. Reſpondet Autor, gratiæ divinæ adminicula ſemper eſſe
15. præſto, quæ ſaluti hominum ſufficiant; miracula vero affluentiora reſervari temporibus eis, quibus plures poſſint ad Dei civitatem aggregari, qualia exſtiterint tempora *Auguſti*. Addit, miracula ex ſcopo divino eſſe rariora, ac Meſſiæ reſervata fuiſſe illuſtriora. *Meditatione tertia* indagat rationem, cur
18. Deus gentem ſuam ſub Vet. Teſt. plerumque invitamentis, a temporali felicitate deſumtis, ad veram incitaverit pietatem.
21. Oſtendit vero, illum agendi modum Idoli priſci ævi fuiſſe accommodatiſſimum. Legi hæc digna eſt *Meditatio* ex integro. *Meditatione quarta* quærit Autor, cur Deus malum haud ſem-
27. per citra interventum alterius ipſe puniat. Reſpondet ipſe, lenitatem Dei plus ſalutis ad civitatem mentium conferre, quam promti ſupplicii horrorem. Hæ *Meditationes* ſunt recentes. Nunc vero ad *Faſciculos* ipſos progrediendum. *Meletemate primo* de fine Dei primario, quem ipſe ſibi in creanda rerum univerſitate propoſuit, exponitur. Exiſtere Deum ſapientiſſimum, populari ratione, eaque ſolida, demonſtratur ex con-
31. templatione navigationis. Finem creationis collocat in comprobatione bonitatis divinæ, ejusque cum rebus creatis, ratio-
[illegible] ne haud expertibus, communicatæ, atque in manifeſtandis perfectionibus ſuis ad hominum felicitatem. *Meletema ſecundum* verſatur in exponendo ſapiente Dei fine, quem ipſe intendit in partu ac [illegible]miratibus infantum præ reliquis animan-
[illegible] ibus. Voluit nempe Numen ſapientiſſimum, ut infantes ab hominibus haurirent præparationem ad rationis uſum, ipſumque

que ſermonem communiem. *Meletema tertium* diſcutit finem & rationem, cur plurima vaticinia verbis figuratis ac obſcurioribus exhibita fuerint. Diſtinguit Autor illa in ſpecies duas. Aliorum enim eventus a libero hominis arbitrio, alia pendent a lege quadam neceſſitatis. Illa ſolent obſcure exprimi, ut homo moneatur, nec tamen vaticinii eventus eludatur. *Quarto Meletemate* edifſeritur ratio, cur Deus ſpecies carnium nonnullas a Judæis edi vetuerit. Diſcreviſſe hac ratione Deum Judæos a commercio gentium, ſimulacra venerantium, ac mendacibus numinibus affixarum, Autor ſcite & ingenioſe oſtendit, adſcita in ſubſidium viſione, *Petro* oblata *Act. X.* Nec tamen negat, rationes quoque ſubfuiſſe phyſicas interdicto. Hæc *Faſciculo primo* comprehenduntur. Gradum promovere lubet ad *Faſciculum ſecundum tertiumque*. *Meletemate quinto* explanatur ſapiens Dei ſcopus, quem cœlum ac infernus repræſentant. Locum *1 Cor. XV, 42*, de comparatione corporum beatorum inter ſeſe accipiendum eſſe, Autor negat, complexui orationis innixus. De reſurrectione corporis humani ita agit, ut objectiones & dubia removeat, atque idem corpus redivivum acceſſionibus quibusdam auctum iri tradat, provocans ad *1 Cor. XV, 36 ſeq.* & haud obſcure identitatem ad partes quasdam ſubſtantiæ conſtantes reſtringens. Beatitudinem cœleſtem tam vivide clareque depingit, ut lectorem deſiderio ejus inflammet teneatque. Infernalium pœnarum perpetuitatem confirmat, fierique per bonitatem Dei poſſe negat, ut improbi in cœlum adſciſcantur. Singulare eſt, quod ex bonitatis ac amoris Dei notione oſtendit, eum odiſſe improbos, eisque beatitudinem denegare. Bonitatem Dei damnatis etiam tribuere fructus ſui, pugnat, docens, ipſum moderari ac temperare pœnas commeritas maleficorum. Ne quis exiſtimet, Deum per omnipotentiam malignos æternum beare poſſe, provident. *Meletemate ſexto* tradit finem Dei ſapientem in repræſentata arbore cognitionis boni ac mali, ratus, hominis fuiſſe, conſuetudinem actionum bonarum addiſcere & contrahere. Si vero perhibemus, arborem illam fuiſſe utilem, nec tamen cibo ſalubrem, cauſa videtur dicta. Oſtendit ipſe, Jeſum hominem

Pag. 52. 76. 87. 91. 107. 124. 192. 199. 208. 221.

quoque ex miſeriis exantlatis didiciſſe confirmatam bene agendi conſuetudinem, *Ebr. II, 17, 18, IV, 15.* Conſentit *Starckius* in *Synopſi Bibliothecæ exegeticæ in Nov. Teſt. ad Luc. II,*
Pag. 228. *52.* Jeſum vero hominem exercitatione obtinuiſſe in bono confirmationem, Autori non debemus largiri, probe ſcientes, firmitatem ipſius moralem deducendam eſſe ex unione perſonali, nec ipſum ob præmium ſervaſſe legem divinam, quod in ipſius confirmationem redundaret. Fuit is ſemper a peccatis & peccatoribus diſcretus, natusque fuit, ut obedientia ſua nos redimeret, nobisque præmia promereret. Id probabile eſt, arborem boni ac mali ſic dictam fuiſſe, eo quod ea ſymbolum
249. ac monumentum fuit legis divinæ. Procedimus ad *Faſciculum quartum.* Exhibetur in ejus fronte appendix ad *Meletema ſextum*, ſuppeditans conjecturam de modo, quo cupiditates
257. pravæ a parentibus in liberos propagari poſſint. Animas hominum per creationem oriri, præmonet, refutaturus eos, qui negant, habitudines parentum malitioſas in infantum animas tranſferri poſſe. Perſuadet ſibi, eas in eo conſiſtere, ut ſenſio homini inſit ingratiſſima erga bonum, & ſplendor mali externus mentem ita titillet, ut repræſentatio rationis contraria
261. enervetur ac opprimatur. Utraque labes ab imaginationis vi ac robore poteſt derivari. Lubuit Autori labem communem, nobis inſitam, ab imaginatione matris incommoda & noxia, embryonem afficiente ſimul, repetere. Vocat tamen quodammodo in ſubſidium ſuccos parentum, e quibus embryo
297. progeneratur. Subjicit tandem, ſeſe nil niſi conjecturas hoc loco dediſſe. *Meletemate*, quod inſtat, *ſeptimo* exponitur de ratione, cur Deus per potentiam ſuam infinitam haud impediat tollatque malum. Qui norunt doctrinam *Leibnitianam* de mundo optimo, illi norunt, quid hac *Meditatione* comprehendatur. Miramur ſane, cur nemo eorum, qui doctrinam de mundo optimo refugiunt horrentque, nihil ad hæc retulerit, nec ſeſe commoverit ullo modo, quæ Autor ipſis hic pro-
330. poſuit enodanda. Qui Deo omnipræſcientiam detrahere allaboravit, ac eam ob cauſam doctrinam de mundo optimo, orthodoxis quippe & *Wolfianis* ex opinione ſua communem, ſo-

mniis

miis annumeravit, omnium celerrime ſeſe expedivit, permittens mundum caſui Deumque cæcitati, ut debellaret notionem illam, quæ dictitat, hoc univerſum, ratione temporis ſpatiique omnis conſideratum, finibus, a Deo ſapienter præſtitutis, convenientiſſime reſpondere. Succedit *Faſciculus quintus* ac *ſextus*, quibus inſertæ conſpiciuntur *Meditationes* ſequentes. *Meditatio octava* inſcribitur de ſcopo Dei circa Jeſu ſatisfactionem. Dis- Pag. 341.
ſerit in ea primo quidem Autor de Dei juſtitia & ſanctitate. Hanc ponit in perfectione intellectus ſumma, ac voluntatis integritate maxima, quæ nil niſi bonum & convenientiſſimum amat, & effectui dare ſtudet. Inde autem colligit, Deo placere non niſi perfecta, bona, ſcopo congruentia, eique diſplicere, quæ his ſunt oppoſita. Deo etiam minima eſſe curæ, oſtendit tum ex notione juſtitiæ, tum ex idea ſanctitatis. Pul- 350.
chritudinem ineſſe monadibus, dubitat, rerumque compoſitarum eſſe propriam credit, collocans eam in perfectione modorum compoſitionis. Recordamur inter hæc, Gallis probari 352.
etiam *bel eſprit*. Juſtitiam Dei appellat Autor ſapientem bonitatem. Subjungit hiſce Dei virtutibus conditionem hominis, 358.
labe infita & acceſſoria infecti, pœnasque exinde profluentes, tum naturales, tum poſitivas, ſeu arbitrio Dei aſſignandas. Syſtema ſubſtitutionis ſeu vicariæ ſatisfactionis egregie ſuccincteque firmat. Illuſtrat inprimis locum *Ebr. IX, 24-28*, ac ex illo 370.
ſyſtema id exhibet corroboratum. Deus Deo ſatisfecit. Incommoda videtur aliis hæc formula loquendi. Autori laudi ducendum, quod, incommodi id evaneſcere, oſtendit, ratus, fieri potuiſſe, imo ita eveniſſe, ut huic ſyſtemati inſit major perfectionum Dei declaratio, majusque evitandi peccati faſtidium. Eis vero, quibus viſus fuerat nimium rationi tribuiſſe, opponit annotationem, qua anguſtias rationis indicat, ſimul ac definiendum eſt ex rationis ambitu, quænam hujus univerſi actiones ac effectiones perfectionibus Dei ſint vel conſentaneæ, vel repugnantes. Nonne autem is, qui ſapientiam Dei, ex ope- 398.
ribus maximi ponderis ſpatiique conſpicuam, exponere contendit, aliquid tentavit, quod anguſtos rationis limites excedit? Ita eſt. At ipſe lumine ſplendidiori ſimul fuit uſus. Chri-

ſtus enim, qua redemtor & Meſſias, eſt *ſapientiæ divinæ* promtuarium, *1 Cor. I, 24*, ideoque œconomia ſatisfactionis vicariæ eſt ſpeculum, e quo ſapientiſſimi fines Dei relucent. Oſtendit præterea Autor, quomodo Deus dici poſſit 1) morte Jeſu nobis reconciliatus, 2) ac ſe ipſe nobiſcum reconciliaſſe, κατ-
Pag. 433. αλλάξαι. Succedit *Meditationi* huic Appendix, quæ eruit ex doctrina de ſatisfactione Chriſti diverſa virtutis colendæ invitamenta congruenter pronuntiato Perilluſtris *Chriſtiani Wolfii* in *Gedancken von der Menſchen Thun und Laſſen §. 677.* Fundamenti loco ipſe adhibuit locum *1 Cor. VI, 20*, nec alia conſi-
438. milia neglexit. Amolitur tandem temerarios doctrinæ de vica-
476. ria ſatisfactione ad pravitatem abuſus. *Faſciculo ſeptimo* libellus ipſe concluditur. *Meletemate nono* exponitur de cauſa, quæ Deum adduxerit, ut fidem ex parte noſtra conſtituerit in con-
496. ditionem juſtificationis. Juſtificari hominem credit tum demum, cum fides excitavit pœnitentiam male actorum, & eam vim obtinuit, ut hominem ad amorem cœperit inflammare.
512. Conditio aditus in regnum gratiæ, ipſo judice, eſt fides ſola; at conditio perſiſtendi in eo eſt fides, operibus ſanctis fœcunda, id eſt, fides & bona opera. Ex hac cautione elicuit mo-
530. dum conciliandi doctrinam *Jacobi* cum doctrina *Pauli*, ratus, vocem δικαιόεσθαι apud *Jacobum* eſſe ejusdem ſignificatus ac *declarari pro cive Chriſti confirmato ac perſiſtente.* Adjungit nonnihil de menſuris gradibusque cognitionis divinæ pro conditione ætatum mundi. Non fuiſſemus tam longi in argumentis libri recenſendis, ni pleraque eſſent novæ vel inveſtigationis, vel tractationis, ſpecimina, ſolide plerumque, diſerte, ac moderate modeſtiſſimeque, literis conſignata. Amœnitas civitatis cœlorum glorioſæ hic aperit ſeſe tanta, ut lector non poſſit non ad gaudia cœleſtia accendi, & deſideriis in cœlum rapi. Univerſa tendunt ad confirmationem veritatum divinarum, earumque graviſſimarum, ad fidem genuinam Deoque probatam, ad ſanctimoniam ſectandam, ad perfectiones Dei concelebrandas. O felix viretum, in quo fructus tam ſalubres ſeſe offerunt ac ſuppeditantur ſpectatori!

PRIMOR-

PRIMORDIA SUPERIORITATIS TERRITORIALIS Saxonicæ, ex antiquis Saxonum & Francorum rebus eruta, atque genuinis probata rationibus civilibus, a CHRISTIANO HANACCIO, D. in Acad. Vitemb. Juris Sax. Prof. Publ. Ord. Ordinis JCtorum Assess. Extraord.

Vitembergæ, apud Gottl. Henr. Schwartzium, 1740, 8.

Plag. 8.

Occupatus in eo est Conf. Autor, ut, Saxones a Francis nunquam sub jugum missos fuisse, comprobatum eat. Nec est dubium, quin probatissimis argumentis id ipsum evicerit. Pag. 15. *Carolo M.* imperante, Saxonia ad Rhenum usque patuit. Tributa, nonnunquam Francis promissa, atque soluta, Saxonum libertatem non sustulerunt. Et, licet Saxones Francis obsides aliquando dederint, inde tamen libertatis suæ detrimentum non fuere passi. Postquam hæc Autor affirmaverat, primordia Saxonicæ superioritatis territorialis ex pace Salzensi seu Salzburgica, ad A. 803 conciliata, arcessivit. 18. 20. Potestatem quandam ordinibus Saxoniæ provincialibus fuisse tunc servatam una cum legibus patriis politicis, constat inter omnes. Comites autem a *Carolingidis* fuerunt Saxoniæ dati, in quos inspectio tradita fuit Episcopis Missisque regiis, & postea Comitibus Palatinis. Leges vero novas condere, sacra moderari, majestatem analogam exercere, Saxoniæ proceribus haud licuit. Unde nobis suboritur dubitatio, an superioritatis territorialis jura ex tam vetusta radice derivari possint jure meritoque. Duces enim tunc erant belli gerendi præsides usque ad *Ottonis Illustris* tempora, nec hi hæreditarias tenebant ullas dignitates. Idem de Comitibus videtur pronuntiandum. Saxones in unam gentem cum Francis A. 803 coaluisse, veritati est consentaneum. Ut vero primoribus Francorum ea ætate superioritas territorialis haud fuit indulta; ita Saxonibus majora jura fuisse impertita, vix suspicari licet. Majores domus 26. quidem sub *Merovingidis* jus dixerunt, at non nomine suo.

Caroli Magni certe dignitas & ſucceſſorum regna ad *Arnulphum* uſque, ratione Germaniæ, fuerunt aliunde derivanda, nec a procerum ſuffragiis pependerunt. Ni fallimur, Cel. *Gundlingius* hic nobis fecit otia. Doctiſſ. Autor contra, *Pipini* ac *Caroli M.* dignitatem regiam a ſuffragiis procerum Galliæ deducendam, exiſtimat, ſecusque ſentientes refellit. Succeſſionem in regnum, belli gerendi plerumque decreta, legum ferendarum poteſtatem, & ſummum arbitrium in cauſis Ordinum, haud
Pag. 29. 39. fuiſſe penes Reges, Conſ. Autor variis conficere conatur argu-
48. mentis. Diplomata *Caroli M.*, in quorum fine exhibetur æra Chriſtiana, ipſe pro genuinis reputat, *Joannis Guilielmi Jani* opinione ſeſe credens munitum. Liceat vero nobis Diplomata Imperatoria ac regia annumerare ſpuriis commentis, quæ ante A. 877 æram præferunt Chriſtianam. *Jo. Georg. Eccardus*, ni fallimur, & inſpectio Diplomatum, rem omnem conficere vi-
53. dentur. Dubitat Autor, an Saxones juſſerit Epiſcopis tradere decimas. Verum dubitationem nobis eximunt verba Poetæ Anonymi Saxonis, Capitularia, & poſſeſſio decimarum, Epiſcopis IX & X Seculo vindicata, quemadmodum docent Diplomata. Licet vero Epiſcopi eas ipſi haud perceperint ſingulas, plurimasque viris nobilibus in feudum conceſſerint, cœnobiiſque donarint; inde tamen res ipſa in dubium revocari haud poſſe videtur. Ita autem eveniſſe, docent Diplomata Epiſcopalium tabulariorum, adeo, ut ex poſſeſſione decimarum Epiſcopali olim argumentum deſumi potuerit ad determinandos terminos diœceſium Epiſcopalium. Id vero inficiari nolumus, hinc ad minuendam ipſius juris publici libertatisque uſuram nil poſſe deduci. Judicii Weſtphalici, libertati Saxo-
55. nicæ inimici, *Carolum M.* autorem exſtitiſſe, Conſ. Autor negat. Non vacat nobis in præſens ea repetere, quæ B. *Nic. Hieron. Gundlingius* in *Commentatione ad Caroli VI Capitulationem pag. 453 ſeq.* de judicii Vehmici ſeu Weſtfalici originibus docte & pro more ediſſeruit. Conſ. Vir, quo minus primordia
58. judicii iſtius ad *Carolum M.* referamus, haſce nectit argumentorum tragulas, quas in diſſentientium capita evibrat. Credit enim, 1) Capitulare *Caroli M.*, a *Baluzio* editum, quod vocat

Capitu-

Capitulationem, Saxonibus ipſis conſentientibus factum eſſe; 2) id publice contra prævaricatores ac maleficos exerceri potuiſſe; 3) nec conducibilem ſibi videri illam occultam judicii illius ſævitiam; 4) quin potius in Capitulari ad A. 797 promulgato mitiora *Carolo M.* placuiſſe conſilia; 5) antecellere publicam legum ultionem illi occulte judicandi modo. Dolemus, ita nos haud eſſe perſpicaces, ut, hiſce argumentis eorumque complexu ſententiæ *Gundlingianæ* derogatum eſſe, nobis poſſimus perſuadere. Refellit deinde Autor vulgarem opinionem, quæ dictitat, *Carolum M.* Saxonas libertate condendi teſtamenta privaſſe, licet *Paulus Æmilius* eam ſecutus ſit, *Spangenbergium* & *Gryphiandrum* nactus ſuffragantes, Addit ingenue, nonnullos Saxonum ob defectionem repetitam amiſiſſe ingenuitatem & proprietatem bonorum, facultatem teſtamenti factionis haud æque. Porro it demonſtratum, ultimam calamitatem, qua Saxonum multi in Galliam fuerunt translati, cum amiſſu libertatis haud fuiſſe conjunctam. Certum utique eſt, *Carolum M.* eos per *Eckehardum* Comitem terris ſuis reſtituiſſe. Tum oſtendit Autor, Francorum & Saxonum libertate, quæ imperio communis Regis fuerit temperata ac copulata, contineri Imperii Germanici fontem. Saxoniam integram tempore *Carolingorum* fuiſſe *terram mediatam*, ſibi perſuadet. Vellicat hic rurſum nobis aurem *Gundlingius*. Mediatam terram Autor exponit per eam, quæ fœdere æquali ad nexum ſyſtematicum Germaniæ pertinuerit, & quidem interventu juris publici. Addit idem: *Superioritas territorialis tum libertate, tum jure ſuffragii, in Comitiis imperii nititur, &, quamprimum utrumque conjunctum adfuit, primordia ſuperioritatis territorialis probata cenſentur.* Arbitratur, hanc prærogativam primo Saxonum indigenis nobilioribus fuiſſe propriam, tandem vero ad Duces perveniſſe. Pergit idem: *Jam Saxones A. 803 pace publica tum libertatem patriæ conſervarunt, tum jus Francorum publicum obtinuerunt, & Electoratum, Ducatu ipſo antiquiorem, probarunt.* Non minus arbitratur, jus ſuffragii in Comitiis imperii ſolos Saxones cum Francis commune ætate *Carolingidarum* tenuiſſe. Conſenſus Francorum & Saxonum conjungitur

Pag. 59. 63. 66. 68. 71. 73. 74. 77.

in

in Capitulari *Caroli M. ad A. 979 Cap. 9*, & apud *Witichindum pag. 634, 637, 642, edit. Meibom.* unde Noſter commune ſuffragia ferendi jus deducit. Negat vero, Bajoariis aliisque gentibus Germaniæ eo ævo eandem fuiſſe juris publici Francici communitatem. Duobus gladiis Archimareſchalli ſuſpicatur
Pag. 83. denotari tum Archimareſchallatum, tum ipſam ſuperioritatem territorialem, antiquitus conſervatam. Superioritatem territo-
85. rialem oſtendit eſſe jus proprium rem publicam peculiarem, civitate Germanica perfecte donatam, ſine detrimento Imperii, libere gubernandi. Leges patrias Saxonibus *Carolus M.* quidem haud eripuit; at impoſuit tamen ipſis judices legatosque ſuos, qui jus ſecundum illas dicerent, nec ſibi detraxit jus ferendi nullas per Saxoniam leges. Autor vero inde compro-
89. bat, Saxones retinuiſſe avtonomiam & legum ſuarum uſum liberum proprio jure, ſolenni pacificationi innixos, negans, a
91. *Carolo M.* Saxonibus poſt annum 803 leges fuiſſe præſcriptas, ſilentio ſcriptorum vetuſtiſſimorum ſeſe tutatus. Adjungit hæc etiam, Saxones jam ante *Carolum M.* ſcriptas habuiſſe leges,
94. Germanosque tempore *Taciti* literarum fuiſſe gnaros. Refellit ſimul *Conringium* & Gloſſatorem Germanicum ad Jus provinciale Saxonicum, adſtipulatus Ill. Domino *de Berger*, *Diſſ. de priſco Germano haud illiterato* idem docenti, ac *Tacito* ipſi *Annal. I, 88, II, 63.* Leges Saxonum jam exſtitiſſe aliquot tem-
98. pore *Caroli M.*, ſolide demonſtrat, contendens, per Capitulare & Capitulationem, *Carolo* autore Saxonibus datam, avtonomiam horum haud fuiſſe labefactatam, ſiquidem ipſa A. 803
102. ſint antiquiora. Ex avtonomia Saxonum, huc uſque comprobata, deducit jus de non appellando, atque juris Saxonici tute-
104. lam, qua hodie Sereniſſimus Saxoniæ eminet Elector. Miratur deinde, cur nemo adhuc de Juris Saxonici tutela & patro-
106. cinio publico egerit ex inſtituto. Exponit de terris Juris Saxonici conciſe, & ambitum Vicariatus Saxonici ab antiqua ſuperioritate territoriali Saxoniæ deducit. Sunt, qui Vicariatum illum ex munere conſervandæ pacis regiæ per Saxoniam derivant, ab *Alberto Auſtriaco* in Electorem Saxoniæ translatum. Sed hæc jam non attingemus, additurі potius id unum duntaxat,

taxat, Conſ. Autorem nobilitati Saxonum vetuſtiſſimæ transſcri- Pag. 115.
bere juris Saxonici defenſionem. Oramus eundem merito & honorifice, ut oſtendat nobis tempus & modum, quo illa tutela ad Duces Saxoniæ pervenerit.

INVESTITURAM PER SCEPTRUM FEUDIS ecclesiasticis & secularibus communem fuisse, Præside GOTTLIEB SAMUELE TREUERO, D. Regis M. Britanniæ a Consiliis aulicis, Juris publ. Politices & Moral. Prof. Publ. Ord. in Academia Georgia Augusta, defendit FRANC. HENR. FRID. DE WINDHEIM.

Gottingæ, apud Abrah. van den Hœck, 1741, 4.

Plag. 7.

Communi ſcriptorum, qui de re feudali commentati fuerunt, doctrina receptum eſt, Feuda eccleſiaſtica tantum per ſceptrum, Feuda ſecularia per vexillum, in ſolennibus inveſtituræ cerimoniis inde ab *Henrici V* temporibus tradita eſſe. Errorem hunc Ill. Autor hac Diſſertatione ivit profligatum, quem compilatores Juris provincialis Saxonici & Alemannici jam admiſerunt, quibus Ill. *Joannes Petrus de Ludewig* videtur quodammodo acceſſiſſe, qui inveſtituram per ſceptrum ad ſomnia refert. Inveſtitura certe Feudorum ſecularium ſæpius per ſceptrum facta fuit, derivata, imperante *Henrico V*, ad Feuda eccleſiaſtica. Jam Seculo VI *Theodebertus* Rex beneficia per ſceptrum *Landrammo* dedit, teſte *Fauſto* in *Vita S. Mauri* apud *Surium ad 14 Januarii*. *Fridericus*, Imperator, *Uqueccionem*, Conſulem Piſanum, A. 1165 inveſtivit per ſceptrum & vexillum, teſte charta apud *Lunigium* in *Codicis Italiæ diplomatici Tom. I Cap. 3 n. 7 pag. 1057*. Rex Siciliæ filium recens natum A. 1181 interventu ſceptri aurei inveſtivit, teſte *Roberto a Monte* ad eum annum. *Rudolphus I* Cæſar A. 1273 voluit Principibus clericis & laicis Feuda conferre per ſceptrum, teſte *Henrico Sterone*. Eundem morem ſecutus fuit ipſius filius, *Albertus I*, teſte Di-

3.

10.

13.

14.

plomate apud *Du Mont* in *Corps Diplom. Tom. I Vol. I pag. 314.*
Pag. 15. *Henricus VII* Imperator, *Amedeum*, Comitem Sabaudiæ, Ducatu Chablaſii & Marchionatu Vallis Auguſtæ donans, ſceptrum
16. adhibuit regale A. 1313. De *Ludovico Bavaro* res in aprico poſita eſt, teſtimoniis multorum Diplomatum id docentibus. *Carolus IV* morem receptum imitatus fuit, nec non *Wenceslaus.*
24. Succeſſiſſe videtur huic ritui mos oſculationis vel tactus gladii. Certe inde ex decem poſtremis *Wenceslai* annis
28. ſilentium de ſceptro paſſim occurrit. *Fridericus IV* Epiſcopis Feuda eccleſiaſtica contulit per ſceptrum, quam conſuetudinem
29. ſecutus fuit *Carolus V.* Ritus vero ſceptri, ad præſtationem juramenti fidelitatis adhibitus, non fuit ſymbolum traditionis Feudi, ſed ſolennis vaſalli inauguratio. Ne de hac veritate ſuperſit ulla dubitatio, rationibus Ill. Autor graviſſimis evicit,
32. qui hæc ſubjunxit: *Symbolum inaugurationis & receptionis fidei feudalis erat ſceptrum, vel recentiore ævo gladius Imperatoris. Illud ſymbolum non afferebat vaſallus, ſed Imperator, ornatu Cæſareo conſpicuus, ſuisque Officialibus ſtipatus. Symbola e contrario traditionis in ſolenni Feudorum imperii collatione, nempe vexilla, afferebat vaſallus magna pompa, varioque ritu.* Et
33. paucis interjectis: *Symbolum fidei receptæ manibus tenebat & retinebat Imperator, vel Officiali gerendum committebat; at vero ſymbola traditionis abjiciebantur plerumque a ſolio Cæſaris in*
34. *populi concionem adſtantem, & plerumque lacerabantur.* Peculiari tamen privilegio id fuit Bohemo conceſſum A. 1462 a *Friderico IV*, ut vexilla ei integra & illæſa reſtituerentur. Quod in Feudis eccleſiaſticis ſolus actus receptæ fidei per ſceptrum,
39. non vero traditionis per haſtam, in pacto *Calixti II* & *Henrici V* locum invenit, id Ill Autor ob decorum eccleſiaſticum eveniſſe arbitratur, cauſatus, nefas fuiſſe, ut Clerici portarent
41. arma. Antiquiſſimum vexilli uſum in inveſtitura Feudorum eccleſiaſticorum idem inveſtigavit, at vetuſtius exemplum exquirere haud potuit illo, quo *Fridericus I* dicitur Archiepiſcopum Colonienſem *Philippum* A. 1180 Ducatu Weſtphaliæ & Angariæ donaſſe. Nituntur hæc Diplomate, quo *Henricus Leo* proſcriptus perhibetur, & quod a *Schatenio* exhibetur

Annal.

Annal. Paderborn. P. I pag. 851. Si quid conjectando valemus, Diploma illud Seculo XIV exeunte fuit confictum, Ducibusque Saxoniæ & Brunſuiço-Luneburgenſibus oppoſitum, ſimulque inſigne *equi* excogitatum, cui Duces Brunſuicenſes *equum* in inſignibus heraldicis, teſſeram juris antiqui, oppoſuiſſe videntur. Principes quoque Germaniæ eccleſiaſticos per vexilla Pag. 44.
fuiſſe ab Imperatore inveſtitos, Ill. Vir comprobat exemplis, ex Sec. XIV & XV adductis, ſignificans præterea, ritum vexilli inde ab ævo *Maximiliani II* plane omiſſum fuiſſe. Refellit
tandem errata Ill. *Joannis Petri de Ludewig*, *Nicolai Hieronymi Gundlingii*, & *Speneri*, junioris. Spirat tractatio inſignem 48.
Ill. Autoris peritiam, notitiam rerum Germanicarum maximam, antiquitatum ſcientiam, præſtabilem Juris feudalis cognitionem, & ſummam modeſtiæ laudem. Et hanc ob cauſam, præter inſtituti noſtri rationes, hic ſummam ejus placuit delibare.

PARERE SOPRA LA CAGIONE DELLA MORTE &c.
hoc eſt,

JUDICIUM DE MORTIS CAUSA COMITISSÆ Corneliæ Zangarinæ Bandi, Ceſenatis, expoſitum Epiſtola ad Dominum OTTOLINUM OTTOLINI, per JOSEPHUM BIANCHINI, Canonicum Veronenſem. Editio ſecunda.

Veronæ, per Petrum Antonium Bernum, Bibliopolam, 1733, 8.

Plag. 4½.

Singularis argumenti eſt Libellus, hiſtoriam continens honeſtæ illuſtrisque proſapiæ mulieris, quæ, novo prorſus & admirando mortis genere Ceſenæ A. 1731 exſtincta, omnium per Italiam Philoſophorum & Medicorum ingenia plurimum exercuit. Neque enim omnium eadem de inaudito iſthoc fato exſtitit ſententia. Cum lectum peteret iſthæc fœmina, nihil conqueſta eſt præter quendam artuum ſtuporem, qui potuiſſet imminentis cujusdam morbi ſuſpicionem facere. Quam alioqui noctis co-

mitem habere conſueverat virginem, dimiſit, noluitque, eandem ſolitas agere excubias. Altero mane mirata iſthæc puella, quid lecto dominam detinere poſſit, utpote quam norat alacrem, ſomnique impatientem, acceſſit, & cum horrore conſpexit dominæ corpus humi ſtratum, ſi tamen corpus fuit; ſupererant enim pedes ultra genuum flexuram, capitiſque facies, reliqua membra, & corporis maxime truncus, penitus evanuerant, apparente cinerum cumulo ſupra pavimentum. Subtilis erat & prorſus impalpabilis pulviſculus ille, nam ne oſſium quidem rudimenta apparebant. Fuligine tota camera, ipſaque ſtragula, & linteamina lecti, obducta cernebantur, & fœtor quidem talis nares feriebat, qualis cadaverum exuſtorum eſſe ſolet, imo & vicina loca penetraverat cremati corporis odor, ut panem, miaſmate hoc imbutum, deguſtare nollent canes. Oleum, empyrevmatico prorſus ſimile, pavimenti loco, in quo tragœdia luſa fuerat, inexſtinguibilem inuſſerat maculam. Et hæc quidem quinque horarum ſpatio contigerunt, quo tempore tantam in cineres duriſſima oſſa vertendi efficaciam præſtiterat incertus ille dubiæque originis ignis, quantam maxima rogi flamma non habet, quam conſtat continuo octo & quadraginta horarum incendio condemnatorum corpora non ſic evertere poſſe, prout id in maxima corporis huius parte factum cognoſcebatur. Ignorabatur manifeſta rei cauſa. Neque enim fulmen aut tonitru exauditum fuerat tota nocte a vigilibus, neque ignis aliquis domeſticus ullo modo accuſari poterat. In varias partes diſcedebant eruditi, nonnullis fulmen ſine fragore accuſantibus, quod tamen debuiſſet ab uno alterove per urbem fuiſſe annotatum; neque probabilis viſa fuit ſententia, conſiderantibus, lecto ſeſe propuiſſe fœminam ante fatum, cui rei peragendæ tempus non ſuperfuiſſet a fulmine tactæ. Duo cumprimis inter ſe conferebantur opiniones, quarum alia fuit eorum, qui mineræ ſulphureæ, forte ſub domo latentis, incendium, & occultam penetrandi virtutem, allegabant, quamvis, qua parte per pavimentum potuerit ſubintrare igneus iſte habitus, non appareret; altera Autoris eſt opinio, ſtatuentis, ignem huncce admi-

admirandum fomitem ſuum in ipſo corpore exuſto habuiſſe. Allegantur ſimiles fere caſus, a *Thoma Bartholino* in *Actis Philoſophicis Hafnienſibus*, & *Johanne Henrico Cohauſen* in *Lumine novo Phosphoris accenſo*, deſcripti, & de inflammabilitate humorum corporis humani erudite diſputatur. Refutatur ſingulari prorſus modeſtia eorum ſententia, qui, ſubter terram egreſſo igne concrematum fuiſſe corpus, afferunt, quandoquidem ſulphuris halitus per totam Italiam in cryptis, pyritem ſulphurisque mineram ferentibus, non exurendi, ſed ſuffocandi, efficaciam præſtet, id quod cumprimis obſervari poſſit in ſpecu Agnano prope Neapolim, quem *canis ſpecum* appellant, quod canes vivi immiſſi mortui extrahantur, nec Veſuvii quidem ignea flumina corpora demerſa prorſus exuſſerunt, quod fieri debuiſſet, ſiquidem inſignem ejusmodi, prout in præſenti caſu eſt, penetrandi & deſtruendi potentiam ſulphureæ effluvia obtinerent. Phosphorus vero animalis, qui potuerit ſuam propriam officinam in cineres redigere, fortibus argumentis evincitur. Adducitur febrium ardentium cauſa ſanguis incendio proximus, cui opinioni fidem facere videntur ea, quæ habentur in *Ephemerid. German. Anni X Obſerv. 171*, & *Hiſtoria Regiæ Scientiarum Anni 1706*. Spiritus vini maxime camphorati abuſus, cui fœmina aſſueverat, accuſatur. Generari poſſe in corpore flammas, evincunt vulgaria experimenta eorum, quibus Spiritu vini inebriatis ex ore flamma lucet. Flammam, ex ventriculo mortui admota candela erumpentem, demonſtravit *Joannes Piſanus* in *Ephem. Nat. Curioſ. A. 1670*, itidemque *Bartholinus de Luce animalium*. De flammis, ex cadaveribus mortuorum ortis, curioſiſſima narrat *Chriſtianus Fridericus Garmannus* in libro *de Miraculis mortuorum*. Nec infrequentia ſunt vivorum, innocua tamen, incendia, quæ ignes lambentes appellantur, qualem in *Aſcanio* ſuo deſcribit *Virgilius Æn. Lib. II:*

Ecce levis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci,

in *Servio Tullio Plinius*, *Livius*, *Valerius Maximus*, in amico ſuo *Cardanus*, in juvene quodam *Libavius*, in capitibus labo-

res exercentium loco ſubterraneo *Kircherus*, aliique, ſimilia vivorum incendia annotaverunt. Id ſaltem difficile demonſtratu viſum eſt, quomodo, etiamſi de inflammabilitate humorum corporis noſtri, deque phosphoris animalibus, nullum ſuperſit dubium, ad actum flagrandi deduci iſta materies in præſenti caſu potuerit. Ex conflictu acidi oleique animalis phlogiſti, quo ignem lucidum generari oporteat, negotium declarat, uſus experimento *Beccheriano*, quo ex Spiritu Nitri fumante & oleo Therebinthinæ remixto, felicius autem ex oleorum ſtillaticiorum cum memorato ſpiritu miſcela, lucida flamma generatur arte. Sicut autem, acidum in ſanguine noſtro humoribusque reliquis exiſtere, ſupponit Autor; ita incendii iſtius animalis ſpontanei declaratio dubia non videtur. Afferuntur alia lucis humanæ argumenta, & cumprimis lux, quam globus vitreus, celeriter circa axem verſus rotatuſque, admota manu ſpargit. Sic quidem pauperrima fœmina, animali ſuo fulmine proprio icta, membris fracta, diſploſa, & lento igne exuſta, (nam omni corporis loco fomes flammæ non exſtitit, ſed per partes iviſſe ignis viſus eſt,) interiit.

LA SCUOLA SALERNITANA DILUCIDATA, &c.
hoc eſt,
SCHOLA SALERNITATA DILUCIDATA, SIVE declaratio veri & falſi, utilis & inutilis, in hoc maximæ exiſtimationis Opere reperiundi, in conſervandæ ſanitatis, & vitæ prolongandæ, gratiam; omnia noſtræ ætatis palato accommodata, ſtudio FULVII *GHERLI, civis Modonenſis, jam Protomedici Sereniſſimi Ducis Guardiſtallenſis.*

Venetiis, apud Joſephum Corona, 1733, 8.
Alph. 1 plag 9½.

Veneranda nobis ſemper viſa fuit antiquitas, &, quæ plurimis retro Seculis facta ſcriptave fuerunt, nobis præconibus intrinſeco ſuo & nativo valore majus ſubinde pretium nanciſcuntur. Magnæ nobis autoritatis eſt *Ariſtoteles*, quandoquidem

dem ille artis cogitandi parens exſtiterit, ſed neminem ille habiturus nunc eſt ſuffraganeum ſententiarum: *Cœlum eſſe ſolidum, dari Planetarum exhalationes, inſecta putredine fieri.* Nihil frequentius in ore quorundam eſt, quam Divus Senex *Hippocrates*, quamvis ille nos in plurimis conſentientes non habeat. Arabum ſcripta antiquitate magis, quam rerum uſu, placent, &, quicunque ingeniorum fœtus felicitatem obtinuerunt circa inſtauratarum per Europam ſcientiarum primordia prodeundi, ob rei novitatem hodiernis optimorum Autorum meditationibus ſuperiores eſſe cenſentur. Hoc privilegio utitur *Scholæ Salernitanæ* libellus, qui Medicinam diæteticam pro temporis illius more ſatis eleganter tradit, ex cujus quisquiliis felici ſucceſſu uniones ſelegit Autor. Sicut enim modeſtum ſuperſtitioſius dictorum cenſorem ſe geſſit, ita boni moris ſententias ſuis, ex antiqua & recentiori Medicina deſumtis, commentatiunculis perpolivit. *Schola Salernitana*, ſeu Collegium Medicorum urbis Salerni in regno Neapolitano, inde a *Caroli M.* tempore condita, variis rerum ſucceſſibus uſa eſt. Parum tamen ante Seculi undecimi finem de ejus celebritate conſtitit, quandoquidem inter Monachos eſſet medicæ artis peritia, ex quibus Archiatros Regum ſelectos fuiſſe, exemplo *Obicii*, ex Ordine S. *Victoris*, qui *Ludovici Craſſi* curam corporis obtinuit, novimus, & eo utque artis hujus ſalutaris tyranni fuerunt Clerici, ut cautum ſit Concilio Lateranenſi, ne quis Monachus medicinam faceret. Mirum adeoque non eſt, publicas ante diſcuſſam barbariem ſcholas exiſtere haud potuiſſe. Seculi tamen duodecimi initio quædam lux Medicinæ accendi cœpit, fuitque primus *Rogerius*, Siciliæ Rex, qui lege caveret, ne quis, niſi a Collegio medico accepta autoritate, medicinam exercendi licentiam ſibi faceret, & *Friderici* potiſſimum *ſecundi* beneficio factum, ut Salernitana ſchola pro prima Facultate medica haberi poſſit ac debeat, ſiquidem ille juſſit, ne quis, niſi hoc Collegio ſuffragante, medicinam facere auderet, a quo tempore ſcilicet Academiæ titulo uti cœpit, antiquior Bononienſi & Patavina, celeberrimis per Italiam, Univerſitatibus. Magnam ſuæ famæ partem hæc ſchola debet *Conſtantino*, natione Afro, Carthagine

chaginenato Monacho, qui Græci, Latini, & Arabici, ſermonis peritus, magnam ſibi & ſcholæ ſuæ celebritatem peperit, compilatoris ex *Haly* Abbate Græcisque, quam autoris, nomine dignior. Cui ſuperior doctrina fuit *Joannes de Milano*, utpote cui libellus, *Schola Salernitana* dictus, origines ſuas unice debet, qui eundem Collegii ſui autoritate ſcripſit, leonino carminis genere, quod ſic ab inventore *Leonio Coronio*, Canonico Pariſienſi, qui primus hoc metro uſus eſt, dici cœpit. Scribendi occaſionem dedit *Robertus*, Rex Angliæ dictus, quamvis ad regnum Angliæ nunquam pervenerit. *Wilhelmus* enim, qui ex Normannis primum ſumma rerum per Angliam potitus eſt, tres obtinuerat filios, *Guilielmum Ruffum*, *Robertum*, & *Henricum*. *Robertus*, cum *Bullionæo* ad expeditionem Hieroſolymitanam profectus, cum audiret, fratrem ſine filio mortuum, de reditu cogitabat, & in itinere Salerni, quorſum ſe curandi corporis cauſa contulerat, debito ſibi Regis titulo utebatur. *Henricus* autem frater interim, eodem abſente, regnum occupaverat, nec rerum ſumma *Robertus* unquam potitus eſt. Eidem tamen, tanquam legitimo Angliæ Regi, libellus hic inſcribitur. Sic enim orditur Opuſculum:

Anglorum Regi ſcribit ſchola tota Salerni,

vertente in Italicum ſermonem Autore:

Di Salerno la Scuola al Rè Britanno
Scrive &c.

Contraxerat ex vulnere, ſagitta venenata in brachio dextro ſuſcepto, ulcus ſinuoſum *Robertus*, cui curando a Medicis Salernitanis ſibi conſilium expetierat, quod etiam libello huic adjectum eſt. Neque vero omnem hujus fiſtulæ curatæ gloriam referunt Salernitani, ſed curationem in marito vitæ ſuæ periculo perfecit fidelitatis exemplum *Mathildis* uxor, quæ ſuctione calloſum ulcus ſanavit. Plures hæc Schola Salernitana Commentatores obtinuit, *Arnoldum Villanovanum*, *Caroli II*, Andegavenſis, Medicum, *Joannem Curium* & *Crellium*, tandemque *Renatum Moreau*, & *Zachariam Sylvium*, quos omnes rerum abundantia antecellit hic Noſter, ſiquidem nihil omiſit eorum, quæ Opuſculum lectu jucundum, & in vita communi utile, reddere poterant. Dialogi

logi methodo inter amicos, *Philaretam* & *Anacreontem*, ſermones fiunt, quærente *Anacreonte*, reſpondente *Philareta*, qui titulus cum Cl. Autoris dexteritate apprime convenit.

CHRONOTAXIS NOVA APOCALYPSEOS Joanneæ, novi Commentarii in Apocalypſin prophetico-hiſtorico-dogmatici, Germanica lingua evulgandi, Prodromus, Autore LAURENTIO REINHARDO, S. S. Theol. D. & Prof. Publ. Eccleſiaſte in templo metropolitano Vinarienſi, & Societ. Lat. Jenenſis Collega.

Vinariæ, typis Mumbachianis, 1741, 4.

Plag. 3.

Laudabili inſtituto S. Rev. Autor apud animum ſtatuit, pleraſque exegeticæ Theologiæ partes illuſtrare, & *Apocalypſin* ſuis quoque Commentariis enodatam exhibere. Repudiat ſeptem *Campegii Vitringæ* periodos decantatiſſimas, a *Joanne Saskeride* A. 1555 inventas, & a *Joanne Coccejo* adoptatas. Explorat jam judicia Theologorum ſincera, antequam ad Commentarios animum penitus appellat. Oramus itaque Virum laudibus digniſſimum, ut oſtendat, 1) Apocalypſin imperante demum *Domitiano* fuiſſe in literas redactam, idemque eſſe, *viſam* tunc *fuiſſe Apocalypſin*, ac ſcriptam; 2) inde a *Cap. 6* uſque ad *8* prædixiſſe *Joannem* fata eccleſiæ Chriſtianæ uſque ad imperium *Conſtantini M.*; 3) viſiones ſingulas cohærere ordine ſucceſſionis chronologicæ, nec eadem fata ſubinde compluribus deſignari viſionibus more Prophetis conſueto; 4) fata eccleſiæ Chriſtianæ per ſingulas regiones intra Secula ſingula fuiſſe conſona, & univerſali vel lætitia, vel calamitate, inſignia; 5) *Capita quinque*, quæ angelus tempore viventis *Joannis* jam cecidiſſe indicat, pertinere ad tempora futura, quibus facies eccleſiæ Romanæ ſit imminuenda; 6) Eccleſiæ Ruſſicæ, Copticæ, Abeſſinicæ, Melchiticæque, nullam in *Apocalypſi* habitam fuiſſe rationem; 7) viſionibus ſuccedentibus ſucceſſionem chronologicam fuiſſe ſervatam. Hæc enim doctrinæ capita ante-

quam ſolide comprobantur, cetera, quæ eis ſuperſtruuntur, videntur ſumi veluti certa & inconcuſſa, rationibus tamen nondum firmata. Quamprimum hæc luce clariſſima radiant, ad expoſitionem certam animus adjici poteſt, chronologicis ſucceſſionibus innixam. Hiſce vero momentis neglectis, multa ſumuntur, quæ extra dubitationis aleam nondum ſunt collocata. Plenam enarrationem, ſimul ac hiſce dubiis factum fuerit ſatis a S. Rev. Autore, cum publica eruditorum civitate ex Commentariis ejus communicare ſumus parati. De reliquo ipſe a *Cap. VIII* ad finem *XX* credit ſucceſſiones calamitatum & amœnitatum eccleſiæ Chriſtianæ indicari, ac *Cap. XXI* repræſentari regnum gratiæ, quod in hiſce terris floret.

DISSERTATIO APOLOGETICA PRIMA PRO Davide, Hebræorum Rege, adverſus obtrectationes Petri Bailii, Autore JO. CONRADO FUESLINO.

Tiguri, ex officina Heideggeriana, 1740, 4.

Plag. 5.

Memoriam *Bælii* crebræ refutationes iterum iterumque a mortuis revocant, ſuntque hæ ipſæ in cauſa, ut fama ejus reddatur illuſtrior, & tandem poſt aliquot Secula aliquis *Gothofredus Arnoldus*, qui *Bailio* afferat vindicias, exoriatur. Peccavit ſane in virtutem, pietatem, & fidem hiſtoricam, *Bailius*, dum, *Davidem* continenter flagitioſiſſimum fuiſſe, docuit. Filius enim & proles *Davidis* eſt Meſſias. *Pſalmi*, quibus ad optima quævis ducimur & erigimur, *Davidem* autorem referunt non pauci. Hiſtorici diviniores iterum iterumque prædicant *Davidis* pietatem & vaticinia, divino afflatu prolata. Hæc ſingula corruunt, & fictionibus videntur ſimilia, ſimul ac *Bailio* fidem habemus, de *Davide* commentanti. Nec dici ſane poteſt, quanta libidine & protervia profani homines, quibus tempora noſtra affluunt, floſculos *Bailianos anti-Davidicos* vulgo repetant, & ad pietatem ſinceram exterminandam adhibeant. Hiſce obviam ivit Cl. Autor in hac *Diſſertatione priori*, quam prope-

propediem *posterior* sequetur. Inducuntur in hac colloquente *Crito* ac *Eusebius*. *Dialogi* ipsi sunt *quatuor*. *Primo* ostendi tur, quid *Bailii* lectio & obesse & prodesse possit; *secundo* exponuntur convicia, quibus *Bailius Davidem* proscidit; *tertio* agit Autor de lascivia, quam *Bailius* in *Davide* vituperat; *quarto* idem continuat argumentum. De Lexico *Bailii* ipse sic sentit: *Diabolus nil aptius ad miseros homines decipiendos excogitare potuit. Utinam hic fœtus lucem nunquam vidisset!* Cum vero *Bailius* in *Davide* notaverit lasciviam, politices falsæ studium, fastum denique & crudelitatem; Autor in præsens primo crimini duntaxat amoliendo sese accinxit. Adulterium a *Davide* admissum, negant Judæi, largitur Noster, prædicat vero eam emendationem, qua *Davides* statim ad bonam rediit frugem. Videtur in eam sententiam propendere, quæ, polygamiam juri naturæ obstare, tradit, concedens tamen, Deum indulsisse ingenio regionis atque usui Judæorum nonnihil. Quomodo autem Deus indulgere id possit, quod juri naturæ e diametro repugnat, nos profecto haud videmus. *Paltæo* uxorem non rapuit *Davides*, sed vindicavit suam. Regi licitum erat pluribus simul uxoribus gaudere. *Maacham* Philistæam ducere potuit per jus & fas, bello captam, ob *Devt. XXI.* Vitio vertit *Bailius Davidi*, quod saltavit, quod molli & impudica veste indutus fuit, quod obscœna corporis denudavit. At *Davides* exultavit gaudio, vultuque & gestu magnam lætitiam præ se tulit, eo quod arca Dei in regiam suam perducebatur. Religioni gaudia haud esse adjungenda, quis disputatione dignum censebit? Vestis mollis & impudica abfuit a *Davide*. Indutus lineo ephodo saltavit, quali *Samuel* vestitus cultum obiit divinum. *Denudavit sese Davides*, si stantium increpatione *Michalis*. At non denudavit partes corporis velandas, sed animum gaudiis plenum, populoque congratulanti impensius deditum. *Abisagam Davides* ob valetudinis curam adscivit, non ob libidinem, siquidem *illam haud cognovit*. Datum fuit a *Davide* hic aliquid consiliis medicorum

Pag. 5. 14. 19. 21. 25. 28. 30. 35.

Proxime plura.

NEXUS PHILOSOPHICUS GRAMMATICÆ HEbrææ, linguæ ſanctæ cultoribus luculenter olim oſtenſus, nunc in uſum proficientium editus a MARTINO DIETERICH, S. Theol. Prof. Extraord. item Paſt. & Inſpect. Adjuncto Diœc. Francofurt.

Francofurti ad Viadrum, apud Jo. Godofredum Conradi, 1739, 4.

Plag. 5.

Conſtat tractatio omnis *Capitibus novem. Primo* exponitur de vocalibus, *ſecundo* de conſonantibus, *tertio* de ſyllabis, *quarto* de integris vocibus, ſpeciatim de nomine, *quinto* de mutatione vocalium in nominibus ſecundum ordinem earum. *Sextum* inſcriptum eſt de verbo regulari, *ſeptimum* de anomalia verborum defectivorum, *octavum* de anomalia verborum quieſcentium, *nonum* de accentu. Id, quod Autor tradit *pag. 2, apud Rabbinos nullum prorſus vocalis ſignum in uſu eſſe*, nobis videtur experientiæ repugnare. Inter breviſſimas vocales collocat Autor Pl. Rev. quoque *Scheva*, tanquam *vocalem imperfectam*, idque in *mobile* & *quieſcens* diſtribuit. Quid vero Ebræi ac Maſoretæ veteres per *Scheva* voluerint ſignificare, id vel ex nomine שְׁוָא pateſcit, quod *defectum*, *vanitatem*, *nihilum*, deſignat. Licet enim *Scheva* ſubinde audiri videatur leviſſime in aliquot ſyllabis, uti Latinorum *e* in *bdellium* & *memnon* & *pſalmus*; inde tamen nulla oritur neceſſitas præcipiendi hoc & illud de pronuntiatione *Scheva*. Os enim hic officio ſuo fungitur citra regulas. ע olim pronuntiatum fuiſſe ad modum Græci gamma, perſpicitur omnino ex nominibus
Pag. 6. aliquot propriis, Alexandrinorum cura translatis. Perplacent rationes, quas Autor ſuppeditat de ea gutturalium indole, qua ipſæ a *Dageſch* abhorrent, nec unquam recipiunt *Scheva* ſim-
12. plex mobile. Doctrinam de ſyllabis accurate deductam idem exhibuit, operoſus in definiendo caſu, quo *Scheva* eſt pro-
14. nuntiandum, celerrime licet id fiat. Inprimis excellit diligentia ejus in ſubminiſtrandis rationibus, quibus eſt *mutatio vocalium*

lium in nominibus determinanda. Nisi magnopere fallimur, Pag. 20.
Christianus Lebrecht Felsius & *Joannes Andreas Dantzius* hic ipsi facem prætulerunt. Id autem Autori est singulare, quod ordinem nativum, quo e facilioribus elementis enascuntur fructus diffusiores, methodo scientiis aptissima adhibuit. Poterat tamen id etiam moneri, mutari vocales vel ob accentus tonicos, vel ob lineam Makkeph, vel ob statum constructum, vel ob vocis incrementum & apocopen, vel ob euphoniam. Rationes anomaliæ verborum defectivorum & quiescentium ita sunt ab Autore conformatæ ac recensitæ, ut eæ a *Felsii* haud abludant doctrinis. Ordo autem ab illo concinnior apparet constructus. Si qui paradigmata Grammatices in numerato habent, eis regulæ & observationes, ab Autore prolatæ, erunt adjumento, ne ea, quæ didicere, e memoria facile elabantur. Dolemus merito, Autorem de accentu tonico duntaxat exposuisse, nec accentuationem omnem nexu philosophico dedisse instructam. Speramus tamen, ipsum desideriis & aliorum & nostris velificaturum esse. 30.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI, S. Theol. D. ejusdemque & Philosophiæ Prof. Gottingensis, Commentatio theologica de Illuminatione Sauli, cæca pietate ferventissimi, ad

Act. IX, 3, 4, 5, 6.

Jenæ, sumtibus J. A. Melchioris, 1741, 4.

Plag. 4.

Dignissima omnino erat sacra hæc historia, quæ intentissimæ subjiceretur meditationi, quippe sui similem non habens aliam in toto divino Codice. Hæc autem meditatio ut melius succederet, Cel. Autor præmisit interpretationem ejus historiæ grammaticam pariter ac historicam, inprimis operam navans, ut unam alteramque tollat ἐναντιοφάνειαν. Cum igitur verba illa: *Durum tibi erit adversus stimulos recalcitrare*, alio tempore *Lucas* scribat a Christo prolata fuisse, alio *Paulus*; Noster §. IV ita censet, *Lucam* tanquam historicum servasse verum

verum rei geſtæ ordinem; at *Paulum* ſuo ſcopo convenienter id retuliſſe, quod Chriſtus dixerat, non curantem, quo definite tempore Chriſtus id dixerit, cum chronologica hæc ἀκριβεια ipſi tum nec utilis eſſet, nec neceſſaria. Ita &, cum *Paulus* quædam verba Chriſto tribuit, quæ *Lucas Ananiæ*; §. *V* reſpondet Noſter, *Paulum* propterea verba illa tribuiſſe Chriſto, quia *Ananias* ea juſſu Chriſti ſit elocutus. Quæ enim Chriſtus per aliquem loquitur, ea ipſe locutus eſſe judicatur juſtiſſime. Obſcuriora illa verba *Act. XXVI*, *16*: ὧν ὀφθήσομαί σοι, contemplatus Noſter, docet, phraſin hanc eſſe *prægnantem*, quam vocant Grammatici; & hujus obſervationis ope tollit difficultatem, quæ multis multum faceſſivit negotii. In §. *VIII* duas narrationes, contradictionis ſpeciem habentes, *Act. IX*, *7*, & *XXII*, *9*, hunc in modum conciliat, ut ſtatuat, priori loco comites *Pauli* dici audiviſſe vocem ipſius, poſteriori, vocem Chriſti eos audiviſſe, negari. Nunc in §. *IX* accedit ad tractationem hujus hiſtoriæ pragmaticam, initio docens, a *Paulo* antea, quam converſus fuerit, non viſum fuiſſe Chriſtum Hieroſolymæ, vel alibi. Quam obſervationem, aliis neglectam, magno ſibi deinceps fore uſui, animadvertens, §. *X* & *XI* docet, *Paulum* ante ſuam Chriſti agnitionem hominem fuiſſe vere pium, non Phariſaicum hypocritam, dicique de eo potuiſſe, quod de *Nathanaele*, & ipſo nondum Chriſtiano, Chriſtus dixit *Jo. I*, *48*; habuiſſe autem Jeſum pro pſeudomeſſia, fidem ſcilicet habentem Phariſæis, qui, falſa eſſe, quæ de reſurrectione ejus tradebantur, affirmabant uno ore; hinc ſimplicis hujus, & cum pietate conſociatæ, ignorantiæ miſertum eſſe Chriſtum, & piam hanc animam ſua cæcitate, ſuo errore, liberaſſe. Quod vero Chriſtus non per Apoſtolorum aliquem id fecit, ſed per ſemet ipſum, ideo factum eſſe, Noſter §. *XIV* arbitratur, ut *Paulum* non ſolum Chriſtianum, ſed ſimul Apoſtolum ſuum, faceret, (Apoſtolus autem ab ipſo Chriſto immediate conſtitui debebat,) utque, eo facto Apoſtolo & Evangelii præcone, novum acciperent Judæi argumentum, e quo cognoſcerent, Jeſum omnino eſſe verum Meſſiam, religionemque Chriſtianam ſibi amplexandam eſſe. Cum enim *Paulus*, qui antea fuerat Phariſæus

ſæus tum eruditione, tum ſanctitate, eminens, prætereaque inſectator Chriſtianorum crudeliſſimus, nunc eſſet fervidiſſimus Chriſtianus, proque Chriſto mori non recuſaret, ac miraculis etiam demonſtraret, ſe ad hanc religionem propagandam a Deo emiſſum eſſe; quis Judæus, ſi ipſi mens eſſet ſana, non agnoſceret religionis Chriſtianæ divinitatem? Sub exitum hujus Diſſertationis refellitur eorum Theologorum error, qui, *Paulum* violenta ratione a Chriſto converſum fuiſſe, putarunt; ſimulque illa dirimitur quæſtio, cur non eodem modo ceteros Phariſæos Chriſtus converterit. Verum de brevi ſcripto non licet eſſe nobis longioribus, maxime cum facile credamus, id a compluribus perlectum iri ob argumenti & raritatem & gravitatem.

COMMENTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA de Jeſu Nazareno ingrata patria exſule, ad dictum Luc. IV, 28, 29, 30, *potiſſimum adornata, Autore JO. RUDOLPHO KIESLINGIO, Prof. Publ. Extr.*

Lipſiæ, ex officina Clanneri, 1741, 4.

Plag. 8.

Ad ſcientiarum incrementum facere plurimum, ubi vir aliquis doctrina atque ingenio egregius argumentum aliquod dedita cura illuſtrandum ſibi ſumit, fatentur omnes. Idem omnino dicendum de Sacra Scriptura. Equidem plures in omnes illius libros proſtant Commentarii, ut non tam inopia, quam copia, laboremus; nihilo tamen minus in illa occurrunt loca, in quibus nondum omnia ita ſunt expedita, ut non accuratiorem curam atque meditationem deſiderent. Idem loco præſenti, quem Vir Clariſſimus, Academiæ Lipſienſis novus doctor, excutere conſtituit, evenifſe, ſatis conſtat. Quod ipſius inſtitutum eo magis dilaudandum videtur, quoniam, quod ſciamus, nondum aliquis exſtitit, qui locum hunc ſigillatim explanare in animum induxerit ſuum. Sed lucubrationem hanc propius luſtremus, ex eademque potiora enotemus.

Vulga-

Vulgarem derivationem urbis Nazareth a נצר, *ſurculus*, ob ſitum & multitudinem arborum & florum, quam *Hieronymus* & *Bernhardus*, multique ex Patribus, comprobant, Autor non rejicit; addit tamen, poſſe etiam oppidum hoc nomen iſtud ſuſtinere, quoniam aditus illius difficilis, locus hic deſertus, & a commercio hominum remotus, fuerit, quod ipſum ex illius ſitu, teſtimoniis *Hadr. Relandi*, *Adrichomii*, *Euſebii*, &
Pag. 6. *Thomæ Fulleri*, prolatis, demonſtrat. Quæ illius facies fuerit Seculis VI, VII, VIII, & XII, breviter attingit. Ædiculam, quam inhabitavit *Maria*, angelorum miniſterio primum in Dalmatiam, inde Seculo VIII in agrum Lauretanum, deportatam eſſe,
9. fabulis merito adſcribit. De loco *Matth. II, 23*, ptoductis ac examinatis variorum ſententiis, exiſtimat, non ad unum Prophetarum locum, ſed plures, reſpicere, nec cujusquam verba,
17. ſed ſenſum, proferri. Commercium Jeſu in terra Zabalonitica *Gen. XLIX, 13*, *Devt. XXXIII, 18*, præſignificari, cum Cel. *Haſæo* ſibi perſuadet, cumque contra illam explicationem quædam monuiſſet Cl. *Vriemœtius*, quid roboris ipſius argu-
21. mentis inſit, judicioſe oſtendit. Nomen *Nazareni* tulit Jeſus ab habitatione ipſius ſatis diuturna, quæ in 28 annum fuit protracta, initio calculi hujus ducto ab ipſius reditu ex Ægypto, qui in tertium ætatis ipſius annum incidit. Rationes ita ſubducit. Primo ætatis Chriſti anno vivis exemtum fuiſſe *Herodem M.*, & quidem circa tempus paſchatos; cum autem varii ab ipſius exceſſu motus exorti eſſent, antequam illi componerentur, & *Archelaus* ab *Auguſto* rector populi Judaici conſtitueretur, biennium ad finem decurriſſe, ſed Jeſum ex Ægypto rediiſſe, *Archelao* ſumma rerum potito, *Matth. II, 22*, docetur; ὁμοψήφους ſibi laudat *Nicol. Toinardum*, *Jac. Salianum*,
26. *Arthurum Bedfordum*, & *Richardum Montacutium*. His præmiſſis, ad locum, quem explanandum elegit Vir Ampliſſimus, propius accedit, in tempus inquirens, quo id, quod *Lucas* victuris chartis commiſit, evenerit. Non primo miniſterii Chriſti anno, quod *Epiphanius* & *Haſæus* cenſuerunt, ſed ſecundo, id contigiſſe, argumento ducto ex *Luc. IV, 16*, & harmonia Evangelica rerum a Chriſto geſtarum, cum *Jo. Henr. Majo*, *Pfaffio*,

Pfaffio, & *Calmeto*, arbitratur. Hinc in rationes facinoris, a Na- Pag. 29.
zarenis in Jesum admissi, inquirit, & locutiones, a *Luca* adhibitas, circumspecte explanat. Interpres Persa verba *Lucæ*: ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω τῆς πόλεως, reddidit, *extulerunt Jesum extra civitatem*, uti etiam Æthiops verba: ἤγαγον αὐτὸν ἕως τῆς ὀφρύος, *attulerunt eum in sinum cacuminis*, quoniam verbum ἐκβάλλειν plerumque de violenta ejectione, qua in tumultu & seditione aliquis quasi effertur & exportatur, sumitur.
Θυμὸς hic notat summum iræ ac excandescentiæ gradum, uti 32.
Dan. III, 19. Matth. II, 16. Ὀφρὺς est supercilium montis, locus eminentior, quo sensu venit *Straboni Lib. V pag. 366.*
Signa pessimæ indolis in civibus Nazarenis notat, *primo* Θυμὸν 33.
vers. 28, quo perciti in Jesum ferebantur ob insignem ipsius sapientiam, miracula alibi patrata, & quod ipsi Jesu sermonibus, in schola habitis, se peti arbitrabantur. *Secundo*, quod cum tumultu & seditione in schola surrexerint, ubi verbum ἀνίστημι respondet Ebræo קום *Gen. IV, 8*; *tertio*, quod ipsum urbe eduxerint cum vi & manu armata *vers. 29*, *quarto*, quod in montis summitatem deduxerint, quo inde ipsum præcipitem darent, cum supplicia intra urbem executioni dare integrum ipsis non esset.
Hinc, occasione ita ferente, quædam de præcipitationis sup- 35.
plicio adducit, quod, si quidem ad supplicia, inter Judæos statuta, referendum sit, ad lapidationem reduci posset. Illius exempla haberi *2 Chron. XXV, 12*, *Ps. CXXXVII, 9*, *2 Reg. IX, 33*, ad illam alludi *Ps. CXLI, 6.* Judæi quidem huc etiam adducunt hircum ἀποπομπαῖον, qui, de petra vi quadam demissus, in frusta fuerit dilaceratus, sed tota illa traditio ipsi minus probatur. ארץ גזרה *Lev. XVI, 22*, non *26*, uti per errorem hic legitur, non esse rupem præruptam undique & abscissam, observat, sed potius locum difficilem, ab omnique hominum consortio quasi sejunctum. Adducitur præterea exemplum *Rhazis*, 37.
dum ab hostibus undique premeretur, de rupe se dejicientis *2 Macc. XIV, 44*, quod infeliciter in exemplum traxerint *Donatistæ*. Judam voluntario suspendio vitam finivisse, inde pro- 40.
pter suffocationem medium crepuisse, ac viscera omnia effudisse, cum Cel. *Heinsio* sentit. Præcipitationis pœnam apud

Græcos pariter atque Romanos obtinuiſſe, teſtimoniis pariter ac exemplis productis demonſtrat. De *Jacobi*, fratris Jeſu, ſupplicio ita ſtatuit, lapidibus ipſum obrutum fuiſſe, & πτερύγιον, unde præceps miſſus fuiſſe dicitur, forte de τοῦ βασιλικῆ
Pag. 49. intelligendum eſſe. Ipſum illud etiam alios ex Chriſti confeſſoribus ſubiiſſe, ex hiſtoriarum monumentis dat evictum.
50. His interſperſis, ad inſtitutum ſuum regreditur, ac exitum intentati ſupplicii expendit, quem ipſum *Lucas* commemorat *verſ. 30.* Hic minus miraculum aliquod cum *Adrichomio* ac *Brocardo*, monacho, aliisque Pontificiis ſcriptoribus, eſt commiſcendum, ac ſi petra fiſſa, vel ipſe in ulteriorem illius partem fuerit translatus, cum id a ſenſu literali verborum *Lucæ*,
53. ac agendi ratione, Jeſu uſitata, ſit alienum. Nec dici poſſe, ipſum veluti imbrem e manibus hoſtium ſuorum evaſiſſe, cum verum corpus humanum, non *putatitium*, habuerit, quod ſomniavit olim *Marcion*, nec corpus Chriſti inconſpicuum factum fuiſſe, nec hoſtibus ejus caliginem offuſam, qua ratione fraudem *Socini* ac *Woltzogenii* detegit; ſed potius ipſum, quod verba *Lucæ*, collata cum *Jo. VIII, 59*, præ ſe ferant, medios hoſtes tranſiviſſe, qui, cum ante fremerent, nunc obſtupefacti, conſilii ac virium inopes, quid molirentur, neſciverint. Ut autem Chriſtus ita ſibi conſuleret, ſapientiam divinam decuit, quia modo munus propheticum aggreſſus erat, porro ſupplicium tanquam ſummus Pontifex in urbe Hieroſolymitana ſubiturus erat, denique non lapidibus obruendus, ſed in
62. crucem levandus erat, quo oraculis divinis fieret ſatis. Sub finem Commentationis quæſtionem movet, num Chriſtus poſthac unquam in patriam redierit, quod negat, quoniam *verſ. 31* relatum legimus, ipſum, hoc facto, confeſtim Capernaumum feceſſiſſe, nec uſpiam in hiſtoria rerum a Chriſto geſtarum le-
63. gimus, ipſum ad Nazarenos regreſſum fuiſſe. Sic igitur omni ex parte præſtantiſſimus Autor officio ſuo fecit ſatis, ac ex omnis generis eruditione theologica argumento huic lucem inferre contendit; cui valetudinem, vires, ac uberem gratiam, ab optimo Numine comprecamur, ut rem ſacram in poſterum ornare pergat.

Joach.

Joach. Barward Lauenſteins Vertheidigung ſeiner Diplomatiſchen Hiſtorie von Hildesheim, ꝛc.

hoc eſt,

HISTORIA EPISCOPATUS HILDESIENSIS A frivola Lipſienſium cenſura vindicata, Autore JOACH. BARW. LAUENSTEIN, Eccl. ad S. Mich. Hildenesh. Paſt. Sen.

Hildeneshemii, typis Chriſt. Jo. Hieron. Hartz, Senatorii typographi, 1741, 4.

Plag. 7½.

Non poteſt ferre Vir Pl. Rev. laudes illas, quas unus noſtrum in *Hiſtoriam* ejus *Diplomaticam* congeſſit, & matura deliberatione conjecit, in *Actis A. 1741 Menſ. Mart. P. II pag. 152 ſeq.* Nobis haud fuit compertum, virum, qui manſuetudinem ſuos docere debet, exemploque eam præire ſuo, oris eſſe tam intrepidi, ut *Lipſienſibus* id objiciat, quod unus ipſi videtur peccaſſe, quem ignorat, nec niſi divinando aſſequi poteſt. Remittemus hoc ei peccatum injuriasque, licet ipſius hoc ſit & eſſe debeat inſtitutum, ut patientiam exhibeat ubique, & aliis peccata remittat. Non revocavimus ipſius merita in dubitationem, raturi potius, dummodo id ipſi perſuaſerimus, *Hiſtoriam* ejus *diplomaticam* tam affabre & ſolide eſſe concinnatam, ut nihil ſupra. Imperavimus nobis, ut Pag. 41.
non niſi modeſte & humaniter cum ipſo per quæſtiones ſimus collocuturi. Atro carbone notabimus nihil. Verſatur Autor in Hiſtoria ſpecialiſſima, quam præter ipſum noſſe ne Apollini quidem eſt integrum. Doceri itaque ab ipſo cupimus & diſcere. Et hanc ob cauſam proponemus quæſtiones. Laudabimus ea, quæ is in *Vindiciis* pulchrius & ſolidius expoſuit. Si qua nobis videantur dilucidius comprobanda, vel minus ſolida, tum e magiſtro rerum Hildeneshemenſium quæremus, quid noſtra porro interſit noſſe. Non indicabimus, Eccleſiaſtas nonnullos Evangelicos Epiſcopatus Hildeneshemenſis conqueri de reditibus parochialibus minus curate ſignificatis. Non demonſtrabimus, deſignationem jurium patronatus Lauenſteinianam haud omnino probari primoribus Dicaſterii ſacri Epiſcopalis, quod eſt Confeſſionis Auguſtanæ. Non monebimus,



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART

NATIONAL BUREAU OF STANDARDS 1963 A



1:24

AD NOVA ACTA ERUDITORUM
QUAE LIPSIAE PUBLICANTUR SUPPLEMENTE

BAND 5
LEIPZIG 1745

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ERLANGEN-NÜRNBERG ZUGRUNDE

SIGNATUR: LTG. IX,88.

poſſe citra magiam omnem ex *Beurmanni*, *Lezneri*, Diplomatum nonnullorum, & Actorum Conſiſtorii urbani ac Epiſcopalis Evangelici, dapibus fercula quædam apponi, quæ quantivis ſint pretii. Conſuluimus eos, qui Diplomatariis Hildeneshemenſibus ſunt inſtructi, an Hiſtoria illa diplomatica nuſquam impingat in genuinorum Diplomatum argumenta. Hi vero reſponderunt, ſeſe apparatu ſuo conſulturos Viro, hiſtoriæ ſpecialiſſimæ peritiſſimo, dummodo exiſtimare velit, dari incrementa notitiæ, ac diem poſteriorem eſſe prioris præceptorem. Sed ad rem. Indignatur Autor, quod Hildeſiam diximus *civitatem imperialem liberam*, ratus, eam eſſe urbem liberam
Pag. 1. circuli. Quærimus ab ipſo, an is, qui *kaiſerlich frei* vocatur, ſit ex Ordinibus immediatis Imperii; an Hildeſia multis Imperii privilegiis gaudeat; an ſit maximam partem libera ab Epiſcopi ditione; an ea ſoli circulo Saxoniæ inferioris pareat. Recenſuerat Autor *pag. 60, 61*, literas protectionis, quæ numero excedunt Principes ipſos, a quibus fuerunt datæ. Non omiſerat ibi quemquam Principum tutatorum. Nihilo minus Principum tutatorum nomina repoſuerat *pag. 192 ſeq.* Monueramus, ſupervacuam hanc fuiſſe operam. Reſpondet igitur, ſeſe priori loco literas protectionis, & poſteriori Principes tutatores, recenſuiſſe. Quid feret præmii hæc reſponſio? An licet pagum fictum *Suilbergawi* a genuino pago *Suilbergawi* diſcriminare? An Senatus Hildeneshemenſis fidem *Joannis Lezneri* habet pro ſincera? An alios ille ex literis *Lezneri* docuit,
4. quantopere hic partium fuerit ſtudioſus? An apparatu debito *Leznerus* fuit inſtructus? Quo teſte vel argumento pateſcet, ſeptem *Japheti* filios A. M. C. 1790 jam partem Europæ & terras, quæ vocantur Turcia Aſiatica, habitaſſe? An *Flavius Joſephus* in rebus, *Abrahamo* antiquioribus, quæ in literis ſacris haud exponuntur, eſt teſtis exceptione major? Ubinam
6. *Beroſus* in *Hiſtoriæ Chaldæorum Libro primo* perhibet, *Tuiſconem quarto Regis Nini anno Tanaim trajeciſſe* cum ſuis, ac ex Aſia in Europam veniſſe? Quænam ſunt *Beroſi* verba, quibus Tanais Europæ & Aſiæ fuiſſe terminus dicitur? Quibusnam verbis trajectum illum *Beroſus* memoravit? An verba: *Hercinia ſilva disjunxit Cheruſcos a Suevis, id eſt, Hermunduris,*

ita

ita exponi poſſunt, ut Hermunduri dicti ſint habitaſſe in regio- Pag. 7.
ne, quæ nunc dicitur Suevia? An *Speneri Germaniam antiquam* conſuluit Autor Pl. Reverendus? An *Caſpar Peucerus* & *Jo. Mich. Heineccius* ſunt idonei teſtes de ſitu montis Meliboci, 8.
qualis exſtitit ætate *Ptolemæi? Ptolemæus* certe accolas Meliboci orientales poſuit *περὶ τὸν Ἄλβιν ποταμὸν, circa Albim flumen.* Mons *Blocksberg* huc haud æque ſpectat ac Hercinia orientalis, cujus exigua particula eſt *Broksberg*. Sed reſumimus quæſtiones. Quo, obtecramus, teſte genuino oſtenditur, Thuringos ab A. 446 uſque ad A. 528 dominatos eſſe 9
terris, quæ nunc Epiſcopis parent Hildeneshemenſibus? An *Duringesrode*, villa ad Brunſuicum devaſtata, indicat ſono, Thuringos ibi habitaſſe? An *Thuringi* nomen non ſæpius fuit nomen viri? An inter teſtes Diplomatum non crebro legitur *Thuringus?* An *Thuringi* ad Hildeſiæ oras incoluerunt, ſi ipſi 10.
Hatheleriam vel loca ad Helmſtadium incoluere? An *Norththuringia* diffuſa fuit uſque ad terras diœceſeos Hildeneshemenſis? An *Bothonis Chronicon Brunſuicenſe picturatum* recte vocatur *Saxonicum?* An civis Brunſuicenſis, qui Seculo XV ſcripſit, eſt teſtis fide dignus de rebus Saxonum ad A. 429? An *Botho* ille meminit anni illius 429? Qualis fuit differentia inter Comites Saxoniæ Seculo V & VI, atque Seculo IX & X? Anne jam *Caroli Magni* tempore exſtitit Imperium Romano- 12.
Germanicum? An Saxones pacati *Carolum Magnum* pro Imperatore Romano-Germanico, an pro domino ſuo, reputarunt? An Poeta Anonymus Saxo teſtatur, Saxonas pacatos A. 803 *Carolum M.* pro Imperatore reputaſſe? An potius perhibet, eos promiſiſſe, ſeſe Regi parituros æqualiter uni? An, *Arnulfo* Im- 16.
peratore mortuo, ſex gentes Germaniæ priorem receperunt ita libertatem, ut liceret ipſis communem Regem eligere, aut peculiarem ſingulis adſciſcere? An Venedi tunc fuerunt ita gens Germaniæ, ut libertatem receperint, *Arnulfo* defuncto? An Venedi Saxonum ditioni fuerunt ſubjecti? An Saxonum ſtatus redivivus fuit communis ceteris Germaniæ gentibus, Franciæ ſubjectis, & tributariam olim conditionem nactis? An 17.
Carolingi fuerunt omnes mortui, defuncto *Ludovico Infante?*

An *Bennopolis* memoria ante *Berwardum* occurrit in charta, fidei plena? An *Benneburgum* caſtellum jam exſtitit ætate *Caroli M.?* An notio relativa ſitus occidentalis ad domum certam Autoris tantum eſt reſtringenda? An *Annaliſta Saxo ad A. 815* potuiſſet locum, in quo baſilica Epiſcopalis fuit exſtructa, definire incultum, & undique ſilvis paludibusque refertum, ſi *Benneburgum* in proximo jam tum exſtitiſſet? An pagus *Amber-*
Pag. 23. *gau* poteſt dici æque *Haſala* (Aſtfala), ſi Diploma *Ottonis III* ad A. 1001, cui ille pagus *Haſala* innititur, fatente Cel. Au-
24. tore, eſt ſuppoſititium? An *Pateleche* eſt *Bidemla* ſeu *Bilderla*, ſi *Pedel*, *Pedelon*, *Patheleche*, fuit villa deſolata, ſupra Seſam ſita? An *Ottonis II* Diploma, ad A. 979 datum, eſt genuinum? An amnis *Schildau* ex mappis geographicis, an ex denomina-
25. tione accolarum, eſt appellandus? An Diplomata genuina conveniunt cum ſcriptis *Leznerianis* de Comitibus Winceburgenſibus, Peinenſibus, Daſſelenſibus, Woldenbergenſibus, Poppenburgi, Schlademii, &c.? An *Reinhardus*, Abbas, initia *Winceburgi* ad *Hermannum I* retulit? An ea, quæ Autor aliquis cu-
27. ra poſteriori emendavit, ei denuo poſſunt opponi? An *Benneburgum* fuit civitas juncta *Hildesheimio*? An *Benneburgum* fuit caſtrum? an aliquid amplius? An *Benno*, *Bennopoleos* autor & *Benneburgi*, fuit *Benno II*, Comes Scotelingæ, Dux Saxoniæ? An gentes, a Chriſto alienæ, norunt jam *Benneburgum*? An
28. *Hildeneshemium* dici commode potuit ex ſilva *Hils*, an ex *Hildonis* cujusdam nomine? An *Hilfesheim* potius denominatur ex
30. *Hils*, quam *Hildenesheim?* An Diplomate *Henrici VII* Regis, ex *Friderico II* nati, dato in urbe Wirciburgi, illo inquam, cui annus deeſt, doceri poteſt, novam civitatem *Hildinesheim* A. 1090 eſſe exſtructam? An *Egberti II*, Marchionis, turbæ civitati illi dederunt initia? An B. *Behrens* inmerito Diploma *Henrici* retulit ad annum 1116, & *Henrico V* tribuit? An
32. his nupera Neoſtadenſium protraxit genuinum *Henrici* Regis Diploma? Annon B. D. *Behrens* ipſe erratum ſuum emendavit? An Diplomati deſcripto *Henriciano*, quod hic tenebat, falſus annus erat adſcriptus? An *Walbertus*, Epiſcopus, vivo *Wicberto*, rexit eccleſiam? An *Tangmaro* hic, invitis Concilii um ſubſcriptio-

ſcriptionibus, fides eſt habenda, ejusque ſectatoribus? An *Walberti* familia gentilis ex Albatinis idoneo teſte & antiquo ſatis firmari poteſt? An *Caſp. Calvær* & *Jo. Leznerus* ad illud aſſerendum fide ſunt ſatis digni? An tres Canonici cathedrales Hildeneshemenſes ad Seculum XII modo poſſunt ſuppeditari, quia Pag. 34.
Pl. Rev. Autor, plures exſtitiſſe, ignoravit? An dici poſſunt Seculo XIII vixiſſe 30 Canonici ejusmodi, quia idem, plures exſtitiſſe, ignoravit? An ideo Diploma aliquod eſt genuinum, quod is, cui illud datum cenſetur, in ſucceſſoribus adhuc obtinet bona, in illo recenſita? 37.
An Diploma eſt genuinum, quod in hiſtoriam ſui temporis graviter peccat? An *Henrici II* parentes *in gremio Eccleſiæ Hildeneshemenſis* fuerunt *oriundi*? an *Henrici II proles* fuit *incolumis?* Gratias habemus & agimus Autori, quod ſacellum S. Crucis aquilonare, A. 996 fundatum, & orientale, A. 1009 *) perfectum, probe diſtinxit, & utrumque illuſtravit. Id vero eundem interrogamus, an Diploma *Henrici II* A. 39.
1739 dici potuerit nondum typis expreſſum, quod ipſe jam A. 41.
1735 formis publicis deſcribendum curaverat? Id habet ille eximii, quod illud primus produxit. Hunc ejus honorem in controverſiam non vocavimus. An tricennale *Caroli M.* bellum ad Saxones æque ac ad *Wittechindum* annumerari poteſt ratione durationis? An annus emortualis *Caroli M.* poteſt dici ejus decimus quartus reſpectu Germaniæ? An numerus ille omni ſpecie veri exuitur, ni eum ad Saxones reſtringis? An Saxonia 43.
ante *Carolum M.* a 24 Adelingis fuit gubernata? An Adelingi omnes fuerunt proceres? An *Winceburgum* exſtitit ante *Hermannum I?* 45.
An genealogia Comitum Winceburgicorum, ab *Harenbergio* poſthæc emendata, & fictis progenitoribus truncata, priſtino ejus teſtimonio, poſtmodum correcto, defendi poteſt? An ex *Altfridi* charta, quam ipſe Pl. Rev. Autor *pag. 23* pro ſuppoſititia habet, confirmatio Cœnobii *Lammeſpringenſis* 45.
comprobari poteſt? Nonne *Harenbergius*, Sigillo & Diplomate inſpecto, curis poſterioribus defunctus, Diploma pronuntiaverat ſerius fictum? An *Ludolphus*, Comes Peinenſis, vocandus erat *Rudolphus?* Nonne ipſe, teſtimoniis allatis adjutus, Autor 47.
Ludol-

*) Requirimus hic teſtem fide dignum.

Ludolphum vocavit illum Comitem Peinenſem? Id tandem gra-
Pag. 20. to animo agnoſcimus, Doctiſſ. Autorem *villam Luteam*, prope collem Creila olim ſitam, ſitumque ac diſcrimen villarum *Drothe* & *Trathe*, nos edocuiſſe. Potuiſſet ipſe mitius agere, & eadem humaniter placideque proferre. Nos certe nihilo minus labores ejus laudibus, quibus ſunt digni, mactamus juſtiſſimis & concelebramus, ipſumque honorifice oramus, ut unum alterumque momentum gravius, ex hiſtoria Hildeneshemenſi illuſtratum, *Miſcellaneis* noſtris, haud ita pridem cœptis, inſerere dignetur, & pro certo reputet, nos *Vindiciis* ejus falſis adeo non fuiſſe ab ipſo abalienatos, ut potius æs triplex, quod ei circa pectus eſt, ſuſpiciamus, &, illud cum benevolentia nobis exhibenda in poſterum conjunctius fore, peramice placideque ſperemus. Quamprimum vero ipſe oſtenderit, *Oſtfaliæ* pagum uſque ad villam *Biſperode* patuiſſe, id quod nobis adhuc ſit vero abſimile; tunc credemus, villam *Biſcopesroth* latere in *Biſperode*, villa præfecturæ *Wiekenſen* Brunſuico-Luneburgicæ Ducalis, non vero *Lauenſtein* ſeu *Eggerſſe* Electoralis. An eo uſque Diœceſis Hildeneshemenſis fuerit dilatata, merito dubitamus. Subjungemus tandem quæſtiones aliquot majoris momenti. An *Egbertus II* in mola *Eiſenbüttel* prope Brunſuicum fuit percuſſus, & per inſidias interfectus? An autoritas *Conradi Botbonis* hic eſt potior teſtimoniis eorum, qui *Egberti* ætatem propius
28. contigerunt? An *Bruno*, *Ludolphi* Ducis filius, condidit tantum civitatem *Oldewik?* An locus *Oldewik* dictus fuit *Brunſwik?* An locus *Oldewik Brunone* eſt antiquior? An Hildeneshemium conſtitit quondam ex quatuor caſtellis? An ille numerus componi poteſt ex *Bennopoli*, *Gallenburgo*, *Benneburgo*, Inſula ſeu *Werder*, civitate *Dammonis*, *Pippelburgo*, & arce Epiſcopali? An *Gallenburgum*, *Benneburgum*, *Werderburgum*, & *Pippelburgum*, eodem olim tempore exſtiterunt ſub ditione oppidi vete-
46. ris? An Diploma, *Ludovico Juniori* ad A. 873 attributum, in quo Æra Chriſtiana ſub finem adhibetur, & cujus ſigillum eſt minus genuinum, pro genuino haberi poteſt? Sed

hæc hactenus.

* * *

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi V Sectio III.

CAROLI NEAPOLIS ANAPTYXIS AD FASTOS Ovidianos, cum additamentis JO. FELICIS PALESII, Patavini, in uſum Regii Nobilium Collegii Borbonici R. R. P. P. Cl. R. Teatinorum, ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Virum, JACOBUM BONANNUM, Cl. R. T. Pactenſium Epiſcopum.

Excudebat Panormi, in officina ejusdem Collegii, Onuphrius Gramignani, 1735, fol.

Alph. 5.

Alia omnino hic facie comparet *Anapteyxis* illa, quam qua deinde *Faci* eam *Gruterianæ* inſeruit Cel. *Paleſius*, non ſine magno literarum detrimento vivis haud ita pridem ereptus. Primo quidem loco, brevem poſt Præfationem, *Caroli Neapolis* vita legitur. Scilicet natus ille eſt Panormi, patre *Joſepho*, Campibelli duce, legum prudentia & dignitatis gradu clariſſimo. Mirifice ab ineunte ſtatim ætate literarum in ſtudiis profecit, ac linguæ potisſimum Græcæ eximiam ſibi cognitionem comparavit. Patrem deinde in Hiſpaniam ſecutus, ſummam a *Philippo* Rege gratiam iniit, & in quovis præſtantium virorum ordine magnæ eruditionis opinionem ſibi peperit. In Regia Domo *Cortinæ*, quam dicunt, præpoſitus fuit, ſtipique pauperibus dandæ præfectus;

quo in munere cum eſſet, dignus habitus eſt, ut & Abbas S. *Mariæ* in Noharia renuntiaretur, & in id ſacerdotium Cardinali Infanti, *Ferdinando Auſtriaco*, Regis fratri, exſtincto ſuccederet. Hoc eſioque ſacerdotio regali beneficentia auctus, Cæſarauguſtanæ expeditionis comitem Regi *Philippo* ſe præbuit, Fragæque, in oppidulo Aragoniæ confini, vita deceſſit anno ætatis vel 31, vel 32. Ante Autoris mortem *Erycius Puteanus Anapeyxin* edidiſſe videtur, nimirum A. 1639; cui libro quantum ſit pretium ſtatuendum, vel ex teſtimoniis eruditorum, vitæ ejus ſtatim ſubjunctis, intelligitur. Excipiunt illa Calendaria vetera, ab ipſo *Carolo* Commentationibus ſuis præfixa. Calendario autem ruſtico *Colotiano Fulvii Urſini* annotatiunculas junxit *Paleſius*, quas jam ipſe *Fulvius* publicarat A. 1587, 8, quasque *Grævius* etiam inſeruerat *Theſauri* ſui *Tomo octavo*. Nihil nunc reſtat, ad inſtitutum noſtrum pertinens, niſi ut ſpecimina quædam diligentiæ, a *Paleſio* in ipſis animadverſionibus, ad *Anapeyxin* recens adjectis, oſtenſæ, præbeamus. *Pag. 53 not. 34* ad *Ovidii* verba *Lib. I, ſpica Ciliſſa*, inepte, ait, *Criſpinum*, qui *Naſonem* in uſum *Delphini* vulgavit, & cum quo ſæpius rem habuit Noſter, judicaſſe, hæc verba intelligere de Nardo, quæ in Cilicia naſcatur, noſque ad firmiſſima *Joſephi Scaligeri* argumenta, in *Caſtigationibus ad Propert. Lib. II Eleg. VI v. 74* propoſita, ablegat. *Pag. 105 ad Lib. I not. 131, Victima quæ cecidit*, de differentia inter *victimam* & *hoſtiam* agit. Dum hoſtia a quovis ſacerdote immolabatur, victima vero a victore; hæc poſt devictos hoſtes cædebatur, illa cum in hoſtes iretur; hæc major erat, ut vitulus, illa minor, ut agnus. Non tamen ſine cauſa *Servius* jam obſervavit, hæc licenter confudiſſe antiquitatem. Ceterum, ſe non videre, pergit, qua ratione dicat *Ovidius: Hoſtibus a domitis hoſtia nomen habet*, cum hoſtia tum cæderetur, cum in hoſtes expeditionem facerent, unde potius, autore *Feſto*, dicta ſit ab *hoſtire*, *ferire*. De Græcorum vero vocabulo Θύειν, ejusque a porco primum immolato origine, præeunte *Varrone Lib. II R. R. Cap. 4*, differitur *pag. 106* ad *num. 140*. De Carmentariis diebus notat *Paleſius pag. 110* ad *num. 180*, hos vel numero quinque fuiſſe, vel quinto die ſa-

cra

era iſta eſſe repetita; Carmentam vero, ut aliqui cenſeant, eſſe agnomen Deæ, a carminibus derivatum, quod verſibus iſthæc oracula promeret; verum autem ipſi nomen fuiſſe *Nicoſtratæ*. *Themin* Græci vocavere, *Dionyſio* teſte. Ejus templum fuit in regione Urbis octava. Ad repetitionem autem iſtiusmodi ſacrorum quod attinet, illa duabus *Carmentæ* ſororibus potiſſimum fiebat, quarum altera *Prorſa*, altera vero *Poſtverta*, dicebatur. Conferri poterit *A. Gellius Lib. XVI Noct. Att. Cap. 16.* Porro *pag. 150* ad *num. 35* docet Editor, non modo Dithyrambum Corinthios docuiſſe *Arionem*, ut referat *Herodotus*, ſed &, ſaltationem dithyrambicam inventam fuiſſe a Corinthiis, dicere videri *Pindarum Oda 13*, ubi *Xenophontis* Corinthii, curſu & quinquertio victoriam adepti, laudes celebret. Cur vero agentem bovem Dithyrambum *l. c. Pindarus* nuncuper, cauſam in promtu eſſe, ait, apud *Jo. Antonium Viperanum Lib. III de Poet. Cap. 12*, ubi, *agentem*, inquiat, *bovem appellat, quoniam præmium, quod Dithyrambis dabatur, bos erat*, &c. *Pag. 150* ad *n. 201* confirmat Noſter, coronas quidem ſolitas fuiſſe in ſepulcra mortuorum afferri, ſed non omnes coronarum ſpecies. Vetitum ſcilicet fuit lege XII Tabularum, ne longæ inferrentur. Verba legis ſunt: *Ne longæ coronæ, neve acervæ, proferuntor.* Decemviri enim, ut quam minimo ſumtu mors honeſtaretur, prohibuerunt longas coronas, ab iis diverſas, quibus, rotundæ quod eſſent, capita redimiri conſueverant. Longis coronis non cadavera modo, & buſta, & ſepulcra, verum etiam ſellæ curules, & theatra, & currus triumphales, & fores, implicabantur. Ut vero præmiis virtus excitaretur, coronæ poteſtas facta eſt ei, qui aut per ſe, aut per ſervos, equosque ſuos, in publicis certaminibus victor eam meruiſſet, nec victoris tantum cadaveri, verum etiam parenti ejus, corona imponebatur. Poſtquam enim filius elatus erat, corona eadem domum referebatur, ut eſſet teſtimonium virtutis in familia, uſque ad funus parentum. Legem ipſam ſic reſtituit *Jacobus Gothofredus*: *Qui coronam parit ipſe, pecuniæve ejus, virtutis ergo arguitor: & ipſi mortuo, parentibusque ejus, dum intus poſitus eſcit, foriſque effertur, ſe fraude eſto.* Sed quando ad finem deducere-

mur, ſi quidem omnia notatu digna notare vellemus? Vel ex paucis his intelligitur, mereri omnino *Paleſium* limatiſſimis ſuis lucubrationibus, ut cinis ejus literatis ab hominibus coronetur, utque apud omnem poſteritatem præclara virtutum ejus teſtimonia exſtent.

A GENERAL HISTORY OF THE WORLD, &c.

hoc eſt,

GENERALIS HISTORIA MUNDI A CREATIONE uſque ad Hieroſolymam a Nebucadnezare deſtructam; quæ eſt illa periodus, qua Vetus Teſtamentum concluditur. Corrigitur ſacra & profana hiſtoria, ſeptuaginta Interpretum & Hebræa Chronologia comparantur, & ad annos ante Chriſtum natum accommodantur. Autore THOMA BRETT, L. L. D.

Londini, typis Fletcher Gyles, 1732, 8.

Plag. 22.

In Præfatione Autor commemorat, ſe ante biennium ſpecimen chronologicum computationis ſeptuaginta Interpretum tuendæ cauſa ſcripſiſſe, idque publicari permiſiſſe. Huic additum erat aliud ſpecimen, in quo diſquirebatur, num lingua primæva, qua ante turris Babelis exſtructionem uſi ſunt, adhuc uſquam ſupereſſet. Poſtea ſibi hoc Compendium hiſtoriæ mundi conſcribere viſum eſt, annis inprimis ante Chriſtum obſervatis, & in margine notatis. In re chronologica ab aliis diſſentiendi libertatem aliquam ſibi tribuit; ſecutus tamen eſt, quod ad ſeptuaginta Interpretes attinet, Alexandrinum & Conſtantinopolitanum calculum, & in Chronologia Hebræa *Ludovicum Capellum*. Chronologia Pentateuchi Samaritarum multis modis a reliquis differt; quod, ut luculentius appareat, hanc Tabulam offert:

1 *Adam*

	Septuag.	Hebr.	Samar.
1 *Adam*	230	130	130
2 *Seth*	205	105	105
3 *Enos*	190	90	90
4 *Cainan*	170	70	70
5 *Mahalaleel*	165	65	65
6 *Jared*	162	162	62
7 *Enoch*	165	65	65
8 *Methuſelah*	187	187	67, aut 187.
9 *Lamech*	188	182	53, aut 182.
10 *Noah*	600	600	600
1 *Sem*	2 poſt diluv.	2	2
2 *Arphaxad*	135	35	135
3 *Cainan*	130		
4 *Salah*	130	30	130
5 *Heber*	134	34	134
6 *Peleg*	130	30	130
7 *Reu*	132	32	132
8 *Serug*	130	30	130
9 *Nahor*	79	29	79
10 *Terah*	130	130	130.

Licet igitur codices S. Scripturæ in numeris annorum, non Autorum, ſed deſcribentium, vitio, inter ſe diſſentiant; nihil tamen hanc ob rem veritati & autoritati ſacrarum literarum decerpitur, quippe quarum varia exempla in rebus ad ſalutem pertinentibus egregie concordant. Ac denique Autor nonnihil de mundo ſex annorum millia duraturo, prouti Patrum nonnulli putaverunt, diſſerit, & opus ipſum tractandum ſuſcipit. In hoc Volumine *Liber primus* tantummodo continetur, in *ſeptem Capita* diſtributus, quorum 1) hiſtoriam antediluvianam ſiſtit; 2) enarrat ea, quæ poſt diluvium ad vocationem *Abrahami* uſque acciderunt; 3) argumentum incipit ab *Abrahamo*, & continuatur uſque ad exitum Iſraelis ex Ægypto, a quo 4) ad *Samuelem* Prophetam pergit; in 5) Reges enumerantur totius Iſraelis, quemadmodum in 6) Reges Judæ a diviſione tribuum

buum uſque ad captivitatem; 7) vero de imperio Aſſyriorum, loquitur. Non nova quidem, nec ſingularia, tradit Autor; cuncta tamen, pro libelli modulo, ſatis diſtincte luculenterque exponuntur, atque ex fontibus probatiſſimis petuntur.

ANTIRRHETICON, SEU CONFUTATIO ANnotationum JO. KOHLII ad geminos S. Ephræmi de S. Cœna Sermones.

Romæ, apud Jo. Mariam Salviani, Typographum Vaticanum, 1740, 8 maj.

Plag. 1.

Quis Autor hujus Commentationis ſit, in titulo quidem non exprimitur, ex approbatione tamen, eidem præmiſſa, apparet, illam *Petrum Benedictum*, famulitii Jeſu ſocium, conſignaſſe. Huic conſcribendæ & divulgandæ occaſionem dedit *Jo. Kohlius*, in Academia Petropolitana Hiſtoriæ eccleſiaſticæ & literarum humaniorum olim Profeſſor, qui, verba ſunt Autoris, *Altonaviæ in Moſcovia binos Ephræmi de ſacra Cœna edidit Sermones, ac illis adjecit annotationes, in quibus contendit, S. Ephræmum cum Lutheranis ſentire, panem in euchariſtia cum Chriſti corpore componi.* Efficitur hoc ex verbis, quæ in I Sermone habentur: *Corporibus carentes Seraphim ardentibus carbonibus Eſaiam ſanctificabant. Ignis vero non unam habet naturam, ſed duplicem; ligno enim conſtat & flamma; non aliter ſacer panis non ex una panea natura conſtat, ſed & divina; corpus enim, quod unius naturæ eſt cum divina, non una natura gaudet, ſed duplici.* Hiſce *Ephræmi* verbis ſubjicit Eruditiſſ. *Kohlius* hanc annotationem: *Hæc illa verba ſunt, quæ pontificiam transſubſtantiationem impugnant, quæque evidentiſſimum non creditæ ab Ephræ-*
Pag. 1. 2. *mo transſubſtantiationis præbent teſtimonium.* Quæ *Kohlii* ratiocinatio quoniam infirmior videbatur *Benedicto*, duo in tota hac confutatione egit, *primum* ut demonſtraret, *Kohlium* verba *Ephræmi* minus recte percepiſſe, *ſecundo* ut declararet, Sermones, a *Kohlio* vulgatos, ne quidem *Ephræmi* eſſe. Prius ita exequitur, ut verba controverſa cum aliis *Ephræmi* conſli-

confligat, quo ſic illorum ſenſum definire poſſit. Ita in eodem Sermone ex verſione *Koblii* dicit *Ephræmus: Ne reputes, quem hic panem, quodque vinum, vides, eadem hæc exiſtere; minime, Frater, nolito hoc credere. Precibus ſacerdotis, ſanctique ſpiritus adventu, panis fit corpus, vinum fit ſanguis.* Contendi vult porro verba monachi, quem loquentem introducit *Ephræmus: Accedenti & mihi tandem corpus præbebatur, quod cum tangere non auderem, vocem hanc perſonantem audiebam: cur non hoc homo vis accipere? nonne hic idem eſt, quem quærebas?* Quærebat autem corpus Chriſti, porrectum nihilo minus exhorruit ob ſpeciem carnis, ſed horrorem angelus mox diſcuſſit, reſtituta, quam abſtulerat, panis ſpecie. Tandem ſeſe recipit ad illa, quæ *pag. 382* leguntur: *Fratres mei, non aliter, mihi credite, accipimus Chriſti corpus, ac ſi ora ad coſtas Domini admoventes ex eis bibamus.* Propoſita autem quæſtione, quomodo panis corpus Chriſti fiat, reſpondet, *ſpiritum ſanctum adventu ſuo hoc efficere, quod humana mens capere non poteſt.* Quæ ubi propius conſideraſſet *Koblius*, a ſe impetrare non potuiſſe, quo minus fateretur, *Ephræmum in hac materia interdum παπίζειν, tacite cum Pontificiis ſentire.* Hinc examinat explicationem verborum *Ephræmi*, quam inſtituit *Koblius*, quam minus recte procedere, ſed *Ephræmum* potius ex aliis ſui & proxime ſequentis ævi hominibus explicandum eſſe, aſſeverat. Producit igitur verba *Jacobi*, Batharum Sarugi urbis Epiſcopi, cujus opera recenſet *Aſſemannus Bibl. orient. T. I*, qui Sermone 66 *de Paſſione Domini* dicit: *A quo temporis apprehendit* (Dominus) *panem, corpusque ſuum dixit, panem non fuiſſe, ſed ipſius corpus, & hoc* (diſcumbentes) *ediſſe, & ſanguinem ejus bibiſſe*, ex quibus verbis conſectaria aliqua Cl. Autor pro ſtabilienda ſua ſententia elicit. In hujus confirmationem affert verba Liturgiæ: *Adveniat, quæſo, ſpiritus ſanctus, & deſcendat ſuper nos, & ſuper hæc propoſita dona, & transmutet illa*, transmutationem autem, ſinitore *Tertulliano*, eſſe *interitionem priſtini.* Porro affert teſtimonia *Iſaaci Ninivitæ*, qui tamen, ipſo *Benedicto* judice, *proſopopœia, Poetarum more, ludit*, S. *Maruthæ*, Epiſcopi Tagritenſis, *Jo. Daræ*, Epiſcopi in Meſopotamia,

Pag. 3. 4. 6. 8. 9. 12. 16. 16. 17. 17-21. 22.

tamia, *Jo. Maronis* in *Expoſſ. Liturg. S. Jacobi Cap. III*, *Dion. Barſalibæi* in *Comm. Liturg. S. Jacobi*, *Eliæ*, tertii Chaldæorum
Pag. 30. Patriarchæ, itemque *Ebed-Jeſu*, Epiſcopi Sobæ Chaldæi, qui omnes transmutationi panis & vini faveant. Comprobat denique
33. ſententiam hanc ex Miſſalibus, Canonibus, & Liturgiis. Scripſerat *Kohlius pag. 368: Circa Eccleſiæ incunabula inaudita res erat transſubſtantiatio, nec cuiquam Patrum vel in animum venit ſuſpicari, fore, ut ejusmodi opinionis monſtrum aliquando ederetur.* Provocat igitur *Benedictus* ad univerſalem conſenſum doctorum omnium, quorum tamen loquentem introducit nemi-
45. nem. Fuerat adhuc in eo *Benedictus*, ut argumenta, ex *Ephræmo* depromta, examinaret; jam promovet pedem ad *alterum* inſtitutæ ſuæ diſquiſitionis momentum, demonſtrando, Sermones, a *Kohlio* editos, ne quidem *Ephræmi* eſſe. De priori affirmat, ex *Jo. Damaſceni Lib. IV de Fide orthod.* a *pag. 378* ad *382* deſumtum eſſe, adjectis aſſumentis quibusdam ex *Chryſoſtomo*, *Eſaia*, *Macario*, ipſoque *Ephræmo*; de poſteriori, non diverſum eſſe ab illo, qui *Vitis Patrum Lib. IV* ſit inſertus, *Libell. 18 de Prævid.* quique ab Abbate *Daniele* ad S. *Arſenium* referatur, locos, quos *Kohlius* inſtituto ſuo utiles crediderit, integros in utroque legi. Quod ne temere dixiſſe videretur, in medium producit verba *Damaſceni* ex *Lib. IV Cap. 14 de Fid. orthod.* & confert cum illis, quæ ex *Ephræmo* ſuo notarat *Kohlius*, ac ex nexu ſuperiorum, hunc illorum ſenſum eſſe, ſibi perſuadet: *Sicut carbo vivus duplici conſtat natura, ligno & igne; ſic cibus, quem Chriſtus nobis impertit, non unam habet naturam, ſed duplicem; quare, quemadmodum ſacramentum, quo regeneramur, aqua & ſpiritu conſtat, ita ſacramentum, quo reficimur, ex corpore & divinitate componitur.* Cum igitur affirmet, panem transmutari in corpus Chriſti, cogitare non potuit, perfecto ſacramento perſeverare naturam paneam, ut hinc *Kohlius* a ver-
70. borum illorum ſenſu plane aberraverit. Hæc pro inſtituti noſtri ratione ſufficere poſſunt. Ut enim in ipſam cauſæ hujus diſceptationem deſcendamus, leges noſtræ prohibent, qui commentarios rerum, in civitate literaria geſtarum, conſignamus, non arbitri litium eruditarum, minime autem omnium theologica-

rum,

rum, sedemus. Hoc tantum observamus, doctissimum *Benedictum* præpostero incedere ordine. Quodsi Sermones, a Cl. *Kohlio* vulgati, non sunt *Ephræmi*, quare illorum sensum ex *Ephræmi*, ipsique ὁμοψήφων, scriptis adeo solicite venatur? Adhæc, si qua convenientia inter verba *Jo. Damasceni* & hæc nostra intercedit, quod inficias ire non possumus, num inde sequitur, hos Sermones ex *Damasceno* fuisse compilatos? Enimvero, si ex *Ephræmi* scriptis, quæ genuina esse, Noster non negat, demonstrari potest, ipsum similitudine a carbone desumta usum fuisse, liquet, *Damascenum* emblema non inusitatum adhibuisse. *Ephræmum* autem istam comparationem instituere, ipse Rev. Autor docet *pag. 17 seq*; & eruditissimus *Assemannus Bibl. orient. Tom. I pag. 79 seq.* locum admodum memorabilem ex ipsius *Commentario in Jesaiam* producit, in quo divinam Christi naturam cum carbone *Jesaiæ* monstrato, humanam, quæ divinitatem quasi apprehenderit, cum forcipe componit, similitudinem hanc accommodans ad Christum, nos mundantem a peccatis nostris, prouti *Jesaias* tactu carbonis illius ab impuritate sua immunis est factus. Emblema hoc (*Jesaiæ* enim tale quid eo sensu præmonstratum non est,) num satis sit concinnum, viderint alii, nobis non æque videtur. Qui, quæsumus, arctissima duarum in Christo naturarum conjunctio per carbonem, forcipe extrinsecus tantum prehensum, repræsentari potest? An humanitas divinam Christi naturam assumsit, nec potius divina humanam elegit, ut in illa tanquam templo aliquo sancto habitaret? Præterea substantia carbonis, quæ igni materiam ac pabulum præbet, ab igne suo modo distincta manet; hinc similitudo hæc ad transsubstantiationem, qua ipsa panis & vini substantia destrui dicitur, transferri nequit. Et, quandoquidem Autori visum fuit, transsubstantiationis dogma ex *Ephræmo* stabilire, nobis etiam licebit ex ipso illo testimonia in contrarium afferre. Is, ubi apud *Photium Cod. 229 pag. 793* docuisset, in Christo duas esse naturas, quæ tamen, facta conjunctione, non inter se fuerint confusæ, pergit, οὕτω καὶ τὸ παρὰ τῶν πιστῶν λαμβανόμενον σῶμα Χριστοῦ καὶ τῆς αἰσθητῆς οὐσίας οὐκ ἐξίσταται, *ita etiam corpus Christi* (panis in sacra

 cœna),

cœna), *a fidelibus ſumtum, ſenſibilis naturæ eſſe non deſinit.* Quodſi igitur ex *Ephræmi* mente panis euchariſticus, dum a fidelibus ſumitur, ſenſibilem ſuam naturam non exuit, patronus transſubſtantiationis haberi nequit. Adjiciamus alium non minus inſignem illius locum, ex Sermone *de natura Dei curioſe non ſcrutanda, Operum pag. 524*, qui ſecundum verſionem *Gerh. Voſſii* ita ſe habet: *Quin & diligenter intuere, quo modo in manibus panem accipiens* (Chriſtus), *benedixit ac fregit, in figuram immaculati corporis ſui, calicemque in figuram pretioſi ſanguinis ſui.* Si panis, ejusdemque fractio, eſt figura corporis Chriſti, & calix figura ſanguinis ipſius, non in corpus & ſanguinem Chriſti convertuntur. Addimus, oratorum eccleſiaſticorum, orientalium maxime, ampullas pro vera ac determinata ſententiæ alicujus declaratione allegari non poſſe. Sed manum de tabula.

GUILIELMI PAUW, JCTI, HAGA-BAtavi, varia Juris Civilis capita. Editio ſecunda, emendatior.

Halæ, literis Jo. Chriſt. Grunerti, 1737, 8.

Plag. 4.

Clariſſimus Autor, cum ad ſummos in Jurisprudentia honores adſpiraret, & de conſcribenda Diſſertatione, quam vocant, inaugurali eſſet ſollicitus, judicio Ampliſſimi Viri, *Cornelii van Bynkershœk*, aliorumque celebrium JCtorum conſilio, meditabatur vindicias *Triboniani* contra intempeſtivos *Hofmanni* inſultus. Sed, manu labori admota, intellexit mature, & difficiliorem fore eundem, quam ut intra exiguum temporis ſpatium abſolvi rite poſſet, & ſolitos itidem Diſſertationis Academicæ terminos hunc ipſum eſſe omnino exceſſurum. Quibus aliisque rationibus permotus, primum hoc conſilium, quod mente conceperat, in tempus diſtulit commodius, & jam nonnullas civilis Juris obſervationes, quæ inter ſtudia quotidiana ſubnatæ fuerant, publicæ luci expoſuit. Nec ſane verendum Autori doctiſſimo eſt, ne libelli hujus lectores eum non laudatum

tum ſint ſepoſituri. Criticum enim agit modeſtum, aliisque ſua relinquens, ex propria penu profert, quæ obſcuris quibusdam in Romanarum legum volumine locis explicandis non ſine fructu adhiberi poſſint. Argumenta vero, quæ ſibi illuſtranda ſumſit, hæc ſunt. Primum ſcilicet *de geminationibus, ſeu earundem igum repe titionibus*, contra *Pratejum* diſſerit, &, virum hunc plerumque ſine cauſa ſolida notaſſe *Tribonianum*, variis ſpeciminibus commonſtrat. Deinde, *Præfectus urbi cur villicus dicatur a Juvenale Sat. IV v. 77*, diſquirit, & *legi 3 C. de Offic. Præf. urbi* medicinam affert. Remotis aliorum opinionibus, exiſtimat Clariſſ. Autor, a Satyrico voce *villicus* perſtringi tyrannidem *Domitiani*, cui *Romam ſervire*, paulo ſupra *v. 38* dixerat. Comparat igitur Præfectum urbi mancipio, & ſpeciatim villico. Nam, quemadmodum villicus, aliis licet ſervis præeſſet, ipſe tamen domini poteſtati ſuberat, & ad ejusdem nutum agere debebat omnia, ita & Præfectus, quantumvis toti præpoſitus urbi, vix tamen majorem poteſtatem ac libertatem habebat, quam villicus, imperioque herili nequiſſimi hujus Principis plane erat ſubjectus. Quod ſequitur *Caput tertium*, ad *l. 1 §. 12 D. de Offic. Præf. urbi* ſpectat. Quid in hac lege intellexerit *Ulpianus* per vocem *popularium*, itemque per *ſtationarios milites*, obſcurum eſt, multisque magni ingenii Criticis ad proferendas conjecturas occaſionem ſuppeditavit. Doctiſſimi *Pauw* ſententia eſt, in primo legis membro vocem *popularium* referendam eſſe ad materiam ludorum, conſeſſum nimirum populi theatralem, cum verba mox ſubſequentia interpretatio quaſi eorum ſint, quæ præcedunt; in parte autem legis altera eandem vocem alia ſignificatione accipit, & ad univerſam populi multitudinem extendit. *Stationarios* contra *milites* eos hic dici credit, qui ab *Auguſto*, pacis publicæ ſtudioſiſſimo, ad tutelam urbis ſunt inſtituti, & in plures diviſi cohortes, quæ proprie *urbanæ cohortes* appellantur, & a cohortibus prætorianis, itemque a cohortibus vigilum, ſeparati fuerunt. *Caput quartum de jurisdictione Præfecti urbi, & de jure deportandi, quod non habuit Præſes provinciæ, ad l. 1 §. 3 D. de Off. Præf. urb. & l. 6 §. 1 C. de Interd. & releg.* inſcri-

ptum eſt. *Caput quintum* complectitur *Obſervationem grammaticam ad l. 9. D. de Relig. & ſumt. funer. Caput ſextum* defendit lectionem receptam in *l. 2 §. 1 D. de Condict. ob turpem vel injuſtam cauſam; ſeptimum* vero grammatice explicat *l. 25 §. 4 D. de Acquir. vel omitt. hæredit.*; & *octavum* denique proponit conjecturam in *l. 4 C. de Crimine expil. hæredit.* Ibi pro verbis, *quæ ſocia rei humanæ atque divinæ domus ſuſcipitur*, legendum acute ſuadet, *quæ ſocia rei humanæ atque divinæ domi ſuſpicitur.* Atque hanc conjecturam firmare videtur ipſa legis intentio, quæ quippe vult, actionem expilatæ hæreditatis, utpote infamiam afferentem, pariter ac furti actionem, non dari adverſus uxorem debere, quæ rei humanæ atque divinæ ſocia domi ſuſpiciatur, id eſt, quæ a ſuis æſtimetur & colatur, tanquam domina.

TRAITE' DU BON CHYLE, &c.
hoc eſt,
TRACTATUS DE CHYLO BONO, ET AD GENERANDUM melioris notæ ſanguinem idoneo, quo, præter cauſas ordinarias, quæ eundem corrumpunt, multi morbi alii minus cogniti, atque ſimul remedia, illos cum avertendi, tum perſanandi, exponuntur.
Tomi II.
Pariſiis, apud fratres Oſmontios, 1735, 12.
Alph. 1 plag. &.

Multum profecto ad conſervandam & recuperandam valetudinem intereſt, ut chylus melioris notæ ex alimentis in ventriculo extrahatur, quoniam, ad ejus indolem & conditionem ipſum ſanguinem eſſe comparatum, cuivis facile conſtat. Talis autem paratur chylus, qualis eſt ciborum digeſtio, & ventriculi inteſtinorumque actio. Bene igitur factum a Doctiſſimo *Virideto*, a quo libellum hunc in lucem eſſe editum accepimus, quod, illis ipſis cauſis incitatus, pulchram hanc doctrinæ medicæ partem data opera excuſſit, multisque obſervationibus

vationibus illuſtravit. Neque ſolum rectam chyli elaborationem explanat, ſed & varias læſiones, chyli confectioni inimicas, ſive a vitio liquorum diſſolventium, ſive a morbo organorum, chylo elaborando, ſecernendo, atque transmittendo, deſtinatorum, proficiſcantur, exponit. Quod ut eo rectius pateat, nos, per Autoris inceſſuri veſtigia, omnem libellum in breviſſimam ſummam redigemus. Antequam chylus perfectus ad ſanguinem abit, cum eoque commiſcetur, alimenta triplicem ſubeunt mutationem, in ore ſcilicet, ſtomacho, ac inteſtinis. Quæ in ore ſit, dentibus, buccis, linguæ, & palato, præcipue debetur, quorum ſtructura & uſus hic fuſius enarrantur. Plurimum vero fructum ſaliva affert, quæ, peculiaribus quibusdam in glandulis ſecreta, maſticationis tempore cibis admiſcetur. Conſtat autem ſaliva partibus aqueis, ſale acido, & ſulphure crudo, in quibus demonſtrandis multorum argumentorum cumulo laboratur. Et, cum ſulphur crudum nutritioni, de qua hic longa digreſſione copioſius agitur, perquam inimicum eſſe videatur, neceſſe eſt, ut in ventriculo diſſolvatur, atque ita mutetur, ne quid inde detrimenti in nutritionem redundet. Altera maſſæ huic mutatio in ventriculo contingit. Quatuor in hoc obſervamus tunicas, ex quibus villoſa minimis abundat glandulis, quæ liquorem fundunt, ex particulis aqueis, ſulphure crudo, ſale volatili & acido, compoſitum, atque in ſtomacho contentum. Quo loco Autor præcipue exiſtentiam ſalis volatilis in hoc liquore multis argumentis probare, ejusque originem a ſpiritibus animalibus, utpote quos ſalis volatilis indolem habere putat, repetere, eaque occaſione falſas verasque methodos, ſalia in ſaliva & liquore gaſtrico explorandi, perquirere, tum vero etiam ſal acidum, quod eidem liquori gaſtrico inſit, multis experimentis evincere, conatur. Salia hæc volatilia & acida optima conſtituunt inſtrumenta digeſtionis, quæ a nonnullis triturationi, vel ſali etiam alcalino, perperam adſcribi ſolet, cum tamen ab acidis ſalibus non minus ciborum appetitus provocetur, quam alimentorum diſſolutio efficiatur, quæ in actione ſalium acidorum atque alcalinorum, in ſaliva & ſucco ventriculi glanduloſo contentorum,

Tom. I P. I. Cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

cum ſalibus acidis atque alcalinis alimentorum, atque hinc oriunda fermentatione, conſiſtit. Ut igitur eo diſtinctior fermentationis, per quam chylus fit, idea in mente excitetur, Autor, e re Lectoris fore, exiſtimavit, ſi digrederetur aliquantum, & cum
Cap. 12. de natura atque diverſitate ſalium, utpote quæ cauſam immediatam fermentationis dicit, tum de materia ætherea, tanquam
13. cauſa remota, & quæ ſalia in motum agit, diligentius diſputa-
14. ret. Et, quamvis, varia argumenta contra ſal hoc liquoris ſtomachalis acidum a viris doctis afferri in medium, videat,
15. hæc tamen ſuis reſponſionibus tollere laborat. Neutiquam vero putandum eſt, acidum illud in omnibus animan-
16. tibus idem eſſe, cum diverſa ejus indoles pro animalium diver-
17. ſitate compluribus momentis probetur. Ipſius etiam effectus ratione præcipue admodum variat, cum aliquando omnes partes alimentorum non mutet, nunc vero naturam eorum prorſus invertat. Salia hæc ventriculi acida pariter atque alcalina
18. debentur ſanguini, in quem alcalina recipiuntur ex variis cauſis, ex eſu carnium, herbarum, fructuum, ex aere, & maxime etiam ex effervescentia ſanguinis, quæ ſalia acida in alcalina convertit. Acida autem ſalia ſanguis recipit e nitro aliisque acidis, aeri admixtis, quæ ope reſpirationis cum ſanguine com-
19. municari ſolent. Ex ſanguine autem ſalia hæc beneficio glandularum tunicæ villoſæ in ventriculi cavitatem derivantur. Quoniam etiam ſuperius dixit Autor, aerem frigidum plus acidi ſanguini impertiri, quam alium; nunc oſtendit, naturam frigoris in partibus acidis eſſe poſitam, propterea que appetitum magis vigere, & digeſtionem promtius ſuccedere temporibus locisque frigidis. Et, quia, doctrinam hanc magni momenti eſſe,
22. judicat, origines ſalis acidi adhuc uberius & accuratius eruit. Satis vero ex eo, quod digeſtio per fermentationem fit, liquideque patet, illam per putrefactionem neutiquam fieri, ut nonnulli ſibi perſuaſerunt. Ad capiendum cibum ſingulari ap-
23. petitus ſenſione excitamur, cujus indoles hic copioſius enu-
24. cleatur. Ipſe liquor gaſtricus non agit niſi in motu conſtitutus; cujus quidem motus cauſæ cum aliæ, tum calor nativus,
25. exiſtunt. E ventriculo in duodenum, & ex hoc amplius, deri-

vatur

vatur chymus, idque potiſſimum motu, quo agitantur inteſtina, periſtaltico. In duodenum bilis & ſuccus pancreaticus Cap. 26.
profunduntur, quorum beneficio partes nutritiæ chymi ab in- 27.
utilibus & fæculentis ſeparantur extrahunturque, ut veri nomi-
nis chylus tandem evadat, & in venas lacteas ſecedat. Hæc ſil- 28.
tratio chyli non ſolius motus periſtaltici, inteſtinorumque com-
preſſionis, beneficio fit, ſed relaxatione etiam ſpirarum fibra-
lium in inteſtinis, quibus pori eorundem aperiuntur. Extre-
mo loco chyli perfecti indoles & attributa latius exponuntur.
Altera Parte ediſſerere inſtituit, quot modis chylus depravari P. II.
queat, idque culpa liquorum diſſolventium. Eo refertur ſa- Cap. 1. 2.
liva nimis fluida, nimis ſpiſſa, nimis acida, nimis dulcis, ni- 3.
mis ſalſa, nimis amara. Eadem vero etiam liquoris gaſtrici 4. 5. 6.
vitia notantur. Nunc enim nimis copioſus, nunc nimis par- 7. 8.
cus, nunc nimis dulcis, nunc nimis acidus, nunc etiam nimis 9. 10.
glutinoſus, eſt. Aliquando & a bile admixta, aut excretionibus 11. 12.
naturalibus ſuppreſſis, vitiatur. Denique & ſuccus pancreati-
cus, præcipue nimium acidus, labem adſpergere ſolet. Præter Tom. II
hæc autem prava conditio ſolidarum partium, quibus chyli P. III.
præparatio quomodocunque debetur, venit in culpam, quare
is interdum minus recte ſe habeat. Ita enim primam in ore Sect. I.
alimentorum comminutionem & deſcenſum in ventriculum
impediri videas a variis labiorum, gingivarum, dentium ma- Cap. 1. 2.
xillæ inferioris, buccarum, linguæ, faucium, uvulæ, tonſilla- 3.
rum, partiumque deglutitioni deſtinatarum, quorſum & ſigil- 4. 5. 6. 7.
latim angina pertinet, itemque aliis faucium non minus, quam 8. 9. 10.
tunicæ interioris œſophagi, præcipue glandularum & ſucci, ex 11.
his prodeuntis, ac tunicæ ejusdem mediæ, morbis. Perinde 12. 13.
vero & ſtomachus cauſam mali ſuſtinet. Modo enim vitium Sect. II
eſt in tunica ventriculi villoſa, ejusdemque præcipue glandu- Cap. 1.
lis, itemque intemperie calida & frigida, modo in membrana 2.
nervoſa, modo in muſculoſa, cui nauſea in acceptis refertur & 3.
vomitus, isque interdum bilioſus & ſanguineus. Aliquando 4. 5.
vermes ſuccum nutritium conſumunt. Huc etiam ſingultus per- 6. 7.
tinet. Interdum motus periſtalticus ſe minus recte habet. Aliis 8.
etiam morbis, præſertim flatibus, ſuccus nutritius impeditur. 9. 10.

Carti-

Cartilaginis quoque xiphoidis depreſſio ſtomachum male afficere
Sect. III ſolet. Alii morbi ratione nervorum obtingunt. Denique & in ca-
Cap. 1. nali inteſtinorum chylus detrimentum capit. Idque fit ſæpius vi-
2. 3. tio glandularum inteſtinalium, & liquoris, iis ſeparati. Aliquando etiam a prava indole bilis & ſucci pancreatici deterior
4. redditur. Non raro in motu inteſtinorum periſtaltico culpa
5. reſidet. Denique & multa chylo obvenire ſolent vitio vaſorum lacteorum & ductus thoracici, per quæ ad ſanguinem vehitur. Vitia hæc, ſive in partibus fluidis, ſive ſolidis, obſerventur, Cl. Autor accurate ſatis diſtinxit, atque enumeravit, eorumque effectus pariter ac medicationem, cum remediorum formulis, docte & candide expoſuit. Noſtrum vero non eſt, omnia ea ſigillatim, & quaslibet cujusvis capitis particulas, percenſere. Ex his, quæ diximus, ſatis Lector intelliget, de quibus argumentis hoc in libello agatur. Multa occurrere videt, quæ in tractatione de bono chylo minus alias quærenda videbantur. Sed nobis non reprehendendus videtur liber talis, qui plura ſiſtit, quam in fronte pollicetur. Illud vero candide aſſeveramus, permulta in hoc Opuſculo explicari morborum genera, quæ in ampliſſimis ſæpe ſyſtematibus ſilentio prætermittuntur. Et, quamvis, hypotheſes atque ſententias nonnullas Autoris non cuivis probatum iri, facile credamus, obſervationes tamen practicæ, ſeu morborum enarrationes, quas idem ex adverſariis ſuis copioſiſſimas attulit, doctioribus Medicis haud dubie ſe commendabunt. Quoniam non eorum duntaxat gratia, qui artem medicam exercent, ſed in quorumlibet uſus, qui ſanitatem ſuam ſartam tectamque cupiunt, Opuſculum ſuum de chylo edidit; idcirco plana etiam, & perſpicua, & intellectu facili, dictione illius lectionem omnibus promtam expeditamque reddere laboravit. Ceterum ordinis aliquantum negligentior, nec in libri ipſius, aut ſingulorum Capitum, inſcriptionibus concinnandis, quod tamen alii ad res nullius momenti referent, ſatis accuratus fuiſſe videtur.

G. J. S' GRAVESANDE INTRODUCTIO AD Philoſophiam, Metaphyſicam & Logicam continens.

Leidæ,

Leidæ, apud Jo. & Herm. Verbeek, 1736, 8.
Alph. 1 plag. 1.

Celeberrimus Autor, rem parum utilem esse, judicans, Elementorum Philosophiæ explicationes multiplicare, nunquam de hocce libello conscribendo cogitasset, si non ipsi, quæ in eo continentur, aliis explicanda fuissent. Cum vero nihil magis naturale sit, quam unicuique sua placere, propriam sequi, quam alius methodo se adstringere, maluit. Methodus autem Viri olim doctissimi ita sese habet: Antequam artem dirigendi mentem in cognoscendis rebus explicare suscipit, cum rerum cognitionem illa ars pro objecto habeat, operæ pretium esse arbitratur, quædam præmittere de rebus generalissime consideratis; &, quia agitur de dirigenda mente, hujus etiam affectiones perpendere, utile censet. Primum igitur de rebus generalissime consideratis; postea de mente; & tandem de hac ipsa dirigenda in acquirenda rerum cognitione, agit. Duo priora ad Metaphysicam, ultimum ad Logicam, pertinent. Itaque *primus Liber*, qui Metaphysicam complectitur, in duas divisus est partes; quarum prior de ente, posterior de mente, agit. In illo disquiritur cum de ente in genere, & de rerum essentiis, tum sigillatim de substantiis & modis, de relationibus, non ente & nihilo, de possibili & impossibili, de necessario & contingente, de rerum duratione & tempore, de identitate, de causa & effectu; in hoc de intelligentia generatim, de libertate, de fato, de immaterialitate mentis, de eo, quod mens non sit ipsa cogitatio, de quæstione, an mens semper cogitet, de conjunctione mentis cum corpore, & de origine idearum. Substantiæ ipsi sunt aut cogitantes, aut non cogitantes. Cogitantes duas numerat nobis notas, Deum & mentem nostram; non cogitantes similiter duas, spatium & corpus; præter quas & alias esse posse, in dubium non revocandum censet. De identitate personæ hæc habet: Personam, inquit, Metaphysici vocant determinatam intelligentem substantiam; sed intelligentiam concipiunt, in qua, præter præsentes, quæ inter se conferuntur, ideas, datur recordatio talis præteritarum perceptionum, ut cum conscientia præsentis existentiæ conjungatur

tur memoria exiſtentiæ præteritæ. Hæc memoria (ſic pergit) proprie conſtituit identitatem perſonæ; poſita illa, perſona eadem eſt; ſi tollatur memoria, mutatur perſona, quamvis de eadem ſubſtantia agatur. Exemplo rem illuſtrat hoc modo: Morbo, aut caſu quocunque, *Sempronius* præteritorum memoriam amiſit; quas nunc habet ideas, non majorem cum illis, quæ ipſe olim cogitavit, relationem habent, quam cum iis, quæ cogitavit *Mævius;* quare in præſenti *Sempronii* intelligentia nullam cum præterita identitatem detegimus; ſubſtantia tamen mutata non fuit, ſed perſona. Velle Noſtro nihil aliud eſt, quam actus intelligentiæ, quo certus quidam exiſtendi ſtatus alteri anteponitur. Volo, rem extra me certo modo eſſe; manifeſtum putat, hoc ita poſſe exprimi; me ſtatum illum exiſtendi, in quo habebo ideam, rem iſtam ita ſeſe habere, anteponere huic ſtatui, in quo ideam habeo, rem aliter eſſe. In explicanda libertate jure ab iis diſſentit, qui, eligere mentem aliquid ſine ſufficiente cauſa poſſe, arbitrantur. Quamdiu mens deliberat, nulla datur determinatio; ubi unum eligit, & alterum rejicit, non ſine cauſa illud præfert; nam, quod electile apparet, non eodem tempore apparere poteſt non electile. Si quis reſpondeat, hoc electile apparere, tantum quia mens hoc vult; redimus ad primam quæſtionem, quare vult? id eſt, quare ita ſeſe determinat, & non aliter? Nihil non eſt cauſa effectus. At, inquit, ſunt, qui concedunt, in ipſo momento determinationis hanc neceſſario dirigi ad illud, quod eligitur, id eſt, ad illud, quod ipſo hoc momento optimum apparet; ſed, in hoc ſolo libertatem ſitam eſſe, addunt, mentem poſſe in ſuſpenſo hærere, deliberationem continuare, aut determinatione huic finem imponere. Sed non eo tollunt, quam ſibi fingunt, difficultatem; nam, continuare deliberationem, & hanc abrumpere, non ſunt idem; ſi continuetur, continuationis cauſa deſideratur; ſin terminetur, non ſine cauſa hoc fit. Tandem eo confugiunt, ut dicant, ſaltem in caſu perfecti æquilibrii determinationem cauſam nullam habere, præter ipſam mentem. Sed neque hoc placet s' *Graveſandio.* Dum durat æquilibrium, inquit, determinatio dari non poteſt; in ipſo

momento,

momento, quo hæc datur, unum alteri anteponitur, & cauſa quæritur, quare hoc, & non aliud, anteponatur. Sine tali cauſa æquilibrium in perpetuum duraret; ſed vix per tempus exiguum durare perfectum poteſt æquilibrium; minimum quid hoc turbat; attentione aucta aut turbata, facillime tollitur. Mens ipſa, dicunt, tollit æquilibrium; hoc perſuaſum habeo; ſed quare potius hoc modo, quam aliter? Inter incerta relinquit Noſter, utrum mens ſemper cogitet, nec ne; item ea, quæ de origine idearum diſputari ſolent; nec litem Philoſophorum de conjunctione mentis cum corpore, quam alii per influxum phyſicum, alii per cauſas occaſionales, alii per harmoniam præſtabilitam, explicant, decidere audet. Fatetur, ſententiam *Leibnitianam*, recte propoſitam, neque contingentiam actionum humanarum, neque libertatem, tollere; ſed negat, impoſſibilitatem influxus phyſici ſatis clare adhuc demonſtratam videri; poſtremo etiam ad ea reſpondet, quæ defenſoribus cauſarum occaſionalium objiciuntur. Progreditur ad *alterum Librum*, in quo Logices præcepta traduntur. Hunc *Librum* Cel. Autor diviſit in *Partes tres*; quarum *una* de ideis & judiciis, *altera* de cauſis errorum, *tertia* de methodo, agit. Adjecit appendicem de arte argumentandi. Judicia dividit Vir doctiſſimus in ſimplicia & compoſita; compoſita ipſi ſunt ratiocinia. Præclara ſunt, quæ de evidentia morali, de probabilitate, ejusque gradibus recte æſtimandis, de uſu hypotheſium, eaque occaſione de occultis literarum notis enodandis, differit. Sed & multa alia docte & ſuccincte in hoc libello traduntur, quæ hoc loco commemorare longum eſſet. In Appendice regulas ſyllogiſmorum, eorundemque modos & figuras, Autor demonſtrat. Cui ſi per fatum immaturum etiam reliquas Philoſophiæ partes pari ratione pertractare licuiſſet, dubium non eſt, quin laborem utilem, multisque pergratum, ſuiſſet ſuſcepturus.

VOCABULARIUM ARCHITECTURÆ ÆDIFICATORIÆ, Autore CAROLO DE AQUINO, Soc. Jeſu.

Romæ, typis Antonii de Rubeis, 1734, 4.
Alph. 1 plag. 7.

Commentarios in *Vitruvium*, ampliſſimasque in univerſam Architecturam Diſſertationes, complures ediderunt viri docti. Autori noſtro Clariſſimo vocabula, ad diſciplinam iſtam ſpectantia, recenſere, iisque digerendis, & accurate explicandis, laborem impendere, ſuaſit nobiliſſimæ artis cultoribus inſerviendi animus. Et, quoniam omnia complecti, quæ in immenſum abeunt, non fuit otium, prætermiſſis hydraulicis, polemicis, pnevmaticis, ſciothericis molitionibus, multoque magis parergis & diverticulis anxie quæſitis, intra ædificatoriæ cancellos ſubſiſtendum ſtatuit; ut intelligatur, cum cæmentis duntaxat, marmore, & metallis, quatenus ſtructuræ ſerviunt, ſibi eſſe negotium. Munitiones bellicas conſulto ſummatim tetigit, propterea quod ample illas operoſeque expoſuit in peculiari Lexico militari. Quod ad inſtrumenta & machinas attinet, eas tantum decerpſit, quibus præteritis, percipi tradique ædificatoria Architectura non poteſt. Italica rerum, quas tractat, vocabula paſſim adjecit; alias linguas non attigit. Brevitatis denique ſtudio Scriptorum teſtimonia, ubi ſatis notæ voces occurrunt, omittere, indicatis tamen plerumque locis, ſatius duxit; quæ minus compertæ ſe objecerunt, ut eas locis adductis ſuſtentaret, operæ non pepercit. Minime dubitamus, quin ſcripto luculento atque erudito magnam ab iis gratiam inierit Vir egregius, qui ſcientiæ huic artique pulcherrimæ operam navant.

VARIÆ CELEBERRIMORUM MEDICORUM Obſervationes, quibus multa loca Novi Teſtamenti docte illuſtrantur. Collegit D. GEORGIUS GOETZIUS, Medicinæ Practicus. Faſciculus primus.

Altorfii, apud Laurent. Schupfelium, 1740, 8.
Plag. 14.

Non facile artem aliquam eſſe, aut ſcientiam, unde prudens literarum divinarum interpres non aliquid in uſum ſuum depro-

depromere poſſit, communis fere Theologorum vox eſt; nec minus verum illud putatur, aliarum diſciplinarum antiſtites, ſi præterea juſta linguarum notitia ſint inſtructi, ex penu ſuo haud pauca ſuppeditare poſſe, quæ oraculis ſacris lucem ſœnerentur. Spiritus Sanctus locutiones ſubinde a rebus naturalibus mutuatur; varii morbi, eorundemque curationes, miraculoſæ maxime, in ſacra-Scriptura commemorantur; habent igitur ſcientiæ naturalis ac artis ſalutaris doctores, quo ſua ſagacitate ſacrarium divinum exornent. Nec hic Medicos ſuo defuiſſe officio, ipſorum ſcripta loquuntur. Horum in Novum Teſtamentum lucubrationes, quæ ſive res naturales ſpectant, ſive morbos reſpiciunt, ſparſas paſſim, in faſces aliquot revocatas, ſecundum ſeriem librorum ac ſegmentorum Novi Teſtamenti digeſtas, cum erudito orbe communicare conſtituit Expertiſſimus *Gœtzius*. Obſervationes, quæ in *primo* hoc *Faſciculo* comparent, non equidem ſunt novæ, utpote quarum pars in Commentationibus *Bartholini*, *Wedelii*, & *Baieri*, Medicorum celeberrimorum, legitur, pars ſeorſim prodiit; exiſtimandum tamen non eſt, Virum doctiſſimum, illas iterum prelo ſubmittendo, operam perdidiſſe. Gratiæ potius ipſi a Theologiæ exegeticæ cultoribus debentur maximæ, quod eas uno volumine concluſas in eruditorum conſpectum reducere voluerit, quæ ex diverſis ſcriptis, nec illis quidem cuivis ſemper obviis, repeti debent. Illarum indicem tantum cum brevi argumenti conſpectu hic dabimus.

Obſervatio *prima* eſt *Georg. Wolfg. Wedelii, de Accentibus generatim, ſpeciatim Græcorum*, quos, quia faciant ad ſoni moderationem, concipi debere vel *ſcriptos*, vel *non ſcriptos*, docet, quorum hos nunquam abeſſe potuiſſe, illorum aliquot priſcis jamdum temporibus adfuiſſe, nonnunquam vero omiſſos eſſe, demonſtrat. *Secunda* eſt ejusdem *de Numis Novi Teſtamenti*, Pag. 10-
in qua de materia numorum diſſerit, horum pretium determinat, 21.
ac ſpecies varias, in Nov. Teſt. nominatas, ſecundum ordinem literarum recenſet. *Tertia Thomæ Bartholini* eſt, *de Puerperio Mariæ*, 21-46.
ad *Matth. I*, in qua demonſtratur, conceptionem quidem Chriſti miraculoſam, nativitatem autem ejus, aperto utero, naturalem

Pag. 46. lem omnino fuiſſe. *Quarta, Jo. Jac. Baieri, de Donis Magorum,*
47. *Chriſto oblatis*, ad *Matth. II, 11*, diſputat, in qua id agit Autor, ut
doceat, *aurum, thus*, ac *myrrham*, ex Arabia allata, præſtantiſſimi
48-56. fuiſſe generis. *Quinta* ejusdem eſt, *de Veſtitu & alimento S. Joannis Baptiſtæ*, ad *Matth. III, 4*, & *Marc. I, 6*, cujus ſcopus eſt, oſtendere, & veſtitum & cibum *Joannis* conditioni apprime convenire. In ſolitudine is vitam agebat; veſtis igitur ſpiſſa ac denſa, *ex camelorum pilis confecta*, contra injurias aeris & pluviarum ſerviebant. Per ἀκρίδες intelligit *locuſtas*, qualibus in terris illis tenuioris fortunæ homines veſci ſolebant, &, quoniam aqua Jor-
56-62. dani utebatur, *mel ſilveſtre* & *locuſtarum* cruditatem, ac ad putreſcendum proclivitatem, & aquæ frigiditatem, temperaſſe ac correxiſſe. In *ſexta*, ejudem *Baieri, de Jejunio & fame D. N. J. C.*, ad *Matth. IV, 2*, & *Luc. IV, 2*, jejunium hoc præternaturale ac miraculoſum fuiſſe, evincitur, cum naturalibus viribus mortalium nemo per tantum temporis ſpatium omni cibo abſtinere poſſit, ut tamen vitam tueatur, quod exemplo *Guſtavi a*
63-66. *Bernhart* firmatur. *Septima* ejusdem eſt, *de Therapia Chriſti in genere*, ad *Matth. IV, 23, VIII, 16, Marc. I, 32, Luc. IX, 11, 12*, in qua, non omnes morbos, quos Chriſtus ſanavit, medicam ma-
67-69. num refugiſſe, contendit, illos autem omnes ipſum infinita virtute ſua profligaſſe. *Octava* eſt ex *Andr. Ottom. Gœlickii Hiſtoria Medic. univ. Period. I §. 21 pag. 75 ſeq.* decerpta, cujus breve argumentum hoc eſt, Chriſtum, ſanando morbos, etiam medi-
70-75. cum corporis appellari poſſe. *Nona, Conr. Johrenii, de Chriſto medico*, per modum Diſputationis Academicæ habita eſt Francofurti ad Viadrum A. 1703, in qua, naturalem vim per effluvia, ex corpore Chriſti ſanctiſſimo exhalantia, quæ tamen a virtute ipſius divina exaltata & ſuffulta fuerint, ſanandis morbis nonnullis ſerviiſſe, ſtatuitur, atque inde, affectus paralyticos, epi-
76-137. lepticos, cœcitatem, ſurditatemque, contactu ac ſaliva curatos fuiſſe, judicatur. *Decima* eſt *Wedelii, de Sale inſulſo*, ad *Matth. V, 13, Marc. IX, 50, Luc. XIV, 34*, in qua ratio redditur, quare
138-148. Chriſtus diſcipulos ſuos cum ſale comparet, & quo modo ille inſipidus & inſulſus fieri poſſit. Idem argumentum in Obſervatione *undecima* proſequitur *Baierus*, in qua adſtruitur, ſalem dici a Chriſto μωραίνεσθαι, vel ſpecialiori ſenſu, habita ratione ſalis

in

in terra Palæſtina, qui e rupium cavernis prope litora maris mortui adhuc hodie ab Arabibus colligitur; vel quatenus ſaporem ſuum deponit, repetita per aquam ſolutione, rurſum exſiccatione & calcinatione. *Duodecima* eſt ejusdem, *de impoſſibili mutatione coloris capillorum*, ad *Matth. V, 36*, in qua oſtenditur, veteres quidem diverſo colore capillos imbuiſſe, ſed id non eſſe ποιῆσαι, *facere albos*, vel *nigros*, ſed illinere tantum pigmento fugaci, nil mutata nativi coloris indole in pilorum originibus. *Tertia decima* eſt *Wedelii*, ad *Matth. VII, 11*, *Luc. XI, 2*, in qua vocem ἐπιούσιος ab ἔπειμι, *ſuccedo*, *inſequor*, arceſſit, ut τὸ ἐπιούσιον notet *ſequelam*, adeoque reddi optime poſſit per *panem conſecutivum*, *ſucceſſivumque*, *immer zu bedürfendes*, *täglich auf ein ander folgendes*, *Brod*. In *quarta decima*, *Baieri*, *de Oculo lucerna corporis*, item *de oculo ſimplici & nequam*, ad *Matth. VI, 22*, *Luc. XI, 34*, *lucernam* corporis dici oculum, notatur, quia, abs illo eſſet, corpus totum foret tenebricoſum, *ſimplicem*, ſanum, externis humoribus, viſum perturbantibus, non mixtum, ideoque purum & clarum. *Decima quinta* eſt *Wedelii*, *de Lilio agri*, ad *Matth. VI, 28*, *Luc. XII, 27*, qui, argumentum a lilii flore ad hominum de providentia divina diffidentiam reprimendam aptiſſimum eſſe, affirmat, quia lilium in numis tanquam ſymbolum aliquod *ſpei* occurrat. Per illud non lilium *hortenſe*, ſed *agreſte*, *martagonam* rei herbariæ conſultis dictam, intelligendum eſſe evincit; dicitur quippe κρίνον τῦ ἀγρῦ, & Chriſtus ſermonem ſuum in agro, in monte, habuit. Supplementi loco eſſe poteſt proxime ſequens *ſexta decima*, *Baieri*, *de Liliis agri*, ubi docetur, poſſe quidem unumquodque lilium mereri illam cum ornatu regio comparationem, veri tamen ſimillime intelligendam eſſe plantam, quæ *corona imperialis* vulgo dicitur, palmam præripiens omnibus, ſed cujus fœtor ſit extra tertium comparationis, a Chriſto inſtitutæ. *Decima ſeptima* ejusdem eſt, *de Spinis ac tribulis*, ad *Matth. VII, 16*, *Luc. VI, 44*. Eidem debetur *decima octava*, *de Lepra*, ad *Matth. VIII, 2*, *Luc. XVII, 12 ſeq.* in qua ſigna diagnoſtica lepræ tradit, cum lepra & elephantiaſi Græcorum & Arabum Judæorum lepram nil commune habere, accedere autem quam proxime ad *vitiliginem albam*, docet. *Decima nona* eſt *Wedelii*, ad *Matth. VIII, 6*, *IX, 12*, *Luc. V, 18*, *Act. IX, 33*,

Pag. 149-151. 152-156. 156-163. 164-167. 168-181. 182-190.

Act. IX, 33, de Paralyſi, in qua, poſteaquam paralyſeos naturam explanaſſet, inquirit potiſſimum, quare paralyticus *Matth. VIII, 6*, dicatur ὁ δεινῶς βασανιζόμενος, cum a paralyſi dolor fere abſit. Obſervat igitur, adfuiſſe ſimul motus convulſivos. De eadem agit *Baierus* in Obſervatione *vigeſima*, oſtendens, qua ratione paralyſis differat a *contractura* unius aut plurium membrorum, itemque *arthritide*, tam *vaga*, quam *fixa*, cruciatum conjunctum
190-210. vel maxime a convulſionibus repetendum eſſe. Ejusdem eſt *prima & vigeſima, de Fletu & ſtridore dentium*, ad *Matth. VIII, 12, XIII, 42, 50, XXII, 13, XXV, 30*, locutionem hanc de graviſſimis
210-213. tormentis, conjunctis cum deſperatione & morte, accipiendam eſſe, evincens. In *vigeſima ſecunda, Wedelii, de Febri magna*, ad *Matth. VIII, 14, Marc. I, 30, Luc. IV, 38*, de natura febris diſſeritur, qua ſocrus *Petri* dicitur συνεχομένη, in cujus locum non ſufficienda vox κατεχομένη, quia fuerit συνεχὴς, *continua*, quæ hac ipſa de cauſa appellatur *magna*, eo periculoſior in ætate provecta, quali mulier hæc fuit.

L' ART DE BIEN ENSEIGNER A LIRE, &c.

id eſt,

ARS LEGENDI PROMTITUDINEM BENE docendi, fundata uſu & principiis ſapientiſſimorum Grammaticorum, tam antiquorum, quam recentium. Hæc tractatio inſerviet etiam formando cantui.

Pariſiis, apud Nyonium, filium, bibliopolam, 1734, 12 maj. Plag. 15.

Quantum proſit, accurate legere poſſe, experientia potius ac damno, quam vulgi opinione, docemur; ſane intelligentia vocum, accuratio ſcriptionis, ac plurimæ aliæ utilitates, ex legendi facilitate percipiuntur. Cum itaque non ſpernenda ſint parva, ſine quibus magna ſubſiſtere commode haud poſſunt; non contemtum, ſed laudem potius, meretur Autor noſter, dum firmiora hic artis legendi fundamenta ponere laborat. Eſt is *Philemon Tro-*

tetus,

tetus, ludi moderator Pariſienſis, atque adeo vir, qui minime rudis, ſed ipſo uſu, præter Grammaticorum auxilia, firmatus, hoc ipſum ad argumentum acceſſit. Neque adeo nuda ſunt verba *Capperonerii*, *Chauvelini*, *Deſmaraiſii*, *Mazierii*, *Dangeri*, atque aliorum celeberrimorum hominum, teſtimonia; ſed ipſo ſtatim libri adſpectu confirmantur. Patebit etiam, quas quantasque iſte liber prærogativas habeat, ſi comparaveris cum eo, qui A. 1727 ibidem prodiit ſub titulo *Alphabeti ingenioſi*, ſive rationis ſingularis, qua paucis diebus legere poſſimus addiſcere. Agit autem *Capite primo* de vocalibus. Vocalis eſt, quæ per ſe ſonum efficit. Ex conjunctione vocalium fiunt diphthongi. Hæ ſunt vel veræ, vel falſæ. Diphthongus vera eſt conjunctio duarum, trium, aut quatuor, vocalium, quæ duos differentes ſonos eadem in ſyllaba conſtituunt; falſa eſt conjunctio plurium vocalium, quæ non niſi ſimplicem ſonum formant. *Capite ſecundo* de ſeparatione conſonantium, ac de vitiis, hac in re committi ſolitis, diſquirit. Conſonantes, eodem occurrentes in vocabulo, vel ſeparantur in colligendis ſyllabis, vel manent conjunctæ. Inde regulæ notantur: Conſonans duas inter vocales pertinet ordinarie ad vocalem poſteriorem; conſonans idem duplex dividitur; conſonantes, quæ ſub initium vocabuli jungi nequeunt, ſeparentur, quæ poſſunt, maneant conjunctæ. Has poſteriores regulas, ſunt quidem, qui objicere voluerunt, pronuntiationi ſæpius eſſe contrarias; at enim, quæ, quæſumus, certior eſt regula, num quam Autor noſter poſuit, an vero, quam novatores iſti ſibi præſcribunt? Et quid, ſi legitimam Latinæ nominatim linguæ pronuntiationem ignoramus? Quid ſi diverſa datur diverſorum pronuntiatio? Sed redeamus ad Autorem noſtrum, multo ſane certioribus argumentis nixum. *Capite tertio* Criticum agit, Alphabeti inprimis, cujus mentionem fecimus, ingenioſi, ad ſeparationem vocalium quod attinet, mendas acrius taxans. Nos quidem parum Grammaticorum certaminibus delectamur, quippe nunquam finiendis, neque admodum jucundis; illud autem nobis intelligere videmur, verum ſi rite confirmetur, ipſi quid ſit oppoſitum, facile poſſe perſpici. Hinc progredimur potius ad *Caput quartum*, ubi Autor

aliam rationem expedit, in tramitem illos reducendi, qui obſtinati errores, ad hanc artem quod attinet, ſequuntur. Hos *Capite quinto* deteriores effectus deterioris literas ſeparandi rationis, ut inde ſyllabæ fiant, excipiunt. Reſultat nimirum indidem, cum aliis vitiis, pronuntiatio pariter vitioſa. Contra vero in hac ipſa, atque alias, quod *Capite ſexto* docetur, variam, regulis obſervatis, commoditatem inveniemus. Quæ pluribus, ex Græcis inprimis Poetis, illuſtratur exemplis. *Parte* deinde *ſecunda* doctiſſimus Autor propius ad linguam Gallicam accedit, ibidemque agit *Capite primo* de augmento ſyllabico in lingua Gallica; *Capite ſecundo* de duplici *ll* leni, ut & ſimplici in fine vocabulorum, neque minus de pronuntiandis *gn* ac *y*; *Capite tertio* de pronuntiatione ſyllabæ *ti*, ſi alia ſequatur vocalis: qua in re *Donatum*, *Hieronymi* præceptorem, atque alios, ſequi ſe oſtendit; *Capite quarto* de ratione colligendi literas, ut indidem fiant ſyllabæ; *Capite quinto* de magni momenti quæſtione, præſtetne initium facere legendi a Gallica lingua, an a Latina. Autor noſter Latinam præfert, & Gallicum librum, Pariſiis A. 1729 editum ſub titulo: *Livre pour apprendre à lire aux enfans*, &c. ponderatis ejus pro linguæ Gallicæ prærogativis argumentationibus, refutat. Eundem in finem *Capite ſexto* allegantur autoritates, pro Latina lingua in electione initii lectionis Gallicæ præferenda. Harum primam exhibet *Scipio Roux* in libro, ita inſcripto: *Methode nouvelle pour apprendre aux enfans à lire parfaitement bien le Latin & le François*; ſecundam *Quintilianus*, qui Græcam priorem commendat Romanis, unde a pari, vel omnino a minori, ad majus deinde fit argumentatio; poſtremam vero ipſum *Ciceronis* exemplum, quippe de quo relatum legimus, quod pari ratione a literis Græcis inchoarit. Poſtea *Capite ſeptimo* agitur de ſeparatione ſyllabarum in vocabulis compoſitis; cujusmodi vocabulorum plenus index ſubjungitur. Iſti inſtructio magiſtrorum, qui Græcam linguam legere neſciunt, ſuccedit. Ac tandem varia Alphabeta atque exempla, lectionibus inſervientia, colophonem imponunt.

NOU-

NOUVELLE METHODE RAISONNE'E POUR APPRENdre facilement la langue Françoiſe, &c.

hoc eſt,

NOVA RATIO ADDISCENDI FACILE LINguam Gallicam, per convenientiam ejus cum linguis Græca & Latina; continens regulas declinationum, generum, conjugationum, ſyntaxeos, accentuum, ac punctorum; cum annotationibus admodum utilibus & neceſſariis ad cognitionem hujus linguæ, atque intelligentiam illius ſcriptorum, Autore FRANCISCO BARINO.

Amſtelædami, apud Gysbertum Rykmanum, 1738, 8. Plag. 22.

Libellis tot grammaticis variæ linguæ onerantur potius, quam juvantur. Multi ex duobus tertium fingunt; alii, ſiniſtra prorſus novandi cupiditate, confundunt potius lectores, quam informant. Utque multa paucis complectamur, vix ullus eſt Grammaticorum, qui doctrinas ſuas per aliquod temporis ſpatium inſtillavit, quin publicis pariter ſcriptis easdem proponendi cupiditate laboret. Nominatim vero lingua Gallica iſtiusmodi fatum experta eſt, ut variis a variis lucubrationibus illuſtretur interdum, nonnunquam etiam obſcuretur. Quemadmodum autem, qui magno conatu nugas agunt, atrum jure carbonem merentur; ita prioris generis viri laude nequaquam ſua ſunt defraudandi. Atque huc etiam pertinere putamus, qui præ manibus eſt, libellum, dignum ſane, de quo pluribus commemoremus. In *quinque* is potiſſimum *Libros* dividitur, quorum *primus* agit de diviſione generali Operis, de literis in genere, de literarum diviſione, de conſonantibus, de diphthongis, de ſyllabis in genere, de accentibus, & de apoſtropho; *alter* de definitione verborum ac diviſione, de nomine in genere, de declinatione, de nomine adjecto, de comparatione nominum adjectorum, de numeris, de pronominibus, de regulis generum; *tertius* de natura verbi ac proprietatibus,

tatibus, de verbis, de conjugationibus regularibus, de verbis neutris, reciprocis, irregularibus, deficientibus, impersonalibus, & de participiis; *quartus* de adverbiis, de præpositione, de præpositionibus separabilibus, earundemque definitione, de divisione præpositionum, de definitione ac divisione conjunctionum, deque interjectione; *postremus* tandem de distributione generali syntaxios, deque punctuatione, quæ barbare dicitur. Hactenus fortassis nihil, quod a reliquis ejusmodi libris discedat, observatum fuit, & tantum abest, ut illud vituperationi demus Cl. Autori, ut in laudem potius verti debere arbitremur. Sed habet etiam, & suo quidem loco, quæ non adeo vulgaria nominari debent; quippe dum non una, sed Græca potissimum simul ac Latina, lingua satis instructus, hoc se ad negotium accinxit, atque ad consensum maxime linguarum satis accuratum regulas suas accommodavit. Hinc statim, Alphabeti vocabulum a Græcorum esse derivandum literis, monet primus, quarum a priore descendat ἀλφύω, aut ἀλφέω, *invenio*. Diphthongis vi vocabuli duos tribuit sonos, ita vero, ut eodem uterque halitu sine vocis divisione pronuntietur; earundemque, præeunte Abbate *Regnierio*, cujus præcepta grammatica laudat, tredecim numerat. Casus etiam Græcis sex tribuit, contra vulgarem Grammaticorum sententiam, consentientibus tamen aliis magni judicii viris, quos inter vel solum *Nicod. Frischlinum* appellasse sufficiet. Videatur ejus demonstratio, *Græcos non carere Ablativo*, in *Methodo declamandi pag. 278-282.* Gradum infimum nominis adjecti, quem *positivum* nominant, etiam *possessorem* dici posse, arbitratur, quemadmodum *superlativum* a *superare* derivat, quo jure utrumque, non definimus. Pronomina esse ait non nisi nomina irregularia secundum speciem suam. Verba, quæ Grammatici sigillatim nominant, animæ sermonis titulo, jure quodam suo, Noster honestat. Adverbiorum potestatem in observando quantitatem, qualitatem, ac rationem actionis, collocat. Præpositiones nervos esse dicit orationis ac ligamenta. Separabiles maxime definit, quod sint pars orationis indeclinabilis, quæ, ad aliam quandam orationis partem adjuncta, regat eandem, atque illi

insea-

inſerviat in deſignando diverſos reſpectus. Dividit easdem ratione formæ in ſimplices & compoſitas; ratione uſus in præpoſitiones ſemper regentes, & in præpoſitiones regimen interdum omittentes; ratione ſignificationis in tot diverſas claſſes, quot ſint diſtinctæ relationes. Conſtructionem aut ſyntaxin dividit in ſimplicem, vel regularem, & figuratam, vel irregularem, quam eſſe, ait, ab uſu vulgari diſcedentem, ut ſequatur modos quosdam loquendi ſive breviores, ſive elegantiores. Aliam diſtinctionem deinde profert in conſtructionem convenientiæ ac regiminis. Illuc refert *Adjectivum* ac *Subſtantivum*, relativum cum ſuo antecedenti, nominativum cum verbo finito, & accuſativum cum infinito; huc autem proprietatem inprimis caſuum, eorundemque in conſtruendo diverſas relationes. Atque hic inprimis, quam doctiſſimus Autor cum accuratione conjungit, brevitas laudem meretur. Interpunctionem tandem, quam ultimo loco tractavit, ejusdemque tam utilitatem, quam neceſſitatem, exemplo teſtamenti cujusdam eleganter illuſtrat. Nimirum virgula ibidem aliqua Notarii vitio deerat ad vindicandam ſucceſſionem integram homini, qui ex aſſe deſtinatus erat hæres. Vetus igitur cauſarum patronus, id obſervans, alium omnino ſenſum elicuit, atque hujus etiam deinde parti judicii calculus acceſſit. Unde patet, quam falſum ſit, quod minima Prætor non curet, quamque temere minutam ejusmodi diligentiam contemnant leviores. Idem illud de Orthographia valebit. Ad quod oſtendendum non immerito apud Germanos præfecti exemplum affertur, qui, dum cingere debuerat Cingaros, ne quis illorum elaberetur, male ſcripta mandati Principis ſententia ſeductus, omnes curaſſe dicitur interficiendos. Sane, ſi quæ eſt Grammaticæ pars, quæ defectu hodieque laborat, limamque atque firmiora principia & fundamenta deſiderat, Orthographia eſt Germanicæ potiſſimum linguæ atque Latinæ.

Friedrich Chriſtian Leßers beſondere Münzen, ꝛc.

hoc eſt,

FRIDERICI CHRISTIANI LESSERI, PASTORIS Nordhuſani, Orphanotrophii Adminiſtratoris, Academiæ

demiæ Nat. Cur. Cæſar. Socii, Numi ſingulares, in honorem tam eruditarum Societatum, Academiarum, Seminariorum, & Gymnaſiorum, quam doctorum Virorum, Theologorum, Jureconſultorum, Medicorum, & Philoſophorum, percuſſi; quibus adjecta eſt inprimis recenſio Numorum, memoriam B. D. Martini Lutheri conſervantium, ex CHRISTIANI JUNCKERI libro, huc ſpectante, repetita.

Francofurti & Lipſiæ, ſumtibus Mich. Blochbergeri, 1739, 4. Alph. 2 plag. 14.

In Præfatione doctiſſimus Autor cauſas aperit, quibus inductus, ad ſcribendum hoc Opuſculum ſe applicuerit. Inprimis prædicat Numiſmatum ſymbolicorum deſignatoris apprime boni, *Chriſtiani Wermuthi*, benignitatem, Autoresque nominat, qui ſeparatim de Numis egerunt, quibus majus ineſſe pondus cenſet, quam pyramidibus, ſtatuis, & epitaphiis. In Opere ipſo, quod in *Libros, Sectiones*, & *Capita*, diviſit, agit de Numis, qui in honorem *inaugurationum Academicarum* cuſi ſunt. Primum locum *Academiæ Gottingenſi* concedit, quæ a Sereniſſimo conditore, *Georgio II*, Rege Magnæ Britanniæ, Electore Brun-
Pag. 28- ſuico-Luneburgenſi, *Georgia Auguſta* vocatur, fundata A. 1734,
65. inaugurata d. 17 Sept. A. 1737, cujus ſolennia & promotiones copioſe enarrat, & quatuor Numos, his ſolennibus cuſos, commemorat. Non prætereundum eſt, quod ex mandato regio Profeſſoribus ſacrarum literarum ſingulis diebus dominicis circa horam quartam poſt meridiem, ſacris publicis habitis, injunctum ſit, *recitationes* habere *aſceticas*, quibus docti æque ac indocti intereſſe poſſunt. *Seminarium* quoque *theologicum* ibi eſt conſtitutum, cujus ſodales & vitæ & ſtudiorum ſubſidiis egregie ornantur ad literas humaniores excolendas, ut Hannoveranæ terræ habeant in poſterum, unde idoneos ſcholæ magiſtros petant. Quid? quod locus ampli ſpatii in *domo mercatoris* ſingulis Saturni diebus patet, ubi Profeſſores, Doctores, mercatores, milites, cives docti pariter & indocti, conveniunt

ad

ad ſermones inter ſe & cum aliis ſociandos. *Bibliotheca* quoque *Academica* ibi habetur inſtructiſſima, quæ plurimam partem debet Bibliothecæ Lib. Bar. *Ern. Aug. a Bulow.* Progreditur Autor ad inaugurationem *Academiæ Halenſis*, quæ die natali *Friderici III*, Electoris Brandenburgici, A. 1694 Calend. Jul. facta, & a Sereniſſimi conditoris nomine *Fridericiana* eſt appellata. Numi quatuor recenſentur, in honorem ejus & memoriam nitide excuſi. Nunc ſequuntur Numi *ſecularium Academiarum natalium*, in quibus primo loco nominatur *Erfordenſis*, quæ A. 1692 tertium celebravit Jubilæum, ut ex Numo cuſo apparet. Hanc excipit Academia *Francofurtana ad Oderam*, quæ auſpiciis *Friderici I*, Regis Boruſſiæ & Electoris Brandenburgici, A. 1706 egit ſecundum Jubilæum. Numi referuntur, quos inter memorabilis eſt is, qui *pag. 216 num. 74* repræſentatur. Ad Academiam *Gieſſenam* venit Autor, quæ *Ludoviciana* vocatur a Sereniſſ. conditore, *Ludovico VI*, Haſſiæ Landgravio, quæ A. 1707 d. 18 Oct. primum Jubilæum celebravit, autore Sereniſſimo *Erneſto Ludovico*, ejusque filio, *Ludovico*, Rectore Magnificentiſſimo, qui memoriæ cauſa Academiam poculo argenteo donavit, cujus inſcriptio in Numo habetur cum chronodiſticho & nominibus Profeſſorum ex quatuor ordinibus. Hunc Numum ſequuntur adhuc alii *pag. 234-242.* In Academiæ *Helmſtadienſis* diem natalem, qui A. 1676 d. 15 Oct. ſolenni more actus eſt, duo recenſentur Numi, in quibus fundator divus *Julius*, Dux Brunſuico-Luneburgicus, unde hæc Academia *Julia* vocatur, A. 1576 celebratur cum Sereniſſimis ejus conſervatoribus, *Georgio Guilielmo, Jo. Friderico*, & *Rudolpho Auguſto*, Ducibus Brunſu. Luneb. Tandem Cl. Autor ſe convertit ad Academiam *Lipſienſem*, quæ A. 1409 d. 15 Oct. condita, & poſt duo Secula ejus memoria a *Friderico Auguſto*, Rege Poloniarum & Electore Sax. A. 1709 d. 15 Oct. inſtaurata eſt. Ad lætitiam teſtandam octo numi varii generis ac pretii cuſi ſunt, qui *pag. 254* recenſentur & illuſtrantur. Nunc fit progreſſus ad Numum, qui in honorem *Societatis ſcientiarum Regiæ Berolinenſis* excuſus eſt, quam *Fridericus I*, Rex Boruſſiæ & Elector Brandenburgicus, natali 46 A. 1700 inſtituit, eique

Pag. 113. 178. 193. 201. 210. 219. 243. 254. 287.

Gothofr. Guil. Leibnitium præfecit, Philoſophum magni nominis, Conſiliarium ſanctiorem, illuſtrem rerum gerendarum adminiſtrum, cujus merita in bonas artes & ſcientias poſteritas
Pag. 298. admirabitur. Porro recenſetur Numus in memoriam *Seminarii theologici iſenacenſis*, quod quidem a Ducibus Saxoniæ ſuperioris ætatis diverſa ratione ac ſeparatis temporibus fuit inchoatum; ſed quod *Jo. Guilielmus* A. 1704 conficiendum curavit.
314. Inde progreditur Autor ad Numos, *originem Scholarum* referen-
319. tes, nominatque *Norimbergenſe* Gymnaſium A. 1571; *Poſonienſe* in Hungaria A. 1656, fataque ejus copioſe *pag. 321* enar-
331. rat. Cum his Numos conjungit *jubilæos Gymnaſiorum*, nimi-
343. rum *Iſenacenſis* A. 1709; *Gothani* A. 1724. Memorantur etiam Numi, quibus gnavi & induſtrii juvenes, habito exami-
373.375. ne, fuerunt donati, ut ſunt *Vratislavienſium* in Sileſia; *Ham-*
376. *burgenſium*; *Laubacenſium* in Carniola. *Parte altera* exponit
377. Numos, honori B. D. *Mart. Lutheri* cuſos, in quibus eſt jubilans
380. eccleſiæ *Campidonenſis* A. 1717; *Jo. Huſſi*, Bohemici Martyris,
387.393. A. 1415; in ſomnium *Friderici Sapientis*, Electoris Sax. A. 1517.
413. Mentio deinde fit Numi Gothani, qui vitam *Lutheri* continet,
450. itemque Societatis metallicæ Strasbergenſis. Varia enarrat Au-
458. tor de *effigie Lutheri*, quæ lignea in incendio Islebienſi inte-
461. gra fuit conſervata, & occaſione Numi cujusdam Gothani A.
465. 1717 de nomine *Lutheri* copioſior eſt. Numi jubilæi meminit,
473. quem argenteum & aureum cudi juſſit *Philippus Ludovicus*,
478. Comes Erpacenſis, A. 1717. In honorem *Doctoratus Lutheri*
479 ſeq. prodiit quoque Numus Leucopetræ A. 1717; Stolbergæ; Es-
482. lingæ; Iſenaci, cum in arce Wartenbergenſi verſaretur. Oc-
489. currit etiam Numus, *Lutheri* honoribus dicatus in Belgio. *Lu-*
497. *therus* quoque precans, & in genua procumbens, repræſentatur;
500 ſeq. idemque ſacra Biblia legens, ejusque indefeſſum ſtudium in
507. eorum lectione & verſione Germanica deſcribitur, & in Numo
508.515. prædicatur. Bibliorum explanationis veſtigium deprehenditur
518. in Catechiſmo *Lutheri*. Numi in ſacra emendata, & in Con-
527. feſſionem *Auguſtanam*, cuſi recenſentur; nimirum *Auguſtæ* Vin-
537.547. delicorum; Ordinum imperii; Spiræ; Norimbergæ. Nec
553. ignoramus Numos in merita *Lutheri* ob Chriſtianam libertatem.

Alter

Alter *Moſes* Novi Fœderis ſiſtitur; agricola & ſeminator; cygnus; Pag. 577.
pharus; armamentarium. His miſſis, venit ad Numum in ma- 582.
trimonium, cum *Catharina a Bora* initum, A. 1525 excuſum; 584.
porro ad inſignia ejus gentilitia. Sequuntur, præter jubilæos, 594.
Numi *Lutheri emortuales*, quos Mulhuſani cudendos curarunt. 605.
Sequuntur alii Theologi, quorum memoria Numis fuit conſe- 626.
crata. Ex eorum numero eſt D. *Valentinus Alberti*, Profes- 628.635.
ſor Lipſienſis; D. *Jacobus Andreæ*, Cancellarius Academiæ Tu-
bingenſis A. 1580; D. *Joach. Juſt. Breithaupt*, Halenſis pieta- 644.
tis & ſapientiæ doctor, A. 1703; *Martinus Bucerus*, miniſter 656.661.
Evangelii; D. *Jo. Franciſcus Buddeus*, Theologiæ Profeſſor
Publ. Ord. Jenenſis. Autor noſter meminit Numi Danici, cu- 669.
jus in altera parte ſiſtitur *Fridericus IV*, Daniæ & Norwegiæ Rex,
Evangelii propagator & defenſor; in altera dextrorſum D. *Mar-
tinus Lutherus*, Germanorum, ſiniſtrorſum D. *Jo. Bugenhagius*,
Danorum, Apoſtoli. Sequuntur D. *Jo. Benedictus Carpzovius*, 689 ſeq.
Profeſſor Theologiæ Lipſienſis, ejusque filius, D. *Sam. Benedictus* 694.
Carpzovius, aulæ Electoris Saxon. Concionator primarius & 705.
Conſiliarius ſacer; *Jo. Michael Dilherrus*, Profeſſor & Paſtor No-
rimbergenſis, in Numo duplici A. 1667; *Eraſmus Roterода-
mus* A. 1531; D. *Jo. Henr. Feuſtkingius*, Ducis Saxoniæ Theo- 717.
logus ſupremus, in duplici Numo; *Auguſt. Hermannus Franck*, 724.751.
Theologiæ Profeſſor Halenſis, cujus honori duplex Numus cu-
ſus eſt; M. *Herman. Joach. Hahn*, Diaconus Dresdenſis, mar- 757.
tyr cœtus ſacri Lutheranorum; D. *Jo. Olearius*, Duci Sereniſſ. 772.
a Concionibus aulicis primarius, Conſiliarius Eccleſiaſticus, Su-
perintendens generalis, A. 1682; D. *Jo. Georg. Pritius*, Senior 778.
Miniſterii Francofurtenſis, A. 1716; D. *Jo. Jac. Rambach*, Pro- 787.
feſſor Theologiæ primarius, & Superintendens Gieſſenſis; M. *Jo.
Henricus Riedelius*, Paſtor Eccleſiæ mercatorum Erfurti A. 1714; 800.
D. *Philipp. Jacobus Spenerus*, Præpoſitus Berolinenſis, in cujus ho-
norem Numos uno plures excuſos reperimus; *Jo. Fridericus* L. 806.
B. *a Werther*, Theologiæ D. Conſiliarius Saxo-Vinarienſis in- 823.
timus, Protoſynedr. & Eccleſiaſt. Theologos ſequuntur Juris-
conſulti, quorum in cenſu eſt *Henricus a Coccejis*, Regis Bo- 1.
ruſſiæ Conſiliarius intimus, Academiæ Viadrinæ Ordinarius &

Pag. 17. Anteceſſor primarius; *Godofredus a Jena*, Electoris Brandenburgici Conſiliarius intimus & Cancellarius in Ducatu Magdeburgenſi, A. 1698; *Jo. Petrus a Ludewig*, Fridericianæ Cancellarius; D. *Wilhelmus Rinck*; *Jo. Gothofr. Raſner*, Conſul & Præſes civitatis Thorunenſis, in duplici Numo; *Chriſtianus Thomaſius*, JCtus Academiæ Halenſis, & Conſiliarius Regius. Tandem Opuſculum hoc numiſmaticum finiunt Medici, & recenſentur D. *Jo. Chriſtianus Petri ab Hartenfels*, Sacri Palatii Cæſarei Comes, Conſiliarius & Archiater Electoris Moguntini, Conſul primus, Phyſicus Erfordienſis, Facultatis Medicæ Senior, Profeſſor Publicus, & Poeta L. C.; D. *Fridericus Hoffmannus*, Regis Boruſſiæ Conſiliarius intimus, Medicus, & Profeſſor; *Franciſcus Redi*, Italus; D. *Aug. Quirinus Rivinus*, quartum Rector Academiæ Lipſienſis, cum A. 1709 alterum Jubilæum celebraretur; D. *Jacobus Waitz*, Ducis Saxoniæ Conſiliarius, Archiater, & redituum provincialium præfectus, Conſul Gothanus. In alio Numo conſpicimus jubilæum ejus matrimonii cum *Chriſtiana Jægeria*, quod in annum 1716 incidebat, cum annum ætatis 76 ageret. Conſpicimus hinc *Jo. Hevelium*, Dantiſcanum, Conſulem veteris civitatis, ipſo die natali A. 1687 denatum; & *Wilhelmum Erneſt. Tentzelium*, Conſiliarium Saxonicum, in duobus Numis. *Chriſtianus Wolffius*, nunc Regis Boruſſ. Conſiliarius intimus, & Vicecancellarius in Academia Halenſi, duos Numos honoris cauſa deportavit, quibus Ven. Autor Opus hoc literarium finit. Sequuntur Indices nominum ac rerum.

25. 32. 35. 43. 56. 66. 80. 84. 90. 94. 108. 113 ſeq. 118. 124.

TYPOGRAPHIA JUBILANS, das iſt, kurtzgefaßte Hiſtorie der Buchdruckerey, ꝛc.

hoc eſt,

HISTORIA TYPOGRAPHIÆ CONTRACTIOR, in qua de nobiliſſimæ hujus artis origine & initiis, incrementis, ornamentis, & utilitate, de Typographorum proprietatibus & officiis, aliorumque erga eos ſe gerendi ratione, exponitur, in ipſis artis hujus ſacris ſecularibus, quæ nunc tertium, idque ipſo die Joan-

Joannis, celebrantur, luce publica donata a FRID. CHRISTIANO LESSERO, Paſtore Nordhuſano, Orphanotrophii Adminiſtratore, & Academiæ Nat. Cur. Cæſ. Socio.

Lipſiæ, ſumtibus Mich. Blochbergeri, 1740, 8.

Alph. 1 plag. 6.

Dedicavit Ven. Autor hunc librum Typographis in Germania celebrioribus, quorum nomina ſecundum ordinem literarum poſita ſunt, quibus in urbibus artem ſuam exercent. In Præfatione meminit Jubilæi typographici, quod A. 1540 celebratum fuit, inprimis Vitembergæ; mentionemque facit ſecundi, quod in annum 1640 incidit, recenſetque ſcripta, eam ob cauſam edita. Accedit deinde ad tertium anni 1740, &, ſcriptoribus de arte typographica generatim expoſitis, magnopere laudat *Mich. Mattairii* Annales typographicos, & *Berub. a Mallinkrot* Diſſ. de Ortu & progreſſu artis typographicæ. *Capite primo* agit de origine hujus artis, eamque non vindicat Sinenſibus, quorum rationem pulchre deſcribit; nec in Aſia Scythis in regione Cataya; nec Italis; nec Gallis; ſed merito Germanis. De urbe nunc fit diſceptatio, quæ non eſt Harlemum in Hollandia, nec Argentoratum, licet *Guttenbergius* ibi aliquamdiu commoratus ſit; ſed ea gloria debetur Moguntiæ, idque argumentis demonſtratur. Nunc ad autores hujus artis progreditur, qui non ſunt *Saturnus*, *Jo. Regiomontanus*, *Jo. Janſonius*, ſeu *Gerſon*, *Jo. Mentelius*, ſed *Jo. Guttenbergius*, Argentoratenſis, nobili genere natus, qui cum *Jo. Fauſto*, alias *Gænſefleiſch* dicto, Moguntiæ conſilium communicavit, quo modo literæ ſeparatim ad plures uſus poſſent confici. Hic invenit conjunctiones literarum ex variis matricibus, atramentum typographicum ex oleo. *Petrus Schæferus*, Latine *Opilio*, invenit matrices commodiores. Annus vero inventæ Typographiæ eſt 1440. Qui ſecus ſentiunt, errant. Primum erant literæ ligneæ, deinde ſtanneæ. Loco atramenti ex aqua excogitabatur id, quod hodie eſt uſitatum, & prelum. *Caput ſecundum*

Pag. 2. 3. 5-9. 10. 17. 19. 20. 22. 25. 29. 31-34. 35. 36. 39. 43. 44.

ſecundum continet hujus artis propagationem, quæ occulta ha-
Pag. 45. bebatur, donec inter *Guttenbergium* & *Fauſtum* lites de lucro
exoriebantur, quarum impenſæ *Guttenbergio* erant ferendæ.
46. Unde ira commotus, artem, occulte habitam, alios docuit.
Deinde tumultus, Moguntiæ A. 1462 excitatus, artis cultores
diſperſit, ut officinæ typographicæ fuerint inſtitutæ, librique
48. 49. exſcripti Auguſtæ Vindelicorum, Bambergæ, Berolini, Blau-
50. beræ, Caſſellis, Coloniæ, Conſtantiæ, Erfurti, Francofurti ad
52. Mœnum, Friburgi in Brisgovia, Hamburgi, Hanoviæ, Hei-
53. 54. delbergæ, Ingolſtadii, Laugingæ, Lipſiæ, Lubecæ, Luneburgi,
55. 57. Magdeburgi, Memmingæ, Merſeburgi, Norimbergæ, ubi
58. *Anton. Colbergerus* 24 prela & 100 adjutores aluit; porro Of-
59. fenbachi, Oppenheimii, Ratisbonæ, Reutlingæ, Roſtochii,
60. 61. Spiræ, Argentorati, Tubingæ, Ulmæ, Vindobonæ, Ulyſſi-
62. 63. ponæ in Portugallia, Madriti in Hiſpania, Burgi in Ca-
64. ſtilia veteri, Compluti, Granadæ, Salamancæ, Seviliæ, Tole-
65. ti, Pariſiis, Abbavillæ, Avenione, Avarici, Divione, Lug-
66. 67. duni, Nanneti, Pompiopoli, Pinarolii, Pictavi, Rothomagi,
68. Toloſæ, Viennæ; in Anglia Londini; in Italia Romæ, A-
69. 70. quilæ, Bononiæ, Conſenti, Cremonæ, Ferrariæ, Florentiæ,
71. 72. Genuæ, Mediolani, Mantuæ, Mutinæ, Mirandolæ, Papiæ,
73. Parmæ, Peruſiæ in Umbria, Piſæ, Placentiæ, Regii, Rimi-
74. 75. ni, Tarviſii, Taurini, Utinæ, Venetiis, Bergomi, Brixiæ,
76. 77. ubi Biblia rara Ebræa per *Gerſonem Ben Moſe*, Soncinatem, A. 1470, 8, expreſſa ſunt, quibus *Lutherus* in translatione Germanica uſus eſt; porro Patavii, Veronæ, Neapoli.
78. 79. Penetravit quoque hæc ars in Belgium Hiſpanicum, ut conſpi-
80. 81. cua fuerit Flandriæ, Antverpiæ, Aldenardæ, Bragæ in Brabantia, Delphis, Daventriæ, Gandavi, Goudæ, Lugduni, Lo-
82. 83. vanii, Ultrajecti, Zwollæ; in Helvetia Baſileæ; in Hungaria
84. Budæ; in Boruſſia Regiomonti. De Typographiis in Dania & Suedia, & libris, ibi exſcriptis, nihil Autor commemoravit. *Ca-*
85. *put tertium* agit de eodem argumento, & cauſas recenſet, quæ
86. adjumento huic arti fuerunt. Voluntaria ejus receptio, quæ facta eſt in Cœnobiis, ubi unus & alter liber typis fuit exſcriptus; in Orphanotraphiis, ut eſt Halenſe. In privatis etiam

ædibus

ædibus Typographia fuit exercita, ut *Jo. Regiomontani*, *Huld.* Pag. 90.
Hutteni, *Nic. Marſchalci Thurii*, qui varios libros cudi juſſit, ex quibus nominatur Enchiridion præclarum clariſſimorum 91.
Poetarum Erphordiæ A. 1502: cujus cauſam & argumentum, nullibi obvium, recenſetur; porro *Bohusl. Haſſenſteinii* in arce Haſſenſteiniana, *Petri Apiani*, ſeu *Bienewitz*, *Th. Erpenii*, *Hul-* 94.
der. Fuggeri, *Zach. Calliergi*, *Erh. Cellii*, *Sigiſm. Grimmii*, 96. 97.
Georg. Engelh. a Lœheiſſ, *Georg. Calixti*, *Jo. Henelii*, *Jac.*
Breynii. Accedunt ſocietates typographicæ *Jo. Amerbachii*, 98.
Jo. Petri, & *Jo. Frobenii*, Baſileæ, Bononiæ, Brixiæ, Pariſiis,
Amſtelodami, in Ruſſia, in Turcia, ubi typographia mox 99. 102.
ceſſit, jubente ſic vate in Alcorano, ſed nunc tandem A. 1728 106.
caput extulit; in Aſia Tranquebaræ; in inſula Java Bataviæ, in 108.
qua excuſi libri nominantur. *Caput quartum* emendationem 114.
typographicæ artis exponit, & ad quæſtionem, an typographia
antiqua præferenda ſit ei, quæ hodie eſt, reſpondet, diſcrimen
eſſe conſtituendum in partibus, quarum quæque habet præro- 115.
gativam præ altera. Recenſet Autor libros, pergameno impres- 116.
ſos. Antiquitus boni ac utiles libri prelo ſubjiciebantur; char- 120.
ta erat pura & firma; larga librorum margo; ſpatium ſatis am-
plum inter verſus. Editiones Patrum, ſeu doctorum eccleſiæ, 122.
erant ob integritatem argumenti præſtantiores recentioribus.
Correctores erant apprime boni. Prærogativa Typographiæ 123.
recentioris conſiſtit in ſublatis ſcripturæ notis compendiariis; 125.
in conformitate literarum, earumque juſto ordine; in literis 133-135
initialibus, quæ olim a pictoribus appingebantur; in varietate
literarum, non unius, ſed plurium linguarum, etiam longe
exterarum, inprimis Arabicæ, Armenicæ, Chaldaicæ, Go- 136. 141.
thicæ, Græcæ, Ebrææ, Laponicæ, Latinæ, ejusque literarum 142-152.
diverſæ appellationis, Malabaricæ, Malaicæ, Ruſſicæ, Perſicæ, 156-160.
Runicæ, Samaritanæ, Slavonicæ, Scythicæ & Syriacæ, Ger- 162-170.
manicæ, & ejus literarum varietatis. Nunc agit Autor de vi-
ris doctis, qui ſcripta, variis linguis conſtantia, conjunctim edi-
derunt. Vitam *Theſei Ambroſii*, Albonenſiaci Comitis, non 171.
ubivis obviam, breviter deſcribit. *Eliæ Hutteri* merita cele- 174-185.
brantur, & Typographorum celebrium. Quæſtionem, an un-

quam libri argenteis literis ſint exſcripti, negat, & opinionem, vulgo traditam, interpretatur de argento, quod nitidis ac ele-
Pag. 185 gantibus characteribus lucrati ſunt Typographi. Nunc ſe refert
ſeq. eo, unde digreſſus erat, & prærogativam, quæ recentiori de-
186. betur Typographiæ magis ex merito, quam antiquæ, conſtituit
190. in accuratiori orthographia, in diviſione capitum, verſiculo-
194. rum, interpunctionis, diſtinctionum; in notatione paginarum
196. cum ſupra, tum infra, & cuſtodum in fine; in titulis ac no-
198 ſeq. minibus librorum copioſioribus; in denominatione Typographorum, loci, & temporis; in indicibus rerum ac nominum.
200. Nominantur ii, qui in eis conficiendis operam collocarunt, & in catalogis novorum librorum, qui ſingulis nundinis prodeunt, &
201. quorum primus lucem publicam adſpexit A. 1570 Francofurti;
202. in variis librorum formis, quæ antiquis defuerunt; in magni-
204. ficentia librorum cum figuris æneis, librorum muſicorum, alio-
208. rumque, qui ad artem medicamentariam pertinent, & ad faſtos. In *Capite quinto* occurrunt Typographorum ornamenta, ad quæ refertur ars xylographica, *formſchneiden*, cujus au-
210. tor non eſt pictor Italus, *Hugo di Corpi*, ſed Germano, *Alberto*
214-220. *Durero*, ſculptori Norimbergenſi, ejus initia debemus, quæ prin-
221-225. cipio erant inculta. Nominantur hujus artis magiſtri. Huc
226. ſpectant ſymbola, emblemata, characteres Typographorum, quo-
228 ſeq. rum in locum ſuccedebant literæ nominum initiales; deinde
230. 239. plena nomina; ſigna familiis propria, etiam ſocietatibus & ſucceſſoribus; ſigna cum inſignibus, cum effigie humana, & bruto-
232-237. rum cum effigie humana, & brutorum avium, piſcium, corvo-
242-251. rum, leonum, equorum, pegaſi, herbarum & florum, arbo-
255-266. rum, ſolis, regionum, petræ; dicta Biblica. Sequuntur inſignia, quibus Typographi ab Imperatoribus liberaliter ſunt donati. Formæ, ſeu regulæ, narrantur, figuræ ligneæ, quibus diſciplinas, artes, hiſtorias Imperatorum, Regum, belli heroum,
270-275. hiſtoriam literariam, phyſicam, ſacrum Codicem, illuſtrare vo-
277-280. lebant. Sunt interdum ridiculæ; ſunt indignæ. *Caput ſextum* prædicat varium Typographiæ uſum, qui ſe exſerit e copia bonorum librorum, brevi temporis ſpatio excudendorum, & levi
281. pecunia comparandorum, isque redundat in omnes eruditio-

nis

nis ac ſcientiarum partes, quæ recenſentur. Sacra Biblia, Patrum ſcripta, referuntur, quæ optima cenſentur, quæ ab initio Typographiæ uſque ad Concilium Tridentinum, Baſileæ inprimis, ſunt typis publicis exſcripta. Ad ſacrorum emendationem multum fecit; promovit ſcholarum & Academiarum incolumitatem, & ſuppeditat artis cultoribus neceſſaria vitæ præſidia. *Caput ſeptimum* nobis ante oculos ponit propria & peculiaria Typographorum officia, qui omnes aliquid de ſcientiis literariis percipere debuiſſent. Recenſet doctos Typographos, eorumque libros editos; nimirum *Jo. Amerbachium*, *Petrum Apianum*, *Jodocum Badium*, *Conr. Agricolam*, ſeu *Bauer*, *Corn. Blæu*, alias *Cælium*, aut *Janſſonium* dictum, ubi de ejus gente copioſius agitur, *Dan. Bombergium*, qui multos ſumtus in linguam Ebræam impendit; *Mauritium Brandiſium*, *Petrum Cæſarem*, *Zachar. Calliergum*, *Guilielm. Caxtonium*, *Hieron. Commelinum*, cujus typographia vocabatur *S. Andreana* a ſuo procuratore, qui *Andreas* erat, *Jo. Criſpinum*, *Stephan. Doletum*, *Chriſt. Egenolphum* & *Paulum Egenolphum*, *Sigiſm. Feyerabend*, *Andream Friſſnerum*, qui Profeſſor Theologiæ Lipſienſis A. 1504 poſteros ſuos legato *Wonſiedelii* ad colenda literarum ſtudia ornavit, *Hieronymum Frobenium*, qui nullum librum inutilem unquam prelo ſubjecit, *Sigiſmundum Grimm*, *Franciſcum* & *Sebaſtianum Gryphios*, M. *Frider. Lanckiſchium*, *Aldum Manutium*, *Pauli* filium, *Paulum Manutium*, *Theodorum Martini*, *Simon. Melangium*, *Fridericum Morellum*, *Guil. Morellum*, *Balthaſ. Moretum*, *Jo. Moretum*, *Gerh. Mowrhium*, *Conr. Neobarium*, *Jo. Georg. Niſſelium*, *Jo. Oporinum*, alias *Herbſt*, *Jo. Petrejum*, *Chriſtoph. Plantinum*, *Franciſc. Raphelingium*, *Jo. Regiomontanum*, *Rutgerum Reſcium*, *Georg. Rau*, *Georg. Ritzſchium*, *Matth. Schurerum*, *Carol. Stephanum*, *Henr. Stephanum*, &c. *Paul. Stephani*, *Wolffg. Stækelium*, ſeu *Stæklinum*, ſeu *Molitorem*, ſeu *Wolffg. Monacenſem*, *Jo. Ludov. Tiletanum*, *Franciſc. Tiſſardum*, *Godofr. Torinum*, *Adrian. Turnebum*, *Mich. Vaſcoſanum*, M. *Erneſt. Vœgelinum*, *Chriſt. Wechelium*. Facta hac enarratione, redit Autor ad officia Typographorum, ad quæ pertinet notitia earum rerum, quibus Typographus carere nequit.

Pag. 286-288. 295 ſeq. 297-299. 300. 303. 304-308. 309. 310-319. 320. 322-329. 332 ſeq. 338. 341-345. 346. 347.

Pag. 348. nequit. Præter artis requiſita, commendat eis preces & ſtu-
350-356. dium veræ pietatis, indefeſſum laborem, ſobrietatem, impreſſionem librorum utilium, literas nitidas, nec fugientes, curam neceſſariam in evitandis erroribus typographicis, correctores ad menda tollenda idoneos ac diligentes, qui olim ad
359 ſeq. fidem libris manuſcriptis jurejurando ſe obſtringebant. Porro ſibi commendatam habeant integritatem & fidem, ne dolis
361-365 emtores fallant, aut cultello *Flaciano* utantur, aut in editioni-
ſeq. bus librorum, aut in charta, fraudem admittant. Sint frugales,
& ſorte ſua contenti, nec mala fide imminuant pretia aliorum
369. librorum. Typographi, avaritia obcœcati, prelo ſubjiciunt
370. malos libros, qui vivi peccant, & poſt mortem. Cauti ſint in exſcribendis libris anonymorum, in eisque, qui de divinatio-
372-378. nibus, de aſtrorum affectionibus, de punctationibus, de chiromantia, de ſomniis, agunt. Sumtus non impendant in atheorum libros, nec in eos, qui turbas excitant in re publica. Sibi caveant a libris iterum excudendis, qui fiſco ſunt addicti; etiam ab iis, qui naturaliſmum, ſcepticiſmum, magiam illicitam, adjuvant; ab amatoriis libris pariter ac eis, qui arcana cujusdam
381. reipublicæ in ſe continent. *Caput octavum & ultimum* agit de
382-386. officiis, quæ, ſi Typographiam reſpicimus, Deo debemus. Ejus cultores non contemtim habeamus, more veterum Turcarum, ſed eos, ut par eſt, æſtimemus. Hoc præſtiterunt aliqui in vitis typographorum celebrium ſcribendis, in funeribus apparandis, in ſculpendis eorum imaginibus, in ponendis ſtatuis, in cudendis numis. Imperatores, Reges, Electores, magiſtratus, ad abuſum Typographiæ tollendum leges præſcripſerunt, &
391 ſeq. Edictum *Caroli VI* glorioſiſſimæ memoriæ inſeritur. Nullus Typographus librum prelo debet ſubjicere, niſi is cenſuram ſuperiorum ſubierit. Hinc natum eſt jusjurandum Typographo-
398 ſeq. rum. De donis, muneribus, privilegiis, ſalariis, ſermo inſti-
402. tuitur, quæ Typographis contigerunt. Tandem ſub finem hu-
409 ſeq. jus Opuſculi doctiſſimus Autor ſe ad Bibliopolas vertit, quos
411. admonet, ut ne quid mercedi Typographorum juſtæ & promeritæ derogent.

HISTO-

HISTORIA JUBILÆORUM SCHOLASTICORUM, in Gymnaſio Wratislavienſi Eliſabetano publice celebratorum, cum biographiis, annotationibus, & Præfatione, CHRIST. STIEFFII.

Wratislaviæ, typis & impenſis typographiæ Baumannianæ, imprimebat Jo. Theophil. Straubel, præfectus, 1737, 8.

Plag. 22.

Non poteſt non omnibus elegantiorum literarum, Hiſtoriæque literariæ, ſtudioſis gratiſſimus iſte liber eſſe. Utrique inveniunt, quo nobilem impleant diſcendi cupiditatem. Ipſa ſtatim Præfatio, quod profit, habet, quodque delectet. Agitur hic de ſcriptis nonnullis, in gratiam rei gymnaſticæ ac ſcholaſticæ juris publici factis, ut & ſingulatim de iis, in quibus vel ſanctioris, vel elegantioris, doctrinæ interpretum, partibus ſuis per dimidium ſeculi functorum, hiſtoria tractatur. Hac data occaſione, ad *Jo. Chriſtiani Blumii* hujus argumenti libellum emendationes quædam ac ſupplementa communicantur, neque minus ejusmodi quidam, & alii Vratislavienſium Rectores, breviter percenſentur. Pertinent huc *Andreas Wincclerus*, ſive *Wincklerus*, Islebienſis Saxo, *Jo. Mecclerus*, J. U. D., M. *Petrus Vincentius*, M. *Nic. Steinbergerus*, M. *Jo. Fechnerus*, Freyſtadio-Sileſius, *Martinus Hankius*, *Gottlob. Krantzius*, *Mich. Hermannus*, M. *Jo. Hofmannus*, ac denique *Georg. Teubnerus*. Horum omnium vitas tam breviter, quam accurate, in Præfatione expoſuit Cl. *Stieffius*. Nolumus autem in limine morari Lectores, quin potius ſumma ipſius libelli capita his conſideranda ſiſtemus. In *tres* illa hiſtoria dividitur *Sectiones*. *Prima* ſiſtit *Jubilæum Conrectorale Seidelianum*, A. 1624 d. 27 Septembris celebratum. Huc ſpectant *Biographia Seideliana*, doctiſſimo ab Editore lucubrata, ubi ſigillatim de illius Comœdiâ *Tychermæa*, & de *Compendio Grammaticæ Latinæ*, diſſeritur, ac M. *Eliæ Majoris*, Oratio pro *Seidelio*, cum Programmate actus ſcholaſtici quinquediurnalis, impreſſa jam olim Lipſiæ A. 1626, 8, adjecta legitur, cui vero nunc recens accedunt annotationes quædam *Stieffianæ*. *Sectio altera* complectitur *Jubilæum Rectorale*

Majorianum, A. 1665 d. 19 Martii celebratum, quo pertinent vita hujus eruditiſſimi viri, ac trium ejusdem filiorum, ex Cel. *Gebaueri* Anthologicis Diſſertationibus depromta, atque animadverſionibus quibusdam *Stieffianis* adaucta; ejusdem addenda de *Elia Majore*, patre, quæ ſunt elogium *Cunradinum* ex Sileſia togata; hiſtoria imaginis duplicis *Majorianæ*, tum ipſo anno jubilæo 1665, tum ſumtibus *Bublianis* Lipſiæ A. 1666, æri inciſæ; relatio de *Jo. Gebhardi* Sermone epicedio *Majoriano*; Epitaphium *Majoris Hankianum*; Syllabus Programmatum publicorum, actibus ſcholaſticis præmiſſorum; Diploma magiſteriale philoſophicum, a *D. Matthia Hoe ab Hoenegg* illi traditum; Epigramma nuptiale jocoſum, de nomine *Groſſer* in nomen *Majoris* transmutato; ac de laurea poetica *Majoriana*, per D. *Hoe* tributa, tractatio. Sed & de *Elia Majore*, filio, nonnulla reperiuntur adjecta, e. g. excerptum Programmatis præſidialis de ipſo emerito; Epitaphium, ab ipſomet ſibi ſcriptum; excerptum teſtamenti *Majoriani*; inquiſitiones de poculo jubilæo, Hamburgum deportato, & an patri de Jubilæo ſcholaſtico gratulatus fuerit; tractatio de Programmatum titulis alphabetariis; Syllabus ipſorum Programmatum; inquiſitio, an lauream poeticam acceperit, & quot annos pater & filius in ſcholaſticis laboribus deſudaverint. Deinde ſequitur actus *Gebhardiani* Programma, cui titulus: *Pietas Gymnaſii Eliſabetani emblematica*; hinc *Gebhardi* Oratio Jubilæa, cui titulus: *Pietas diſciplinaris erga M. Eliam Majorem*, &c.; tandemque *Jo. Dan. Majoris*, Med. Doct., filii natu minimi, Sermo & Carmen gratulatorium ad parentem. *Sectio tertia* proponit *Jubilæum Prorectorale Poblianum*, A. 1736 d. 1 Novembris celebratum, cui inſerviunt Cl. Editoris brevis delineatio integri actus Jubilæi; Oratio *Stieffiana* ad *Poblium*; *Pobliana* reſponſio; *Gerlachii* allocutio ad eundem nomine ordinis in Eliſabetano primi; eruditi ſenis reſponſio; *Jo. Gottl. Liebigii*, Med. Doct. gratulatio elegiaca; primani cœtus Carmen gratulatorium Latinum; ejusdem ſcena muſicalis Germanica; *Jo. Ern. Stieffii* votiva ſingularis acclamatio; Catalogus omnium Dramatum publicorum *Poblianorum*, in utroque Gymnaſio; ut & gratulatio *Gierſchiana* privata chronoſticha.

ſticha. Appendix denique ſiſtit *Jubilæum eccleſiaſticum Hermannianum;* qua data occaſione, occurrunt Programma præliminare *Gebhardianum,*& pietas eccleſiaſtica *Gebhardiana,*in Gymnaſio Eliſabetano recitata. Dignus nobis potiſſimum viſus eſt *Godofredus Poblius*, de quo tria verba commemoraremus. Hic Vir doctiſſimus, patria Vratislavienſis, natus A. 1659, in Eliſabetano ſtudiorum rudimenta poſuit, inde in Gymnaſium Thorunenſe A. 1678 profectus eſt. Poſt abiit Vitembergam A. 1681, ac poſtea Lipſiam ſtudiorum ſibi ſedem elegit; donec A. 1686 Vratislaviam revocaretur, ad capeſſendum in Gymnaſio Magdaleneo munus profeſſorium primi, ac collegiale ſecundi Ordinis. Quindecim annis poſt tertius Eliſabetani Gymnaſii Profeſſor conſtitutus eſt. In utroque munere variis etiam lucubrationibus inclaruit, æque ita omnino partibus ſuis functus eſt, ut laudem non minimam conſequeretur. Anno demum 1737 a Senatu Vratislavienſi per literas ſupplices petiit, ut, propter ætatem ingraveſcentem, rude donaretur, id quod beneficium etiam, non ſine acceſſorio induſtriæ, laudabiliter præſtitæ, teſtimonio, & poſtliminari meritorum compenſatione, ipſo die natali, eidem contigit. Vel ex hoc ipſo patet, librum illum *Stieffianum* non ſolum privatam pietatem ac benevolentiam, ſed publicam etiam utilitatem, præ ſe ferre; nosque adeo habere, cur ſupplementa, quorum ſpem facere videtur, cupide exſpectemus. Sed & alii operæ facerent pretium, ſi qui ſimiles elaborationes publicam mitterent in lucem. Non deſunt tales, ad ordinem ſacrum quod attinet; ad ſcholaſticum vero & gymnaſticum ſane deſiderantur. Cum tamen multo majus eſſe videatur, inter tam concatenatos labores, totque, quibus ſubtrahi ejusmodi viri nequeunt, moleſtias, tantum temporis ſpatium conſumſiſſe.

Reiſe nach dem weiland gelobten Lande, ꝛc.

id eſt,

JONÆ KORTENI, BIBLIOPOLÆ OLIM ALTONAVIENSIS, Iter in terram olim celebratam, nunc vero inde

inde ab annis fere 1700 a benedictione Dei derelictam, nec non Ægyptum, montem Libanum, Syriam, & Meſopotamiam, ab eodem ſincere deſcriptum, perpetuisque obſervationibus illuſtratum.

Altonaviæ, ſumtibus Autoris, 1741, 8.

Alph. 1 plag. 15.

Adduxit Autorem locus *Moſis Deut. XXIX, 22*, jam olim ad deſiderium perluſtrandi Palæſtinam, ut Chriſtianos & ſeſe commoveret luculentiſſimo juſtitiæ Dei exemplo. Eo fine jam A. 1713 tentavit iter ex Anglia per Galliam & Italiam in Orientem, atque Conſtantinopolin, nec non Smyrnam, inviſit. Ulteriora quo minus tunc ſalutaret, impeditus fuit. Poſthæc in atheiſmum ſcepticum incidit, quem feliciter eluctatus, totum ſeſe Deo addixit, ac, bibliopolio in alium translato, iter in Palæſtinam, quod ipſe literis mandavit, ſuſcepit. Id huic libello contigit ſingulare & eximium, quod Autor 1)
Pag. 158. oſtendit, montem calvariæ & ſepulcrum Chriſti haud exſtitiſſe in eis locis, quibus illa ſolent ſpectanda præberi a Monachis Hieroſolymitanis; 2) ſignificat fraudes pias, a Monachis in Palæſtina admitti ſolitas; 3) paſſim intexit meditationes ſuas, pietatisque exercitationes; 4) dialectum doctrinæ obſervat, qualis vigebat Halæ Venedorum Seculo hoc ineunte; 5) opiniones privatas ſuas cum lectore communicat haud ſecus ac fata, quibus vel in animo vel extrinſecus fuit affectus. Latini ſermonis ſeſe profitetur rudem Autor, indignatus tamen eis, qui mordicus inhærent *Compendiis* ac *Syſtematibus Theologiæ*, ac
60. ſuſpiciunt *Symbola* & *Confeſſiones doctrinæ*. Judæos aliquando in Palæſtinam redituros, ac vicarios, a Chriſto denominatos, Hieroſolymæ ſedem occupaturos, ſperat idem. Peſtem terrarum Turcicarum eſſe flagellum, quemadmodum Judæis lepra
21. fuit funeſta & fere peculiaris, ſibi perſuadet. Nilo eſſe duos
27. verſus Oceanum alveos, refert poſt alios. Joppen portu pæne, tradit, carere. Hieroſolymis *Richardum Pocockium*, Anglum valde eruditum, invenit. Templum tumbæ Servatoris
44. eſſe telonium Turcarum, exiſtimat. Chriſtum bis adſtrictum colu-

columnæ fuiſſe, merito negat. Crucem Domini ab *Helena* fuiſſe repertam, negat. Prope antrum crucis Chriſti viſitur fiſſura petræ, quam tradunt tempore Chriſti in crucem acti ortam fuiſſe. *Maundrellus* huic traditioni aſſenſum impertivit. Autor in omnia ivit alia. *Zachariam, Barachiæ* filium, *Matth. XXIII, 35*, commemoratum, eſſe illum, quem *Joſephus* a Judæis, per *Titum* obſeſſis, paulo ante excidium Hieroſolymitanum tradidit occiſum, exiſtimat. Teſtimonium *Joſephi* de Chriſto credit eſſe ſuppoſititium. *Jacobus Franciſcus de l'Eclaſe*, Monachus, confeſſus fuit ipſe, narrationes Palæſtinorum de *ſanctuariis* eſſe confictas. Eremos Palæſtinæ Autor tradit eſſe tractus aridos, ſaxoſos, ab arboribus, gramine, & fronde, nudos. Veroſimile putat, *Joannem Baptiſtam* ediſſe non cicadas, ſed herbas. Imperante *Conſtantino M.* defeciſſe eccleſiam Hieroſolymitanam a Chriſto, exiſtimat. Planitiem ad Sodoma laudat, moris vitibusque Palæſtinam abundare, referens. Hieroſolymæ partes curate deſcribit, tabulisque, æri inciſis, illuſtrat. Saponem, ex erica combuſta parabilem, e Palæſtina divendi copioſe, addit. Urbem Acre, ſeu Ptolemaida, olim dictam fuiſſe *Acron Phiniſtæorum*, credit halucinatus *pag. 205*. Nazarethum & reliquias Tiberiadis exequitur. Montem Tabor, urbisque, in eo ſitæ, rudera illuſtrat. Balneas Tiberiadis ſeu thermas laudat. Montem majorem *Hermon* appellat Baſchan. Villam *Cana* procul vidit, nec non *Bethuliam* in monte declivi. Miracula Chriſti enarrat. Carmelum & fabulas Carmelitarum recenſet. Palæſtinæ ſortem miſeram explanat. Kedron torrentem æſtate aridum eſſe, monet. De inſtante Judæorum reſtitutione ſperat optima. Tyrum & Sidona deſcribit. Ad Acren fluviolum quendam perpetuo manare tradit, qui videtur eſſe Belus. Præterea in toto littore, a Joppe ad Ptolemaida uſque, nullum vidit amnem in mare profluentem, idque tempore æſtivo. Haud procul Sidone in Cœnobio Libani Maronitico A. 1730 typographiam cœpiſſe exerceri, narrat. Profectus fuit inde Tripolin, in Libanum, Laodiceam. Cedros, pinos, & cupreſſos, in Libano naſci, narrat. Locum *Jer. XIV, 7, 8*, ſub *Nebucadnezare* penitus impletum

Pag. 50. 83. 85. 101. 111. 119. 199. 209. 224. 267. 289. 309. 312.

eſſe, negat, ratus, complures unius vaticinii dari ſpecies com-
Pag. 328. pleti eventus. Dari terminum peremtorium gratiæ a regionibus detractæ, credit, quod de gratia Dei abundante omnino
331. eſt affirmandum. Diem noviſſimum eſſe remotiorem, credit. Principes montis Libani, qui per Europam ſolent ſtipem colligere, non dari, ſed potius mendicos hoſce eſſe mendaciorum
351. architectos, contendit. Eccleſiæ orientalis fata adverſa eſſe illis Laodiceæ communia, *Apoc. III, 16*, exiſtimat. Succeſſionem
383. Orientalium Epiſcoporum impertit verbis *Act. XIX, 15*. Orontem vidit ac tranſiit. Exponit verba *Marci XVI, 17, 18*, ſic, ut accuratis Theologiæ doctrinis haud omnia reſpondeant. Baptismum enim ordinarium diſtinguit a Baptiſmo ignis ac ſpiritus, & hunc putat regenitis communem. Urſam, ſeu Edeſſam, pu-
402. tat eſſe Urcaſchdim & patriam *Abrahami* Exſpectat pleniorem eventum promiſſi *Gen. XV, 18*. Omittimus reliqua, libelli indolem ex hoc ſpecimine ſatis cognoſci, arbitrantes.

D. CHRISTIANI BENEDICTI MICHAELIS, Theol. & Linguarum S. S. Prof. Ord. Syriaſinus, id eſt, Grammatica linguæ Syriacæ, cum fundamentis neceſſariis, tum paradigmatibus plenioribus, tum denique ubere ſyntaxi, & idiomatibus linguæ, inſtructa.

Halæ Magdeburgicæ, impenſis Orphanotrophei, 1741, 4. Alph. 1.

Quod ducentis abhinc annis, & quod excurrit, in votis fuit Viro doctrina, pietate, & meritis, illuſtri, *Ambroſio Theſeo*, qui per illam tempeſtatem ſolus ex Europæis linguæ Syriacæ notitiam tuebatur, ut (verba recitamus *Widmanſtadii*) *ſermo hic Jeſu Chriſti ſanctiſſimis labris conſecratus, poſteris tanquam per manus traderetur*, id ipſum, propitio Numine annuente, effectu non caruiſſe, læti prædicamus. *Albertus* quippe *Widmanſtadius*, qui ſe illi in diſciplinam dedit, ut erat literarum orientalium amantiſſimus, ita nulli operæ pepercit, quo in illarum penetralia ſe immitteret, &, ut erat dignitate conſpicuus,

cuus, ſua & hortatione & exemplo plures movit, quo eandem ſecum viam ingrederentur. Ab illo tempore ad noſtram ætatem exſtiterunt continua ſerie viri eruditi, qui præceptiones grammaticas linguæ Syriacæ conſignarent, Lexica conderent, uſumque interpretationis Syriacæ in oraculorum divinorum explanatione luculenter docerent. Ex illis, qui idiomatis hujus rationem juſtis regulis ſunt complexi, cumprimis Cel. Philologus, *Chriſtianus Benedictus Michaelis*, eſt nominandus, qui, ubi *Grunertus*, typographus Halenſis, ipſo Typographiæ Jubilæo tertio, A. 1740, officinam ſuam literis Syriacis locupletaverat, occaſionem hanc percommodam, orientalem literaturam, maxime Syriacam, juvandi, non negligendam ratus, *Syriaſmum* ſuum, ex diligenti lectione verſionis Aramæo-Syræ tum Veteris, tum Novi, Teſtamenti, & multorum annorum obſervationibus, enatum, exſcribendum curavit. Abſolvitur is *tribus Libris*. *Primus* conſtat *quatuor Capitibus*, quorum 1) de *conſonantibus*, 2) de *vocalibus*, 3) de *notis diacriticis*, 4) de *tono vocum*, agit. *Secundus* exhibet *partes orationis*, *verbum*, *nomen*, & *particulam*, & quidem hoc ordine, ut *Cap. 1* differat de *paradigmatibus verborum*, 2 *nominum*, 3 *particularum*. *Liber tertius* ſiſtit *ſyntaxin*, & huic *tria* impendit *Capita*, quorum 1) eſt de *idiomatibus verborum ſyntacticis*, 2) *nominum*, 3) *particularum*. In ſingulis exempla & paradigmata ſunt addita, ex ſacro Codice Vet. & Nov. Teſt. depromta, eo quidem ordine, ut, pleniora & magis digeſta apud alios Autores vix repertum iri, Eruditiſſimus Vir ſibi perſuadeat. Et habet utique Opuſculum hoc, quo ſeſe commendet. Omnia naturali ordine, via plana ac facili, ſunt propoſita, multæ egregiæ obſervationes, quas diuturnus uſus ſuggeſſerat, ſunt inſperſæ, eædemque idoneis exemplis confirmatæ, quod vel maxime de ſyntaxi, elegantiſſime concinnata, eſt dicendum. Literæ Syriacæ, quæ in illo comparent, ſunt nitidæ, & in eo emendando tanta accuratio & circumſpectio eſt adhibita, ut pauciores hic mendæ deprehendantur, niſi quod puncta vocalia non ſemper ſuis literis accurate ſint impoſita vel ſuppoſita. Ex illo aliqua, quæ nobis præ aliis obſervatu digna fuerunt viſa, enotabimus. Literas *eſtrangelas* a voce Græca ϛρογ-

Pag. 3. ςρογγύλος, *rotundus*, nomen sortitas esse, cum aliis affirmat; sed, quoniam illarum figura ad *rotunditatem* minus accedit, dici potest, ita appellatas fuisse, quod non sint æque politæ ac concinnæ, uti *Theophrasto Hist. plant. Lib. V Cap. 6* nominantur φύλα ςρογγύλα, *rudia adhuc*, nec *magistri manu polita*. Figuras vocalium per characteres pro recentioribus, per puncta pro antiquioribus, cum *Hardtio* contra *Opitium* ac *Cellarium* ha-
14. bet. Syri quidem *Theophilum Edessenum* Seculo P. C. N. VIII, cum in interpretando *Homero* versaretur, ex literis Græcis vocales formasse, perhibent, easdemque exprimendis nominibus propriis Græcis aptavisse, ante illius autem tempestatem ulla vocalium signa apud Syros exstitisse, non commemorant. Vid. *Abulpharagius Hist. dynast. pag. 148*, & *Assemannus Bibl. Orient. T. I pag. 522*. Verbum ܐܶܫܟܰܚ non conjugatio-
42. 43. nem Aphel esse, sed potius Pehal cum aleph prosthetico, statuit; sed, cum Syris sit usitatum participium ܡܶܫܟܰܚ & infinitivus ܡܶܫܟܰܚܬܳܐ, quæ omnino sunt formæ Aphel, idem de ܐܶܫܟܰܚ dicendum videtur. Vox ܡܰܡܠܶܐ *Phil. II, 1*, non ad radicem
143. 144. ܡܰܠܶܐ, sed ܡܠܳܐ, recte reducitur. Vocem ܒܰܓܝܶܢ non vult esse
146. ex ܒܰܓܝܶܢ *clamare*, sed potius ex ܒ & ܓܝܶܢ quod in Aphel format ܐܰܓܝܶܢ *texit*, *protexit*. In locutione ܒܰܪ ܐܶܓܪܳܐ vocem ܒܰܪ non *filium*, sed *extra*, notare, ex vero dici posse, arbi-
150. 151. tramur. Ceterum Vir Excellentissimus, separato Opusculo se acturum, promittit, de Syrorum gente ac lingua, de luminibus, quæ Syrus sermo tum Grammaticæ Ebraicæ & Biblico-Chaldaicæ, tum etymologiæ & phraseologiæ Ebraicæ, tum Græcismo sacro & Novi Test. inprimis, præbet, de exstantioribus monumentis & præsidiis linguæ Syriacæ, de versionibus tum Veteris, tum Novi, Testamenti Syriacis, & quem usum maxime Syriaca Nov. Test. versio habeat; cui elaborando ipsi vitam, valetudinem, ac otium, ex animo comprecamur.

* * *

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi V Sectio IV.

THE LIVES OF THE PRINCES OF THE ILLUſtrious Houſe of Orange &c.

id eſt,

VITÆ PRINCIPUM ILLUSTRIS DOMUS Arauſionenſis, ad hæc uſque tempora, ex optimis Scriptoribus, tam impreſſis, quam MStis, deſcriptæ, Tabulis æneis, Synopſi, & Genealogia, ornatæ.

Londini, 1734, 8.

Plag. 14.

Quos unquam nominis Naſſovienſis perſtrinxit ſplendor, ii & fatentur & profitentur, ſummorum Heroum proſapiam vereque divinam eſſe domum illam. Communis gentium ſalus in virtute eorum Principum fuit poſita; tantiſque erga omnes meritis conſpicui ſunt, quanta memorare haud licet humana, hoc eſt, tenui, dictione. Rerum geſtarum gloria, bellicaque virtute, præ ceteris hos floruiſſe, vel unius exemplum *Adolphi*, Comitis Naſſovienſis, poſtea Romanorum Imperatoris, patet, cujus fortitudo, & heroica geſta, omnium hiſtoriarum monumentis conſervantur. Ejusmodi igitur Principum hiſtoria non poteſt non eſſe grata, jucunda, utilis, glorioſa. Hanc in libro, cujus titulum adſcripſimus, Anonymus

mus quidam pandere conſilio admodum laudabili conſtituit. Non autem ad primas animum advertit gentis Naſſovienſis origines, ne in immenſum volumen excreſceret hic labor. Non igitur Seculi noni, quo jam inclaruit Sereniſſima hæc ſtirps, præcipuam hiſtoriæ partem perſecutus eſt, ſed filum texere cœpit inde a conditore ſalutis communis unitarum, uti vocantur, provinciarum. Inſperguntur tamen haud pauca ex veterum monumentis, quæ recentiorem illuſtrant hiſtoriam. Non negat vero Autor noſter, ſe poſthabuiſſe priora Secula, nec lucem affudiſſe antiquitati; commendat potius inſervientem ei librum, inſcriptum: *Genealogie & les Lauriers de Naſſau.* Operam autem ſuam poſuit inprimis in enarratione vitæ *Wilhelmi*, Principis Naſſovio-Arauſionenſis, quæ legitur a *pag.* 1 ad 81. Inde *Philippi Wilhelmi*, Principis Naſſovio-Arauſionenſis, & *Eleonoræ*, Burboniæ, *Mauritii*, *Henrici Friderici*, *Wilhelmi II*, & *Wilhelmi III*, res geſtæ deſcribuntur. Ultimi ac præ ceteris memorabilis Principis, *Wilhelmi Caroli Henrici*, vitam exorditur *pag.* 209, & ad libri finem perducit. Noſtrum non eſt, ſpeciatim commemorare eorum, quos nominavimus, hiſtorias; attamen exponere juvat laudabile & ſumma proſequendum veneratione Principis exemplum *Wilhelmi Caroli Henrici*, quod brevibus ita ferme deſcripſit Autor. *Joannis Wilhelmi* filius poſthumus, primo Sept. die A. 1711 feliciſſimis auſpiciis in lucem editus, ſapientiſſima matris Sereniſſimæ cura moribus formatus, ſpei de ſe conceptæ felici reſpondit ſucceſſu. Hic Princeps Celſiſſimus Magnæ Britanniæ Regis Auguſtiſſimi filiam principem natu maximam in matrimonium duxit. Proceres imperii Anglici octoginta librarum millia dotis loco ei ſolvi conſtituerunt, & Ordini Periſcelidum illuſtriſſimo adſcriptus, Eques fuit creatus, hunc illi honorem *Wilhelmo Finchio*, Regis tunc temporis Hagæ Comitum Legato, & *Joanne Aaſtio*, offerentibus. De ritibus ac cerimoniis, hic adhibitis, tam fuſe diſputat Noſter, ut vix leviſſimum momentum omiſſum eſſe videatur. Deinde verba facit de itinere Principis Sereniſſimi in Britannorum fines, ubi honorifice eum acceptum a Rege Regiaque domo omni docet, ita finem imponens univerſo libro, nec de ſolennibus nuptiis, deinde celebratis,

celebratis, quidquam literis consignans. Non est, quod reliquorum Principum commemoremus vitas, cum ab Autore tradita aliis dudum sint propositæ; fidesque Nostro, si non deneganda, tamen jure non sit tribuenda, quoniam fontes, unde sua hausit, non adduxit. Dedicatus est liber Celsissimo *Wilhelmo Carolo Henrico* eo, quo matrimonium is erat initurus cum Sereniſſima *Walliæ* Principe, tempore, non sine stili elegantia ac suavitate.

SCRIPTURE POLITICS; BEING A VIEW OF THE ORIginal constitution, and subsequent revolutions, in the government religious and civil, of that people, &c.

hoc est,

POLITICA SCRIPTURÆ, SIVE CONSPECTUS Reipublicæ, tam civilis, quam sacræ, populi illius, e quo Servator mundi fuit oriundus, in Codice sacro comprehensus, & adornatus a SAMUELE CROXALL, Archidiacono Salopensi in diœcesi Herefordiensi.

Londini, 1735, 8.

Alph. 1 plag. 9.

Latissime diffusus antiquitatum sacrarum usus acres atque aequos rerum existimatores dudum occupavit, occupatque *Croxallium*, libri, eas enarrantis, Autorem. In certa hic & apta satis capita redegit amplissimum harum rerum ambitum, sed infelici sane successu eas descripsit, cum fontes ipsos Rabbinorum & interpretum Codicis sacri optimorum nec adierit, nec forsan adire potuerit, ob linguarum sub oriente sole cultarum inopiam. Posthabuit quoque recentiorum Autorum labores, saltem eorum testimonia nusquam excitavit, si *Sigonium* exceperis, cui se multa, adeoque maxima, debere, profitetur. Minutatim sistere *Capitum Sectionum*que indicem, supervacaneum foret, cum cognita sint quibusvis lectoribus argumentorum genera, antiquitatum Ebræarum Compendiis inserenda, quorum memoriam omnium coluit Noster. Ut vero liquido constet illius differendi ratio, ipsum *Capite I Sectionis I & II* de lege ita loquentem audiamus: Respiciamus statim legem, a Deo ipso pro-

promulgatam, atque *Moſe* adminiſtratam; ea tam religioſæ, quam civiles, actiones determinantur, & amor innuitur erga Deum, noſmet, alioſque. Qua de ratione inquirens maximum præceptum *Matth. XXII, 35*, reſponſum tulit: *Dilige Deum*, &c. Unum vero præceptum decem quaſi ramis ſeu rivulis explicavit Deus, quorum quatuor ſibi præſtanda contineat, ſex autem hominibus convenientia officia. Primo prohibetur idololatria. Quæ addit Autor, ſane tam trita ſunt, ut ſcholis trivialibus, uti dicuntur, addicti calleant plane omnia. Certe Catechiſmum integrum exhibet. *Sectione III* pergit ita: Singulas vel minutas circumſtantias Deus O. M. ratione legum obſervandas delaravit quam benigniſſime. Dividuntur præſcripta hæc 1) in legem, 2) teſtimonia, 3) vias, 4) præcepta, 5) ſtatuta, 6) mandata, 7) judicia, 8) verba, 9) ordinationes, (Anglorum idiomate *ordinances*,) 10) juſtitiam. Sed quis non videt, Autoris noſtri diviſionem eſſe inutilem & falſam, cum nitatur tantum diverſitate verborum, in verſione *Pſ. CXIX* translationis Anglicanæ adhibitorum, ſcilicet *Law, Teſtimonies, Precepts, Statutes, Commandments, Judgments, Words, Ordinances, Juſtice.* Provocat ad *Exod. XV, 35, Levit. XXVI, 46*, ubi ſtatuta & mandata Dei a ſe invicem diſcerni putat; ſed quid inde? Hac certe ratione poteſtas vocum plane diverſa nondum eſt probata. Noſter arguit porro: Ut univerſus legum ſanctiſſimarum complexus innoteſceret, atque actiones omnium hominum ad illas accommodarentur, prævidit Deus deſciſcentem Regemque creantem populum, hancque ob cauſam & leges tulit, quibus Regum circumſcriberetur poteſtas, *Deut. XVII, 18.* Leges etiam Domini recitabantur a Domino *Deut. XXXI, 9.* Exemplar quoque ejus, a *Moſe* deſcriptum, Levitis venit ad manus loco teſtimonii haud intermorituri *Deut. XXXI, 24.* Licet autem tanta cura (pergit Autor *Sectione V,*) aſſervaretur lex divina; attamen, Regibus imperantibus, plane videtur antiquata atque neglecta, ita, ut Joſophat quæſtus poſt *Salomonis* fata reprobus ſapientiſſimos moribusque ſanctiſſimos, una cum Levitis & ſacerdotibus nonnullis, mittere deberet in omnes terrarum, ditioni ſuæ ſubjectarum, fines, populum erudiendi cauſa in legis divinæ capitibus. Hoc mandatum executi ſunt teſte

2 Chron.

2 Chron. XVII, 9. Codex ipſe perditus fuit; qui præcepta continebat, ſecundum quæ regere gentem decuiſſet uſque ad tempora *Joſiæ*, Regis ob pietatem præ ceteris memorabilis. *Hiskia*, Pontifex maximus, in domo Dei inventum tandem librum miſit ad Regem, *2 Reg. XXII, 11,* & *2 Reg. XXIII.* Sequentibus temporibus, quatuor Regibus ſummam imperii capeſſentibus, quam maxime obliterata occultaque manſit lex divina usque ad Babyloniæ captivitatem. Ex hac autem reduces facti, (ita *Sectione VI* docet Autor,) ſeptendecim annis præterlapſis, *Eſra*, inquirens legem Dei, *Eſræ VII, 6, 10,* inſtaurabat eam, inſtaurata vero ad noſtra uſque tempora pervenit. Ex quo uſque ad turbas, *Antiocho Epiphane* Syriæ imperante exortas, Judæi propriis ſuis legibus tenebantur, quibus Pontifex maximus præerat. Tunc temporis, probabili modo conjicimus, verſionem LXX interpretum compoſitam eſſe. Non quidem opera ſeptuaginta duorum interpretum, eorumque ſeniorum ſuæ gentis, *Ptolemei Philadelphi*, Ægyptiorum Regis, auſpiciis, ſed eorum Judæorum diligentia, qui in Græciæ atque Ægypti regionibus degebant. Sævitiæ vero *Antiochi Epiphanis* varia erga eos exſtiterunt monumenta, quippe qui leges ſacras, ritus, conſuetudines eorum, penitus evertere & delere conſtituerat. Dici non poteſt, quam exquiſitis tormentis affecerit cum animi conſtantia tuentes majorum inſtituta; donec *Judas, Machabæus* cognominatus, patriam defenſurus, prodiit, eamque priſtinæ vindicavit libertati. Quo facto, antiquum legum ſacrorumque conſtituit decus atque exercitium. Nihilo minus variæ ſordes adſperſæ ſunt, hæreſium invaleſcente paulatim vi, quas & Principes & Reges poſteri *Judæ Machabæi* ſunt ſecuti. Hæc fuit rerum facies per centum annos, uſque dum Romanorum poteſtati ſubjecti fuere. Quam excepit exoptatiſſimus Jeſu Chriſti adventus. Quomodo vero hujus ætate *Moſis* leges obſervaverint Judæi, *Jo. VII, 19,* luculenter oſtendit. Etenim externi tantum ritus habebatur ratio. Ipſe vero Chriſtus (ita pergit Autor *Sectione VIII*) mirifice ad legem Dei actiones temperavit, in morte conſtitutus, *Matth. V, 17,* reque ipſa cerimonias, typos, prædictiones, & vaticinia ademplevit omnia. Moralem enim diſciplinam nemo profecto religioſius coluit & exercuit Ser-

 vatore

vatore optimo. Ita Rev. *Croxallius* expediendas fuiſſe antiquitates ſacras putavit. Protulit multa, ſed ſine ulla probatione; plurima vero notiſſima lippis & tonſoribus in hunc libellum congeſſit. Fieri tamen poteſt, ut literarum rudibus conatus ejus qualescunque aliquid afferant emolumenti.

SELECTÆ ASSERTIONES THEOLOGICÆ, IN gratiam tironum ex prolixioribus Scripturis atque lucubrationibus in compendium redactæ, in quibus variorum Hæreticorum errores refelluntur.

Pariſiis & Veronæ, per Jacobum Vallarſium, 1739, 4. Alph. 1 plag. 12.

S Rev. *Laurus Maria Piccinellius*, Veronenſis Inquiſitor, Pariſiis A. 1713 hunc librum luci fuiſſe datum, nos docet. Quis vero eum contexuerit, ſignificare non habemus. Tantum Autor, qui eum inter hæreticos meditatus eſt, ac poſtea collegit, nos haud ignorare voluit, quantum his verbis continetur: *Mearum erat partium, cum ante aliquot abhinc annos inter hæreticos degerem, ut ſæpius in arenam deſcenderem, aut Clerum, curæ meæ concreditum, ut par erat, vel certe, ut turbata ſinebant tempora, inſtructum, in eandem mitterem. Stupenda enim contentione in regionibus illis fervent novatorum animi, quibus ſors iniqua illam invidit felicitatem, quam Gallia pietate Regis maximi conſecuta eſt, ut ſibi gratulari queat, lupos ab agnis omnino ſegregatos eſſe, vel ſaltem prohibere, ne agnitæ palam obſtreperent veritati.* Ipſe pleraque ex ſcriptis Jeſuitarum hauſit, ac ſeſe a Galliæ Theologis diſcrevit. Reliqua nos noluit ſcire. Librum in *Partes duas* diviſit. *Priori* doctrinam eccleſiæ Romanæ it demonſtratum; *poſteriori* ad adverſariorum objectiones diſſolvendas ſeſe accingit. Acceſſit in calce *Appendix quorundam dilemmatum A. R. Patris Sentivarii, Societatis Jeſu, Doctoris Theologi*, quo hic exiſtimavit ſeſe Proteſtantes univerſos conſtringere & ad ſilentium redigere poſſe, omittens diſtinctiones & reſponſiones, quas Proteſtantibus

tibus dudum libuit ad eas reponere. Methodus hæc eſt una ex illis technicis & declinatoriis, quibus Rev. S. Jeſuitæ velut ariete uti ſolent. Quam vellemus, Autor ipſa diſſentientium produxiſſet verba, aut ſaltem loca, e ſcriptis eorum decerpta, candide indicaſſet. Interim hoc Catone nos oportet eſſe contentos. Ipſo in limine hæc legitur ſententia: *Fides ad juſtitiam & ſalutem neceſſaria, non eſt fiducia voluntatis, ſed aſſenſus intellectus, quo rebus a Deo revelatis firmiſſime aſſentimur, contra Lutherum, Zuinglium, Melanchthonem, Calvinum*, &c. Loco probationis laudantur hæc pronuntiata, *Ebr. XI, 1, 3, Jo. XVII, 3, 1 Jo. V, 5, Rom. X, 8, Eph. III, 12, 1 Tim. III, 13, 1 Cor. XIII, v. ult.* Tum vero oſtendere cupit, fidem eſſe tantum unicam, provocans ad *Ebr. XIII, 9, 1 Cor. I, 10, Eph. IV, 4, 5, Eccl. II, 14.* Subdit tandem: *Et certe, fidem dicere fiduciam, eſt eam cum ſpe confundere*, quaſi ſpes & fiducia haud differant inter ſeſe. Hinc docere contendit, fidem dari tantum unicam, ideoque ad teſtimonium citat loca *Ebr. XIII, 9, 1 Cor. I, 10, Eph. IV, 4, 5, Eccl. II, 14.* Tum pergit: *Fides adeo prorſus unica eſt, ut nihil ei demere vel adjicere liceat absque ſalutis jactura.* Provocat ideo ad *Rom. XVI, 17, 18, Apoc. XXII, 18, 19.* Addit: *En ut ſummi reatus ſit, res fidei violare, ſive demendo, ſive adjiciendo, hoc fiat. Paulus 1 Tim. IV, 3, hæreticis accenſet eos, qui prohibent nubere, vel jubent a certis cibis abſtinere.* Non venit in mentem Autori, quorſum hæc maxime quadrent. Amplectimur illud Autoris: *Fides unica Apoſtoli Pauli abſolute neceſſaria eſt ad ſalutem*, &, quicquid doctrinæ *Pauli* e diametro repugnat, vel ei adſutum eſt in detrimenti loco, abhorremus. Addit Autor: *Fides tamen hæc non eſt erroribus permixta.* Id eſt, quod largimur, ſi de doctrina fidei divinitus patefacta ſit ſermo, recordati, diſtinguere Jeſuitas inter errorem fidei oppoſitum hæreticumque & materialem & formalem. *Lutheri* dogma ex libro ejus *de Poteſtate Papæ* opponit Lutheranis. Pergit: *Unde ſcies, utrum ſpiritus tuus internus ſit potius veritatis, quam fons vertiginis ac erroris? Nemo privatus hoc ſciet, niſi alium illumque autoritate Apoſtolica audiendo.* Qui igitur audiunt *Moſen* & Prophetam, Jeſum & Apoſto-

Pag. 2.

4.

7.

Pag. 9. Apoſtolos, illi non errant. En ſententiam aliam: *Nec per magiſtratum politicum loquitur Chriſtus in quæſtionibus fidei dirimendis, contra Melanchthonem & Armenianos.* Ubicunque in ſacro Codice promiſſa exhibentur eccleſiæ, id ſtrenue de eccleſia Romana interpretatur Autor, eodemque trahit promis-
12. ſiones, ſolis Apoſtolis datas *Jo. XIV, 13, 16, 26, Luc. X, 16.* Per vocem *nos* deſignari putat *1 Jo. IV, 6,* Eccleſiæ Romanæ paſtores. Hæc etiam ipſi arridet ſententia: *Chriſti Eccleſia ſemper fuit, eritque omni tempore, viſibilis & facile reperibilis,* quam comprobare ſtudet dictis *Matth. V, 14, XVIII, 17, Act. XX, 28, Dan. II, 36, Pſ. LXXXVIII, 38, Act. XVIII, 22, Rom. X, 17.* Tempore *Eliæ* & Arianorum Seculo IV aliter ſenſerunt doctores. Addit deinde hæc: *Viſibilis hæc Chriſti Eccleſia non poteſt deficere,* id eſt, Romana, ob loca *Matth. XVI, 18, Pſ. XLVII, 9, Eſ. LXI, 8, Matth. III, 12, Pſ. LXVIII, 30, Dan. II,*
15. *44, Luc. I, 33.* Quæ de eccleſia Dei univerſali & minus adſpectabili agunt loca, Autor ad Romanam trahit Eccleſiam, nominatim *Cant. VI, 8, Matth. XXIV, 45, XXI, 28, Jo. X, 16, Rom. XII, 5, Eph. IV, 3, 4, 5, 1 Cor. XII, 27, Jo. XVII, 20, 21, Eph. II, 16, Matth. XII, 25, Luc. I, 33.* Eccleſiam externam conſtare ex bonis atque malis, haud inficiamur, idque haud ſecus ac Autor demonſtramus ex *Matth. XIII, 47, III, 12, 1 Cor. X, 17, XI,*
17. *29.* Ut doceat, ſanctæ, perpetuæ, viſibilis, & unicæ, Chriſti Eccleſiæ caput viſibile, ſummum Pontificem, jure divino primatum habere in tota Eccleſia, confugit pro more ad *Matth. XVI, 18, Jo. XXI, 15, 16, 17,* & *Matth. X, 2,* addens: *Omnes S. Patres Petro, ac proinde ſummo Pontifici Romano, quem unum Petri ſucceſſorem agnoſcunt, divinitus conceſſum fuiſſe in tota Eccleſia primatum aſſerunt, inprimis Cyprianus Epiſt. ad*
18. *Quintum.* Traditurus, Eccleſiæ Chriſti eſſe ſupremum paſtorem, *Petri* ſucceſſorem, ſub Chriſto miniſteriale & viſibile in terris caput, provocat ad *Eph. IV, 11, 1 Cor. X, 11, XII, 16, 21, Act. I, 20, Matth. XVI, 18.* Sibi perſuadet, ſucceſſionem ſummorum inter Hebræos Pontificum figuram fuiſſe *Petri,* & in ejus ſede Romæ ſuccedentium Epiſcoporum. At Ebræorum Pontifex nonnunquam erravit, & a Rege potuit juſte deponi, eique

que vicarius exſtitit haud unus. *Theodorus Daſſovius* peculiari Diſſertatione hæc diſcuſſit. Sed haud dubitat Autor pronuntiare, ſalutem haud dari extra Eccleſiam Romanam, cauſatus, Jeſum ita docuiſſe *Matth. XVIII, 17*, ubi de eccleſia Romana tradi quidquam, multis eſt valde obſcurum. Addit: *Et, quam, quæſo, eccleſiam jubeantur omnes audire, præter hanc unicam Salvatoris, præter hanc, quæ a Chriſto ſuper petram eſt ædificata, & cujus caput jam Romæ Petro ſuccedit? Quam ulli unquam audire fas ſit Eccleſiam, præter hanc, quæ ſola eſt Chriſti, quæ eſt commiſſa Epiſcopis, ac præcipue ſummo Pontifici, ſupremo Chriſti in terris vicario?* En expoſitionem loci illius, paulo ante commemorati! Ut evincere poſſit, fidem Romanæ Eccleſiæ eſſe Apoſtolicam, convertit ſe ad *Rom. I, 8, 12*, ubi de Romana Eccleſia, qualis ea exſtitit ætate *Pauli*, exponitur, ac ad *Hoſ. II, 19, 20*, ubi promiſſio exhibetur, ad univerſam Chriſti eccleſiam, & ipſam Vet. Teſt. propriam ex parte, ſpectans. Patriarchales Eccleſias alias degeneraſſe omnes in hæreſin, adjungit, ac ſic inde ratiocinatur: *Ergo Romana eſt ſemper & ſola fidei Apoſtolicæ cuſtos, interpres, & magiſtra.* Id certe colligi inde poteſt: Ergo eccleſiæ conſpicuæ in errorem prolabi poſſunt, licet ab Apoſtolis ſint fundatæ; eamque ob cauſam promiſſiones de diuturnitate & perpetuitate eccleſiæ ad certum locum ſedemque certam haud ſunt alligatæ. Ut oſtendat deinde, Romanum Pontificem haud degeneraſſe in Antichriſtum, docere ſtudet, Antichriſtum eſſe 1) unum duntaxat hominem, ob *Dan. VII, 8, 2 Theſſ. II, 3, 8, Apoc. XIII, 18, Jo. V, 43, II, 22, Dan. XI, 36, XII, 11*; 2) qui Chriſto ſit reſtitutus $3\frac{1}{2}$ annis, *Dan. VII, 25, Apoc. XI, 2, 3*; 3) qui a Judæis ſit pro Meſſia recipiendus, *Jo. V, 43, 2 Theſſ. II, 10*; 4) qui ignem cœlitus ſit dejecturus, *Apoc. XIII, 13*; 5) tempore illo, quo duo teſtes ſint prodituri, *Apoc. XI, 3*; 6) præcipitandus cum falſo Propheta ſuo in abyſſum, *Apoc. XIX, 20.* Ut oſtendat, licere Pontifici ſimul eſſe Principem eccleſiaſticum & ſecularem, provocat ad *Gen. XIV, 18, Ebr. VII, 2, 3, Exod. XVIII, 13, Pſ. XCVIII, 6,* & *1 Reg. IV, 18*, omittens locum *Luc. XXII, 25, 26,* & *Jo. XVIII, 36.* Tribuit ipſe Pontifici Romano jus puniendi ob poteſtatis Apoſtolicæ exercitium,

Pag. 20.

22.

26.

citium, quod describitur *1 Cor. IV, 21, 2 Cor. XIII, 2, 10, 1 Cor. V, 3, 4, 5, 12.* Episcopis datam esse potestatem excommunicandi, it comprobatum ex *Matth. XVI, 18, 19, 1 Tim. I, 20.* Missionem ministrorum Ecclesiæ haud derivandam esse a populo, sed ab Episcopis, & præcipue a summo Romanæ Ecclesiæ Pontifice, docere studet ex *Jo. XX, 21, 23, Act. XIV, 22, Tit. I, 5.*
Pag. 28. Posthæc tradit Autor, *sacram Scripturam esse certam, & omnis erroris atque falsitatis expertem,* ob *Jo. X, 35, 2 Petr. I, 21, Jo. V, 39, Act. I, 16, 1 Petr. I, 25, nec tamen ubique tam claram, ut sine Ecclesiæ explicatione possit intelligi.* Statim vero subjicit hæc: *Textus Scripturæ Hebraicus est depravatus in nonnullis locis, quæ fidem & mores non spectant.* Ut hoc evincat, confugit ad *Jos. XII, 36, Exod. II, 22,* & *2 Reg. IV, 5.* In primo loco perhibet omitti quatuor urbes Leviticas, quas Rubenitæ Levitis dederint. Sed pax sit rebus! Quæ dicuntur in Ebraico *Josuæ* contextu desiderari, ea pertinent ad *Cap. XXI v. 36, 37,* & inveniuntur in plurimis Ebraicis MStis ac libris descriptis. Hoc ipsum fatentur ingenue Bendictini Galli in editione Operum *Hieronymi Tom. I pag. 275,* & copiose ostendit e nostris B. *Joannes Georgius Abichtius* in *Dissertatione de Restituendis duobus versibus in Jos. XXI.* Succedunt sententiæ duæ, quibus tradi-
32. tioni, seu verbo viva voce tradito, Autor patrocinatur. Utinam distinxisset indolem traditionis in criticam, historicam, dogmaticam, ritualem, & in veterem ac recentiorem! Putat vero, S. Scripturæ, de sese testanti, haud credi posse, *Jo. V, 31,* cum tamen ipse credi velit Ecclesiæ Romanæ, de sese testanti, se esse ecclesiam illam, de qua Christus & Apostoli disserue-
43. runt. Christo vindicat ὁμιουσίαν, ob loca *Jo. V, 18, 22, Phil. II, 6.* Communicationem idiomatum assensione sua haud dignatur, licet unionem hypostaticam laudet. Christum subiisse mortem secundam pœnasque inferni, negat. Christum fuisse pecca-
52. torem, inficiatur. At quis negabit ideo, Jesum suscepisse in sese peccata nostra, non ut ea approbaret vel perficeret, sed ut sibi imputata expiaret? Universalitatem gratiæ Dei ac redemtionis Christi egregie satis videtur deduxisse ac confirmasse. Christum esse judicem qua Deum & hominem, *Lutherus* nunquam

quam negavit, licet ita visum fuerit Autori. Descensum Christi ad inferos invenit in *Eph. IV, 8, 1 Petr. III, 19,* & *Matth. XII, 40. Mariam* hyperdulia esse colendam, comprobatum it ex *Luc. I, 4, 48.* Et, quod mirere, addit hoc etiam: *Vulgata nostra* Gen. III, 15, *legit de beata Virgine: Ipsa conteret caput tuum.* In MStis antiquissimis legitur *ipse* congruenter Alexandrino & Græco. En aliud argumentum. Filius Dei sese ultro subjecit matri, & Jesus dixit ad *Joannem Jo. XV, 27: Ecce mater tua;* mira igitur impietas atque insania est illorum, qui eam colere nolunt cultu hyperduliæ. Essentiam divinam, qualis ipsa in sese est, a beatis angelis & hominibus videri ac conspici, comprobat ex eo, quod *Joannes 1 Ep. III, 2,* tradidit, beatos Jesum visuros esse in altera vita, *sicuti est,* & *coram, 1 Cor. XIII, 12.* Sanctos cœlites res nostras nosse, ostendi posse existimat ex *1 Tim. V, 21, 2 Cor. IV, 9, Ps. CXXXVII, 2, Apoc. XI, XIX, Luc. XV, 10, Apoc. II, 26, V, 10, Jo. VIII, 56, Luc. XVI, 25,* &c. Cuique angelum suum custodem esse, evincere studet ex *Matth. XVIII, 10, Act. XII, 15,* & *Gen. XLVIII, 16.* Deum pie a nobis orari per cœlites, eorumque merita, putat dilucere ex *Exod. XXXII, 13, 14, XX, 6, Jer. XXXII, 18, Dan. III, 35, 1 Reg. XV, 3, 4.* Christum & Sanctos esse etiam in imaginibus suis honorandos, demonstrat ex *1 Cor. XI, 7, Gen. IX, 6, Phil. II, 9,* & illo *Ps. XCVIII, 5: Adorate scabellum pedum ejus,* &c. Existimat deinde, licere nobis Deum Patrem & Spiritum Sanctum picturis adumbrare, nec unquam prohibitum esse vel facere vel habere imaginem in locis sive sacris, sive profanis. Sacramenta esse signa justitiæ & sanctitatis spiritualis internæ conciliatores, ex locis hisce constare arbitratur: *Act. XXII, 16, II, 38, Eph. V, 26, Jo. VI, 59, Act. VIII, 17, 2 Tim. I, 6, Jo. XX, 23, Jac. V, 15,* &c. Baptismum *Joannis* a baptismate Christi discernit. Addit paulo post: *Martyrium remittit peccata omnia, tum originale, tum actualia, & pœnam etiam omnem, peccatis debitam.* De unctione, confirmationi adjuncta, exponit loca *2 Cor. I, 21, 1 Jo. II, 27. Caput Joannis sextum* de cibo & potu eucharistico exponit. Sufficerint hæc specimenis loco. Maxima enim eorum pars jam sæpius in scenam fuit

Pag. 55.

58.

61.

65.

70.

77.

prolata. Lectores inter hæc diſcent, ſi ipſis loca evolvere lubeat, quantus inſit nervus argumentationibus. Ni potius ſummam libri Pontificii hic exhiberemus, quam conflictui nos daremus, judicio noſtro paſſim fuiſſemus uſi, quo autem jam haud unas ob cauſas, inprimis ob brevitatis legem, ſuperſedemus, mirati tamen, Autoris ita ferre opinionem, ut, nomen
Pag. 96. *Miſſæ* deducendum, arbitretur, ex *Deut. XVI, 10,* ubi legimus
108. in Ebraico contextu *miſſab-nidbath*, &, *Nicolaum*, Diaconum, degeneraſſe in Hæreſiarcham, putet.

LE SYSTEME DES THEOLOGIENS ANCIENS ET MODERNES, concilié par l'expoſition des differens ſentimens ſur l'état des âmes ſeparées des corps, &c.

id eſt,

COMPLEXUS DOCTRINÆ THEOLOGORUM veterum & recentium, conciliatus per expoſitionem diverſarum ſententiarum de ſtatu animarum, a corporibus ſeparatarum. Literæ quatuor. Editio tertia, diverſis novitiis acceſſionibus per Autorem locupletata.

Londini, 1739, 8.
Plag. 18.

SUITE DU SYSTEME SUR L'ETAT DES AMES SEparées des corps, ſervant de Réponſe au livre intitulé: Examen de l'Origeniſme, &c.

id eſt,

CONTINUATIO COMPLEXUS DOCTRINÆ DE ſtatu animarum, a corporibus ſecretarum, ſuſtinens vicem reſponſi ad librum, cui eſt inſcriptio: Examen Origeniſmi, per Dominum Profeſſorem R.... Editio altera, diverſis partibus aucta.

Londini, 1739, 8.
Plag. 13.

Pars

Pars hujus Operis *prior* jam edita fuit A. 1731 & 1733. Utriusque in eo vertitur ſcopus & cardo, ut perſpiciatur conſenſio perfectionum divinarum in ipſo, quo Deus ſalutem hominis deſiderat, negotio, atque ut amplificetur ſanctitas inter mortales, eorumque vivendi integritas. Sic nobis perſuadere ſtudet Autor, qui convellere molitur *opinionem imputationis exterioris cujusdam, plurimorum mentibus obtundendis, ac ſomno obruendis, aptam*, hoc quidem judice, qui diſſenſiones Theologorum, de prædeſtinatione ac gratia univerſali ſolitas agitari, ſolvere & removere audet. Hæc ſignificantur in ipſa Præfatione. Excipiunt eam Epiſtolæ, quibus præmiſſa eſt Introductio, Operi ipſi accommodata, ſeu Diſſertatio de natura bonitatis & juſtitiæ divinæ, ſecundum ipſam ſui originem conſiderata. Initio quidem Autor vitio vertit Theologis conſuetudinem, qua ſolent bonitatem Dei opponere ipſius juſtitiæ. Oppoſitionem Pag. 2.
eam repugnare unitati Numinis ſupremi, arbitratur. Firmamenti loco ponit & tradit, Deum inde ex æternitatis ſuæ abyſſo exſtitiſſe ſubſtantiam ſibi ſufficientem, opisque alienæ haud indigam, & qui alium ſibi ſcopum haud potuerit habere in creandis hominibus propoſitum, ac felicitatem rerum creatarum, prouti hæ illam recipere valent. Felicitatis hominum fontem 4.
conſtituit eam, qua Deus fruitur, beatitudinem. Unde colligit, id univerſum, quod inde procedit, felicitatem illam ſpirare, & ex parte poſſidere, ſiquidem id, quod mere perfecteque eſt bonum, non niſi bonum valeat dare ac facere. Juſtitiam & ſeveritatem pœnæ, credit, rem eſſe unam & eandem. Juſtitiæ fontem conſtituit æquitatem. Addit, Deum ratione 6.
ſcopi ſui ſemper ſibimet conſtare, ipſo quippe digni, immo ipſum adminicula, ſcopo illi attemperata, prædefiniiſſe. Hinc argumentatur porro, bonitatem Dei infinitam erga homines nunquam ceſſare, nec deſciſcere a ſemet in ipſis diſtribuendis pœnæ caſtigationisque momentis. Et hinc quidem ſibi pateſcere putat gradum, quo ad tollendas pœnas infernales proceditur. Modum, quo primi homines delectum mali potio- 17.
rem habuere ipſo bono, habet pro myſterio maxime nobis impervio. Scopum, quo Deus hominem felicitati deſtinavit,

Pag. 20. plane impletum iri, ſerius aut citius, aſſeverat. Miſeriam, in qua homo citra optionem libertatisque uſum nunc naſcitur, credit inſervire felicitati augendæ ſingulorum, vita hac poſteriori. Quam quidem opinionem exinde exiſtimat certam, quod Deus ſcopo ſuo excidere nequit, & dona vocatusque Dei extra ipſius pœnitentiam, teſte *Paulo*, ſunt poſita. De
26. intervallo, quod intercedit natalem noſtrum & felicitatem ſupremam, ſic diſſerit: *Hoc intervallum non eſt opus Dei, ipſe terminum ejus non fixit, hic terminus eſt in poteſtate noſtra, in arbitrio noſtro ſitum eſt, celerare tempus illud fauſtum, eum felicitatis ſtatum, qui nobis jam eſt acquiſitus. Omnis rei cardo in eo vertitur, ut acquiramus capacitatem eo fruendi, & ut in uſum actumque traducamus libertatem noſtram, & adminicula, nobis oblata. Quicquid Deus valet, id ad ſubveniendum nobis tendit, ne quidem permiſſione mali, quocum luctamur, excepta. Qua quidem ratione homo ipſe ſortis ſuæ eſt arbiter, non æternitatis, ſed temporis, reſpectu, quo poteſt præcidere aut protrahere ærumnas ſuas.* Ut verbo dicamus, Autor auget numerum eorum, qui olim fratres miſericordiæ & *Origeniſtæ* appellati
31. fuerunt. *Epiſtola prima* ſpectat ad amoliendas objectiones, quibus *Origeniſtarum* antagoniſtæ niti conſueverunt. Vocem עולם, vocem עד, vocem αἰὼν, vocem αἰώνιος, exiſtimat ſignificatus eſſe minus determinati, ſæpiusque deſignare dura-
38. tionem temporis longam, & alicubi tempus indefinitum. Juſtitiam Dei removet ab omni odio, vindicta, ira, & æſtu, ſeu furore, ne videantur miſericordia & juſtitia invicem pugnare. Addit, malos ſibi acervare ipſos mala, malorumque perpeſſiones. En hoc etiam: *Quid injuſtius ſcopoque creatoris minus accommodatum reperiri poteſt, quam ut innumerus creatarum rerum cœtus perpetuo ipſum odio proſequatur? Poteſtne ſuprema juſtitia approbare injuſtitiam, aut illam permittere in perpetuum ita, ut illam haud deſtruat?* Hæc & his ſimilia ediſſeruntur
43. *Epiſtola prima. Epiſtolæ ſecundæ* argumentum eodem tendit, & Origeniſmum it ſtabilitum ex ſcopo, quem Deus incarnationi ac morti Jeſu Chriſti præfixit. Autor ſic rationes ſuas ſubducit: *Jeſus humanam naturam nobilitavit, ac ſingulorum homi-*

hominum frater fuit factus. Quare haud licet ſuſpicari, ultum ex hiſce fratribus æternum eſſe periturum. Tum vero ab Pag. 45.
univerſalitate gratiæ, qua Jeſus redemit ſingulos, argumentum nectit ad univerſalem omnium mortalium, eamque perpetuam, felicitatem. Apocataſtaſin, de qua *Petrus Act. III* meminit, eodem trahit. Provocat ad illa *Pauli 1 Cor. XV, 22: Ut in Adamo omnes moriuntur, ita æque in Chriſto omnes vivi fient.* De reſurrectione univerſali eſſe ibi ſermonem, ſcopus 47.
Pauli & complexus orationis indubie oſtendit. Autor vero illum ad beatitudinem univerſorum & reſtitutionem vitæ æternæ in ſingulis hominibus trahit, cauſatus, verba *Pauli* ſequentia eodem collineare. M. *Gerhardus* nihil non horum jam protulit, & ad ravim uſque exclamavit. Nec ignoramus, quot & quanti ſcriptores in elementis doctrinæ *Gerhardi* expendendis fuerint occupati, atque quid reſponſum fuerit *Siegvolckio* & *Wilh. Peterſenio.* Sed redeundum eſt ad Autorem. Hic 52.
patrocinium cauſæ ſuæ ſibi reperiſſe videtur in loco *1 Col. I, 20,* ubi ſpes reconciliationis univerſalis videtur ſuppeditata. Favere ſibi etiam exiſtimat *Paulum Rom. XI, 32,* ubi Deus dicitur *omnium miſerturus.* Si locum intra contextum conſiderare libuerit, indicat *Paulus, Deum permiſiſſe primo gentes, deinde Judæos, ſuæ obſtinationi, qua repudiant adminicula gratiæ, veluti in ergaſtulum concluſos, ac in ſervitutem detruſos, eo eventu, ut illis omnibus miſericordiam impertiret,* primo Judæis, deinceps gentibus, ac tandem rurſus Judæis. Hæc *Paulus.* Confugit Autor poſthæc ad loca Codicis ſacri, in quibus Chriſtus *pro omnibus* dicitur *deguſtaſſe mortem,* & *factus eſſe expiationis pro peccatis univerſi mundi inſtrumentum.* Tum vero provocat ad *Phil. II, 9, 10,* ubi ſignificatur, Jeſum eo fine evectum eſſe, & nomine ſupremo ornatum, *ut in nomine ejus omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum* hominum. Poſſunt omnino & debent diaboli quoque & maligni homines Jeſum pro domino ſuo reputare. In *Rom. V, 17 ſeq.* ſibi videtur propugnaculum *Origeniſmi* inveniſſe invictum, ubi calamitas peccati *Adamitici* confertur cum gratia, a Chriſto parta, nec omnibus beatitudo ſempiterna promittitur.

tur. Obedientia, quam Chriſtus pro nobis præſtitit, vocatur *v. 18* δικαίωμα, & *v. 19* ὑπακοὴ, opponitur autem prævaricationi *Adamiticæ* παρακοῇ, ut intelligamus, Chriſtum ſatisfeciſſe legi, ut nos gratia ſatisfactionis ejus reputaremur juſti. In hiſce verſatur *Pauli* ſcopus. Præterea ibi noſtrates nihil cernunt, nihil animadvertunt. In *Epiſtola tertia Origeniſmus* novis inſtruitur argumentis. Perplacet Autori Deus, qui, delicta ſeſe puniturum in quartam uſque progeniem, aſſeveravit, promittens ſimul, ſe in mille uſque progenies miſericordiam eſſe exhibiturum. Exponit illam Dei declarationem ita, ut credat, inter durationes pœnarum, divinitus inflictarum, & inter effectus miſericordiæ, nullam dari proportionem. Nobis vero videtur Deus ſemper eſſe ſanctiſſimus, nec unquam diſcedere ab eo, quod ipſum decet. Decet vero ipſum ſtare decretis, quæ ita ferunt, ut *dies noviſſimus* locum haud faciat diei ſeriori, ſeu judicio gratiæ, poſt judicium noviſſimum exercendo. Delicta patrum certa ratione oſtendet Deus in poſteris ad quartam progeniem nunquam non ſibi diſplicere. At virtutes patrum ipſi adeo placent, ut fructus earum velit poſteris eſſe ſalubres in progeniem uſque milleſimam. Ad vitam hanc fragilem hæc ſpectant, invitamento futura, ut parentes Dei ſint amantes, ejuſque juſſa exequantur. Quis inde colliget, damnatos & cacodæmonas ex inferis aliquando in cœlum eſſe ituros? At vellicat autem *Epiſtola quarta*, qua expoſitionem *Odæ Davidicæ 107* complectitur Autor, in id intentus maximopere, ut exinde comprobet *Origenismum*. Iteravimus lectionem ejus *Pſalmi*, ac, vocatis ſub unum obtutum momentis ejus ſingulis, animadvertimus, eo declarari beneficia Dei, quæ a Judæis, ex Babylonia & terris *Cyri* reducibus, fuerint prædicata & prædicanda. Nihil inibi deprehendere licuit de reditu damnatorum ex inferis pœnis. *Epiſtolæ quintæ* argumentum verſatur in vaticiniis Prophetarum exhibendis, quæ videntur Autori favere Apocataſtatiſmo. Orditur a *Pſ. XL, 4*, ubi præceptum Dei habetur, quo Judæi jubentur haud ſecus ac gentes Meſſiæ locum dare, & æquitatem animi, Meſſia dignam, ſuſcipere. Vaticinium id ſpectat

Pag. 60.

65.

71.

ctat Judæos, quorum ruina & excidium politicum ſtatim ſubjicitur. Tum provocat Autor ad *Jeſ. XLV, 23.* Nobis videtur ibi præceptum denuo proferri de juſſis Jehovæ venerandis, obedientiaque debita proſequendis, cujus ſumma eſt: *Reverenimi Jehovam, ſanctum Iſraelis, id eſt, Meſſiam, ut inveniatis juſtitiam & robur, atque ad ipſum aggregemini; qui ſecus facient, juſſisque ejus repugnabunt, pudore ſuffundentur, & ignominiam reportabunt.* Sententia poſterior haud adeo videtur favere *Origeniſmo.* Poſthæc recipit ſeſe Autor ad *Rom. XI, 26,* atque *Paulo* hanc tribuit ſententiam: *Omnis Iſrael ſecundum carnem ſalute æterna impertietur.* Verum is ſenſus a nobis inibi nequit animadverti. Si quid judicando aſſequimur, *Paulus* exponit tres periodos gratiæ abundantis, quam Deus hominibus impertivit, 1) Judaicam, 2) non Judaicam, ſeu gentium, 3) denuo Judaicam. Cum multitudo gentium ingreſſa fuerit in regnum Meſſiæ, ἕτω πᾶς ὁ Ισραὴλ σωθήσεται, ſcilicet ἀπὸ πωρώσεως, *tunc, eoque eventu, omnis ille Iſrael,* e gratia Dei projectus, *eripietur* ex illa obtuſitate & inhabilitate conſulendi ſuæ ſaluti. Indicatur periodus adhuc futura, qua Judæi ad Evangelium amplectendum per gratiam Dei excellentiorem erunt proclives. Sed Autor pergit ad *Jeſ. IX, 2,* ubi lux dicitur ſplendere eis, qui in terra tenebroſa verſabantur, id eſt, in Galilæa, uti conſtat e *Matth. IV, 16.* Provocat deinde ad *Jeſ. XXIV, 22,* ubi nobis haud licuit *Origeniſmum* detegere. Provocat ad *Jer. XXV,* ubi Hieroſolymis, Ægyptiis, Tyro, Sidoni, gentibusque aliis, prædicitur clades, a *Nebucadnezare* inferenda. Provocat ad *Ezech. XVI, 53, 55,* ubi videtur Deus Sodomis promittere denuo gratiam. At *Sodoma* ibi denotat regnum Iſraeliticum, uti ex *inciſo 56* pateſcit. Provocat ad *Ezech. LIII,* ſeu, uti in margine legitur, *XXXV.* Sed prior locus in *Ezechiele* haud habetur; & in loco poſteriori haud leguntur ea, quæ Autor, ſatisfacturus argumento ſuo, laudat. Provocat ad *Ezech. XXXIX, 29,* ubi Deus Judæis, Babylone & aliunde reverſis, gratiam promittit, & bona Spiritus Sancti effuſe exhibenda prædicit. Provocat ad *Michæ VII, 18,* ubi Deus traditur iram haud continuo retinere. Tandem de-

Pag. 74. 76. 79. 82.

promit objectiones e penu theologico, eisque responsiones subjungit. Prima est desumta ex modo vix comprehendendo, quo blasphemis & desperatione torpentibus *Origenistæ* reparatum iri salutem docent. Respondet Autor, difficiliorem esse comprehensu systematis recepti doctrinam, quæ, mali finem fore unquam, negat. Principium malum fuisse in causa, ut præter scopum Dei opus ejus olim desciverit ab integritate,
Pag. 88. tradit. Negat tamen, id esse sempiternum, ratus, malum per sese haud existere, & Jesum venisse, ut destrueret opera diaboli, *1 Jo. III, 8*, ac per mortem suam demeret vim ei, qui potestatem mortis habet, id est, diabolo, *Ebr. II, 14*. Provocat inter hæc ad *Jes. LVII, 16*, ubi negatur, Deum perpetuo servaturum esse iram in mortales, additur vero *v. 20, 21*, impios pa-
95. cis esse expertes. Opinioni de reparanda hominum inferis addictorum salute penitus subscribit. Disjungit autem ab ea sententiam de reparandis diabolis ad beatitudinem, licet huic haud sit alienus. Largitur tamen, opinionem suam salvandis
101. æternum haud esse scitu necessariam, *Epistola sexta* contendens, doctrinam suam hominibus haud esse rationem vivendi male & licentiose, sibique persuadens, doctrinam ubique receptam esse cum securitate hominum sæpius conjunctam, utramque vero sententiam aliquid ad pœnitentiam & emendandi sese desiderium posse aliquid conferre. Videtur opinio Autoris favere exstruendo alicui igni expurgatorio. Et eam ob rationem descendit ad conditionem mentium separatarum propius
115. intuendam. Distinguit vero sententiam suam ab opinione Romanensium, qui infernum ab igni expurgatorio distinguunt. Credit, in sacro Codice nihil perspicui solidique de statu mentium separatarum legi.
128. Promissiones ac minas Dei putat esse simplices declarationes de eo, quod hominibus ex natura actionum suarum contingit; Deum ira vacare; Deum vindictæ haud
137. esse deditum; homines, qui beatitudinem haud consequi statim in morte possunt ob adhærentes quosdam nævos, in statu quodam intermedio prius purgari eluique; dari plures classes
159. animarum separatarum ac beatitudinis, quam duas. Addit, haud dari præmia Dei positiva pœnasque positivas, atque beatitu-

dini

dini cohærere ſanctitatem hominis, cui non ſolum actiones pravæ ſint remiſſæ, ſed cujus ipſe etiam fundus animæ ſit macula omni expers. Animas demortuorum exiſtimat omni corpusculo eſſe nudas. *Epiſtolam XIII* ſi quis attente legerit, is profecto haud abnuet, Autori vires haud deeſſe ornandi & ſpecioſiſſime repræſentandi ſyſtema *Origeniſmi*. *Epiſtola* ſequenti exponit corollaria virtutum, quæ ex ſyſtemate reſtitutionis ſtatusque mortuorum intermedio ipſi videntur profluere. Non eſt, Pag. 234.
quod in *Continuatione Syſtematis* hujus delibando ſimus longi, quippe quæ conſtat ex refutatione, oppoſita ſcripto alicujus Pr. Si credimus Noſtro, *Examen Origeniſmi*, quod ipſe refellere conatur, liber eſt ponderis pretiique nullius. Miramur, Noſtrum ad Antagoniſtæ ſententias nihil monuiſſe, ſecurum quaſi de re ſua bene ſolideque geſta. Progreditur deinde ad Anonymi unius alteriusque literas, ſibi oppoſitas, curatius expendendas. Redemtioni Chriſti, vicariæ ſatisfactioni, imputatæ nobis Jeſu juſtitiæ, nullus in complexu doctrinæ Autoris eſt locus. Repudiat ipſe ſyſtema ſubſtitutionis, propriam- 100.
que exigit ſatisfactionem noſtram, quaſi peccata ſemel admiſſa effectuique data per omiſſionem ſequentium poſſent pro infectis haberi, hominique vis ineſſet ſeſe reſtituendi in Dei imaginem. Ipſe largitur, Proteſtantes in doctrinæ fundamentis 53.
haud differre a Pontificiis, niſi in acceſſoriis. Quod ſane haud eſt mirandum, ſiquidem Autor libri, *La Religion eſſentielle à l'homme*, etiam libri hujus conſimilis demuo eſt Autor *pag. 89*, in quo propugnat doctrinam *Platonis* ac Judæorum, nihilque novi repræſentat. Tandem, ne quid ſcenæ deeſſet variegandæ, literis tribus Deiſtam exhibuit, ſub veri ſpecie exponentem ea, quæ Chriſtianæ civitati, & Codicis ſacri ſplendori dignitatique, quam maxime nocent. At quidni ſemel inverecundior gnaviter eſſet impudens?

JOANNIS JACOBI WEPFERI, DIVERSORUM S. R. I. Electorum & Principum, dum viveret, Archiatri, Reipubl. Scaphuſianæ Phyſici Ordinarii, Acad. Natur. Curioſ. Adjuncti, dicti Machaonis III, Obſervationes medico-

dico-practicæ de Affectibus capitis internis & externis, nunc demum publici juris redditæ, ſtudio & opera nepotum, BERNHARDINI WEPFERI, Ser. Princip. Aur. Archiatri, & GEORG. MICH. WEPFERI, M. D.

Scaphuſii, typis & impenſis Jo. Adami Ziegleri, 1727, 4.

Alph. 5 plag. 16.

Qualis quantusque *Wepferus* hic fuerit Medicus, qui non ignorant, ii, magnas omnino gratias doctiſſimis ejus nepotibus lubenter meritoque eſſe decernendas, fatebuntur, quod elegantiſſimas has Obſervationes e pulpitis tenebrisque, quibus diu velut ſepultæ jacuerunt, in publicam lucem, ad uſumque communem, laudabili conſilio revocarunt. Solitus quippe erat ipſorum avus, immortalium meritorum Vir, quicquid notatu dignum in praxi quinquaginta annorum, eaque ampliſſimâ non minus, quam feliciſſima, ſibi obvenit, mandare chartis, & in adverſaria referre. Quæ quanquam polire, redigere in ordinem, &, prout deſtinaverat, perficere, typisque commendare, negotiorum prohibitus fuit cumulo; tam recte tamen & præclare primo etiam impetu effudit omnia, ut Autorem ſuum facile prodant, aliisque, quorum intereſt, fructum non contemnendum promittant. Morbi enim hiſtoria ubivis exacte completeque enarratur. Et, quamvis de ipſa indole ejus ac cauſis non tam accurate & evidenter diſſeratur, quam quidem fuiſſet futurum, ſi ætas præſtantiſſimi Viri in noſtra incidiſſet tempora, quibus theoria medica magis adhuc culta, & ad eminentiorem perfectionis gradum perducta fuit, utplurimum tamen exquiſita & probabili analyſi illuſtratur, tota medicationis ratio copioſe atque aperte traditur, effectus medicamentorum juſto temporis ordine identidem recenſentur, nec raro aliorum Medicorum reſponſiones & conſilia de eodem morbo ſubnectuntur. Indicem harum Obſervationum, quarum 222 numerantur, dare quidem perfacile foret, ſed noſtra etiam ſententia ſupervacaneum, cum quilibet harum

harum rerum intelligens, quinam morbi ad classem affectuum capitis internorum externorumque pertineant, sine nostra etiam significatione assequatur. Quamobrem paucis tantum & generatim indicamus, maximam libri partem contusionibus, vulneribusque capitis, hydrocephalo, cephalalgiæ, cephalææ, hemicraniæ, vertigini, maniæ, melancholiæ, memoriæ vitiis, convulsionibus, catalepsi, epilepsiæ, paralysi & hemiplegiæ, reliquam vero aliis capitis, tum & singularium ejus partium, ut oculorum, aurium, narium, &c. morbis, destinari. Adversus quos graves contumacesque sæpius morbos cum variis pugnatum fuerit armis; hinc Lector multa exinde de virtutibus remediorum internorum, simpliciumque ac compositorum, quorum concinnæ non raro & egregiæ formulæ exhibentur, neque minus & externorum, ut venæsectionis, scarificationum, vesicatoriorum, fonticulorum, setaceorum, balneorum, pedilaviorum, pluriumque epithematum, & aliorum, maxime vero etiam de usu aquarum mineralium & thermarum generatim, tum nominatim acidularum Deinacensium, Ebenhusanarum, Egranarum, Fridricensium, Gæppingensium, Griesbacensium, S. Mauritii, Rippliſavienſium, Sulzbacensium, Sulzensium, Swalbacensium, vallis Petrinæ, itemque thermarum Allobrogum, Badensium, Bollensium, Bonnensium, Emsensium, Equinarum, Fabarienſium, seu Piperinarum, Ferinarum, Gyrensium, Plumbarienſium, Vallesiamarum, de Ville Comte, Watterswilensium, Wembdingensium in Bavaria, cognoscet. Ut adeo, reliquas etiam Observationes, ceterarum corporis humani partium morbos complexas, quæ, quantum nobis constat, lucem nondum viderunt publicam, eruditis Medicis gratas quam maxime & acceptas fore, prorsus confidamus.

D. GOTTWALD SCHUSTERI, REGIO-ELECTORAL. Saxon. Præfectur. Chemnitii, Augustusburgi, & Sachsenburgi, Physici, itemque Naturæ Curiosorum Academici, Commentationes, difficiliora & notatu digna quædam

quædam Themata, tam ad Medicinam, quam Jurisprudentiam, pertinentia, complexæ, ſingulari ſtudio collectæ, & in uſum utriusque fori emiſſæ.

Chemnitii, apud Jo. Chriſtoph. & Jo. Dav. Stœſſelios, 1741, 4. Alph. 1 plag. 8.

Bene de forenſi Medicina meriturus Doctiſſ. Autor, Commentationes has in publicam lucem emittere inſtituit. Agmen earum ducit *Geneſis quadrimellorum, ſive Hiſtoria rara & perquam curioſa de muliere, diebus 16 & 17 Febr. A. 1739 duplices gemellos, nempe maſculum & tres fœmellas, vivos & vitales enitente.* Fœtus iſti fuerunt perfecti, maturi, & vegeti, unius ejusdemque ferme longitudinis, ſingulisque corporis partibus rite & belle conformati, atque ultra 12 dies ſuperſtites, matre illorum poſt partum poſtremi extincta. Quatuor etiam fuerunt placentæ, quælibet mole inſignis & cruore atra, binæ quidem priores coaluiſſe viſæ, ſed ſulco, per lineam excurrente, in duas veluti partes, duplici funiculo umbilicali recipiendo inſervituras, diviſæ, tertia & quarta ſeorſim ſecuta, ut hinc, ſingulos fœtus ſingulas habuiſſe ſecundinas, merito concludatur. Data hac occaſione, Noſter exempla admodum rara embryonum ternorum quaternorumque recenſet, ac ſuperfœtationem exemplis teſtimoniisque aliorum comprobat, ac pluribus illuſtrat. Neque minus etiam varias proponit quæſtiones,
Pag. 14. ad quas probabiliter reſpondere elaborat. Harum *I* & *II* eo redit: An conceptio quatuor horum embryonum unico tan-
19. tum congreſſui, an repetitis, debeatur: ubi prius affirmat; *III* utrum fœcundatio ovulorum in ovariis, an vero in utero, demum obtigerit: ubi prius itidem Noſtro videtur; *IV* & *V* utrum lineamenta vel prima ſtamina quatuor fœtuum in uno ovulo præexſtiterint, vel an duo, tria, aut potius quatuor, ovula ad hunc partum ab ovario devoluta fuerint: quod poſterius af-
27. firmat; *VI*, *VII*, & *VIII*, utrum unum vel alterum ovulum ex ovario dextro, reliqua ex ſiniſtro, decerpta, vel an non potius hæc quatuor, aut minimum plura, ovula ex unius ejusdemque lateris ovario deturbata, & an maſculus ex ovulo ovarii dextri,

fœmellæ

fœmellæ autem ex ovulis ovarii ſiniſtri, egreſſi fuerint: ubi, maſculum ex dextro, fœmellas autem ex ſiniſtro, ovario prodiiſſe, ſibi perſuadet; *IX* an non ſitus fœtuum in utero talis exſtiterit, ut bini priores binos poſteriores tergis tetigerint: & hunc ſitum commodiſſimum fuiſſe judicat; *X* & *XI* cur duo priores partu maxime naturali, ſeu capite, gemellarum vero poſteriorum altera natibus, altera pedibus, nata fuerit, & an non ex hoc diverſo pariendi modo de ſitu fœtuum in utero certi quid colligi poſſit: ubi Noſter conjicit, pro ſitus, modo memorati, ratione binos priores infantes, capitibus globoſis nutantes, in præceps volutos eſſe, ſicque ſuperiori capitis parte verſus os uteri defixa prodiiſſe, ſed, ipſis his anterioribus excluſis, poſteriorum alteram natibus, alteram pedibus, partui magis fuiſſe appoſitam, ut ſic ex hoc etiam quadrimellorum partu, quicquid de horum geſtatione & ſitu in utero propoſuit, veritati propius accedere videatur; *XII* denique, an bigemelli longævi ſint futuri: quod probabiliter futurum eſſe, hariolatur, mox tamen ſubjungens, inde a 24 Febr. ejusdem anni intra paucorum dierum intervalla exſpiraviſſe omnes. Ad extremum objectionibus *Hanemanni*, quibus hypotheſin generationis in ovo impugnare contendit, reſpondendum putavit. Finita hac tractatione, *de ſympathica ſecundinarum in corpus, & corporis in ſecundinas, actione* diſquirit. Poſtquam enim intellexit, fœminam quandam ruſticam ex ſecundinis ſuis, poſt 15 dierum ſpatium in ædibus ſuis vario loco defoſſis, ut fama tulit, admodum ægrotaſſe, quoties autem eædem fuerint erutæ, ſe habuiſſe melius, donec tandem ex hoc morbo vita deceſſit; non dubitat, quin ejusmodi ſecundinarum defoſſio puerperis omnino noxia & periculoſa eſſe queat. Quando enim eædem in caſis & tuguriis humilibus non ſatis profunde abſconduntur, facile fit, ut ex earum cadaveroſa putredine nauſeoſæ & fermenteſcentes particulæ exhalent, quæ, reſpiratione attractæ, corporique inſinuatæ, ad morbos generandos malignos aptæ exiſtunt atque idoneæ. Neque cauſæ quidquam eſſe videt, quamobrem præterea peculiarem & conſenſualem partium corporis, aut earum rerum, quæ cum corpore

Pag. 31. 32. 33. 38.

corpore noſtro ad tempus conjunctæ fuerunt, communionem aut harmoniam ſympathicam non admittat. Ad ſympathicam vero corporis in ſecundinas, ſeu amnion, actionem progreſſus, ex qua eluceat, an ex mutatione galeæ, ut vocant, ſive amnii, de abſentis vita & morte prædicere quidquam liceat, argumentum tantum literarum Weſtphali ex *Valentini Novellis med. leg.* recitat, quibus is, illo in caſu, qui tum ipſi fuerat propoſitus, & a Noſtro hic repetitus, de morte abſentis hominis ex eo, quod amnion maduerit, nihil certi concludendum
Pag. 63. eſſe, teſtatur. Sequitur *Tromathanatologia*, ſive *Diſſertatio medico-forenſis, qua quæſtio legalis, an ex morte, inflictum vulnus ſero nimis conſequente, juſte inferri poſſit, vulnus non abſolute lethale fuiſſe, ex perverſa Art. 147 Conſt. Car. Crim. evolutione aſſerta, ſolidis rationibus & experientiæ argumentis in negativam*
65. *partem reſolvitur.* Dividit Noſter vulnus in abſolute & per acci-
67. dens lethale, nec vulnus utplurimum lethale admittit. Quanquam
69. vero terminus vulnerum lethalium varie a Medicis accipi, multum etiam de eo apud Jureconſultos diſputari, ſoler; tamen Con-
73. ſtitutio Crim. Car. non attendendos dies criticos, ſed in certitudi-
77. nem vulneris lethalis inquirendum, dierumque criticorum appli-
80. cationem ad vulnera falſam & erroneam eſſe, pronuntiat. Præterea autem quælibet vulnerum lethalium genera ratione tempo-
82. ris in tres claſſes, vel primaria capita, diſtribuit. Prima clas-
86. ſis vulnera protinus & in momento lethalia complectitur. Altera claſſis vulneribus ante nonum diem lethalibus deſtinatur.
99. In tertia claſſe vulnera poſt nonum diem lethalia continentur. Ubique ſimul ejusmodi vulnerum exempla, ſive caſus, tum a ſe,
118. tum ab aliis, obſervatos, expromit. Quamvis autem leviora interdum videantur vulnera; nihilo ſecius, aliquando ea per ſe eſſe
121. lethalia, commonſtrat, quæſtionem etiam, an tantillum extravaſati ſub cranio ſanguinis ſine noxa & futuro percuſſi periculo iterum reſolvere & diſcutere liceat, expendit. Hinc vul-
125. nera, viſceribus abdominis & thoracis, ſpinali medullæ, & vaſis ſanguiferis, inflicta, qua ratione ſerius etiam ſimpliciter evadant
130. lethalia, exponit, neque minus vulnera per accidens, ſeu aliunde profecta cauſe, ſerius lethalia edidlerit, &, quomodo quantumque

tumque capitis vulnera nocere ſoleant, & queant, enarrat, Pag. 133.
atque ex his omnibus concludit, ex morte, inflictum vulnus 137.
ſerius inſecuta, haud juſte inferri, vulnus non abſolute fuiſſe
lethale. Ad extremum ſubnectitur *Specimen Medicinæ forenſis, ſive Caſus medico-legales, quibus tum themata antecedentium materiarum nonnihil illuſtrantur, tum qui renuntiationibus & reſponſis medicis, itemque ſententiis Collegiorum Juridicorum, deciduntur.* Argumenta autem hæc excutiunt: *I* an puerulus, 145.
30 hebdomades in utero geſtatus, pro perfecto & vitali ſit habendus; *II* an puer, 13 annos natus, defloratam, in ſella ſedentem, poſſit impregnare; *III* de graviditate diſſimulata, & attentato infanticidio; *IV* de ſecundinarum malo regimine; *V* de obſtetrice puerperam non obſervante; *VI* de læſione capitis ſexto die lethali; *VII* de contuſione capitis vehementiori, & ex ea per imperitiam curantis ſecuta morte; *VIII* de quodam ex verberibus in affectum maniaco-melancholicum lapſo & demortuo; *IX* de infanticidio ex inciſione colli ſub partu; *X* de inculpato infanticidio, & adulterio commiſſo. 149. 154. 164. 169. 183. 193. 206. 211. 220.

GEORGII BERNHARDI BÜLFINGERI Elementa Phyſices. Accedunt ejusdem Meditationes mathematico-phyſicæ, in Commentariis Acad. Scient. Imper. Petropolit. obviæ, cum Diſquiſitione de Vampyris.

Lipſiæ, impenſis Richterianis, 1742, 8.
Plag. 19, cum Tabb. æn. 9.

Bibliopolæ devinctum ſeſe ſentit orbis eruditus, in edendis Ill. *Bülfingeri* Inſtitutionibus Phyſices occupato, quas Vir Celeb. pluribus ante annis publicæ indulſit Philoſophiæ ſtudioſis. Qui exemplar earum accurate deſcriptum, fidelique calamo exceptum, viderunt eruditi, illi, ubique ſe *Bülfingerum* vidiſſe, dixerunt, id eſt, diſtinctiſſime omnia, acute, & ſolide, atque ordinate, propoſita. Diſquiſitionem ingenioſiſſimam, de Vampyris inſcriptam, Cel. Autor nutu Sereniſſimi cujusdam Principis, arduas inter occupationes, inſtituit, literisque Germanice

nice commendavit, quæ exemplum præbere poteſt ſolutionis difficillimorum naturæ problematum; incautos vero monet, ne vel minima momenta in ejusmodi rebus prætermittant. Exhibet Sylloge hæc primo Inſtitutiones phyſicas, quæ conſtant prolegomenis, natura corporis, tractatione de corporibus mundi totalibus, de ſyſtemate mundi, atque inde pendentibus mundi corporum in ſe mutuis actionibus, de tellure ſpeciatim, de corporibus mundi animatis, plantis, brutis, & hominibus; deinde Appendicem de experimentis & obſervationibus meteorologicis, nominatim de baroſcopio & barometro ſpeciatim, de thermometris, de hygroſcopio, de manoſcopio, de anemometro, quod Ill. *Chriſtianus Wolfius* primus ſolusque invenit; tum Diſſertationes varias, *primam* de directione corporum gravium in vortice ſphærico, *ſecundam* de variis barometris ſenſibilioribus, & eorum nova ſpecie ac uſibus, *tertiam* de tubulis capillaribus, *quartam* de frictionibus corporum ſolidorum, *quintam* de thermometris, & eorum emendatione, *ſextam* inquirentem, an aer ſanguini, pulmones transeunti, miſceatur, *ſeptimam*que de effectu caloris vel frigoris ſubitanei in expanſionem vel contractionem vitrorum; tandem diſquiſitiones phyſicas de tubulis capillaribus, a *Jacobo Jurino* ad Academiam Petropolitanam transmiſſas, notis *Bülfingeri* ornatas, ſolutionem problematis de vi centrifuga corporis ſphærici, in vortice ſphærico gyrantis, tractationem de ſolidorum reſiſtentia, obſervationem de tracheis plantarum ex melone, & ſpecimen obſervationis de radicibus foliisque cichorii. Claudit collectionem illa de Vampyris diſquiſitio. In aditu Inſtitutionum Ill. Autor ſtatim monet, ſcientiam de rebus naturalibus ſine Matheſi perfectam haud dari, fruſtraque expertes mathematum,
Pag. 2. in phyſicis dari demonſtrationes, negare. Naturam corporis ponit cum *Leibnitio* in vi ſeu conatu mutandi ſtatum ſuum, provocatque ad experimenta hydroſtatica. Extenſio, judice hoc, conſiſtit in ſubſtantiæ nitentis & renitentis diffuſione. Tum vero reliqua corporis phænomena & attributa exponit, negans, dari phyſicam diviſionem, qua ad minimum quoddam ſeu individuum perveniatur. Cohæſionem particularum derivat 1) ex

niſu

niſu earum ad directiones contrarias æquali; 2) a plano, quo moleculæ ſe mutuo tangunt; 3) ex excluſione majoris minorisve quantitatis fluidi ambientis; 4) ex figura particularum. Pag. 10.
Diſceptationes de motus communicatione fruſtraneas eſſe, pronuntiat. Ipſe enim rem omnem ita exhibet cogitandam: *Ut extenſio materiæ per figuras, ita quoque vis ſive conatus ejus per motuum conflictum continuo modificatur, & modificationes variæ, ex conflictu corporum ortæ, in rei alicujus perſeverantis mutatione conſiſtunt.* Ad vires ſive in genere, ſive in ſpecie ad centrifugas & centripetas, eſſe provocandum, niſi in generalibus, negat. Deinde regulas motus exponit. Subjungit monitum, Theorema 85 in *Wolfii Experimentali Math. univ. T. I* valere tantum de corporum occurſu, non de concurſu. Lunæ tribuit atmoſphæram, ſed admodum mutabilem, & incolas. 12.
Suſpicatur, ſtellas comparentes periodice & diſparentes eſſe planetas, circa fixam aliquam, tanquam ſolem ſuum, latos. 28.
Stellas, monet, dari, quæ nunquam amplius viſui terricolarum ſeſe exhibent, item quæ prorſus novæ apparent. Cometas, conjicit, eſſe corpora mundo coæva, ac a ſole illuſtrari, quorum caudæ ſint congeries exhalationum, e craſſis moleculis compoſitarum. 34.
Stellas novas, quæ haud redierunt, pro fixarum cometis habendas eſſe, ſuſpicatur. 39.
Terram circa Solis axem moveri, evincit, & ad objectiones, e ſacro Codice deſumtas, reſpondet. 42.
Lunæ dari gravitationem verſus Tellurem, planetarum verſus Solem, ſatellitum adverſus planetam ſuum primarium, ſuccincte oſtendit; nec minus fluxum refluxumque maris §. 117 ex ea gravitatione exponit; eos tamen negligendos putat §. 122, qui ſtellas vel pro cauſis habere volunt, vel pro ſignis futurorum in Tellure eventuum reputant. Licet vero ex ſplendore ſtellarum, ſole excepto, nihil fere mutationum in terra oriri poſſit; ex gravitatione tamen illa in aere noſtro phænomena varia oriuntur, in quorum partem Tellus venit. Gravitatem eſſe corporis attributum, merito negat, eam potius ab actione fluidi alicujus, ejusque ſubtiliſſimi, derivandam ratus. 45.
Quæ *Carteſius* & *Hugenius* de cauſa gravitatis philoſophati fuerunt, ea refellit. Nondum ſatis conſtare exiſtimat, 49.

quomodo exhalationes ſulphureæ in nubibus accendi queant.
Pag. 65. At qui fieret illa accenſio aliter, ac particularum frictione & mutuo conflictu? Geneſin ignium lambentium ita expoſuit, ut facile ſit intellectu, quomodo hi in capitibus eorum, qui ſeriis ad Deum precibus operati ſunt, appareant nonnunquam. Fri-
73. gus arbitratur in mera caloris privatione conſiſtere. Quid vero illud ſit, quod caloris privationem infert, non penitus definit. Omnem frigefactionem corporum calidorum ex particulis nitroſis oriri, merito negat. Ventos eſſe cauſam terræ
82. motuum, oſtendit. Structuram plantarum, corporisque animalis, ſolide exponit. In pulmonibus aerem ſanguini miſceri
109. interventu humorum ſubtilium, ſciſcit. Beſtiolas ſpermaticas accurate deſcribit, negans, in ovulis fœminarum rudimenta fœtus univerſi latere. Diſſertationes, quas dudum in recenſendis *Actis Petropolitanæ Academiæ Scientiarum* indicavimus, denuo commemorare, ac nonnihil inde decerpere, ſupervacuum videtur, & ab inſtituto noſtro alienum. Paucula itaque delibabimus ex diſquiſitione, qua Vampyri fuerunt a Viro Cel. illuſtrati. Ipſe quidem præmonet, ſuſpicionibus ſeſe hic po-
258. tius agere, quam conjecturis, nec explicare rem ipſam, ſed alios ad diſquiſitiones plures, easque curatiores, ſuſcipiendas manu ducere. Quod ad effectus ſanguiſugarum inter cives ſuos attinet,
266. diſtinguit ipſe ſupplicia ac judicia divina, tentationes atque opera ſatanæ, a rerum naturalium phænomenis. Morbi Vampyrorum, quem pro peſte peditum habet, natales ſe neſcire profitetur, progreſſum metui & imaginationi tribuit, utriuſque autem ceſſationi finem mali aſſignat. Addit: *Omnibus his aut ignara aut conſcia fraudis ſuperſtitio ſuperaddit multa, ut opinio ante jam concepta ſibi conſtet. Hunc in cenſum [illegible] poſſet eſus animalis, a Vampyris enecti, terra de Vampyri ſepulchro ſumta, ejusdemque ſanguis, quibus illiti tanquam remediis uſuntur, itemque capitum amputandorum, concremandorumque corporum, mos, referri, quæ omnia facilius ex ſuperſtitione diaboliciſve tentationibus, quam legibus naturæ ordinariis, derivari poſſe putem.* Naturalibus e legibus, præcipue imaginationis, exponit multa. Maſticationem mortuorum negat.

gat. Adjungit ea, quæ in posterum circa Vampyrismum sunt observanda. Sylloge sane universa sic est comparata, ut non possit non orbi erudito arridere, plausibusque ornari.

CAPRICES D' IMAGINATION, OU LETTRES SUR DIFférens sujets d' Histoire, de Morale, de Critique, d' Histoire Naturelle, &c.

id est,

SUBITANEI IMAGINATIONIS IMPEtus, sive Epistolæ de diversis Historiæ, doctrinæ moralis, Criticæ, Historiæ naturalis, argumentis.

Amstelodami, impensis Societatis, 1741, 8.

Alph. 1 plag. 3.

Epistolis XXIII constat hic Fasciculus. *Prima* exhibet scriptoris scopum, & argumentorum summam. *Secunda* exponit judicium de libro: *Récueil de divers ecrits.* Exorditur hic Autor a desiderio felicitatis, quod valeat inter illos etiam, de quibus vulgo dicunt: *Quot capita, tot sensus.* Doloris sensum esse experimentum perfectionis facultatum nostrarum, monet. Addendum vero erat, illum esse quidem felicitatis adminiculum, at felicitatem ipsam dolore vacare. Autorem, qui scripsit librum: *Essai historique & philosophique sur le gout,* esse *Cartaut de la Vilate,* discimus. Perfectionem collocat Autor in sensionum suavitate, ac vibrationum dulcedine, quam res extra nos positæ eliciant in organis nostris. Mathematicorum sublimia theoremata putat a sese ludibrio exponi, siquidem, inde constare, sibi persuadet, dolores esse nihilo æquales, eo quod dolores, temporibus infinitis pares, infinitis conflentur ex elementis, ideoque sint congeries infinitatis dolorum infinite brevium. Subdit hisce: *Vides ex hoc exemplo, quantæ utilitatis sit Geometria sublimior ad Physices perfectionem.* Adjungit recentissimam cujusdam demonstrationem, qua doceatur modus, quo fieri possit, ut quis in duobus locis simul esse queat. Illudit porro eos, qui periodos conformant ad progressionis

Pag. 10.

13.

14.

arithmeticæ adſcendentis ſimilitudinem & exemplar. Ridet argumentum, quo, exiſtere Deum, docent Algebraiſtæ, provocantes ad comparationem, quæ intercedat inter ſenſionum jucundarum numerum infinitum, & ſenſionum ingratarum numerum perquam finitum. Pag. 19. Solide fontem *artis placendi* oſtendit, exiſtimans, eam conſiſtere in declaratione commodis alterius inſerviendi. Scientiam ſalutis ſempiternæ putat conſiſtere poſſe citra ſcientias profundas, eo quod operarii & artifices eam callere poſſint perfectiſſime, ſumma autem ingenia plerumque irreligionis ſint plena. 23. Si quid judicando aſſequimur, ea, quæ probe ſunt diſtinguenda, in hac ratiocinatione coaluerunt in unum, quod ſubitaneis imaginationis motibus vitium ſolet eſſe familiare. *Cogitationem* eam vocat *delicatam*, cujus ſenſio exhibet aliquid, a ceteris hominibus haud animadverſum. De polita vivendi ac converſandi ratione dedit prorſus egregias annotationes. 28. Eum enim vocant Galli *politioris vitæ ſtudioſum*, qui artem exercet faciendi id, quod & quantum poteſt, cum amœnitate, ut aliis oriatur oblectatio, vitio carens. Civilitas eſt vitæ politioris pars, ſed pro varietate regionum diſcrepat. Decorus autem converſandi lepos, quem Galli *politeſſe* vocant, mortalium generi univerſo congruit, trahens aliquid ex civilitate, nihil ex vitio, nihil ex adulatione, virtutibus nunquam non perfuſa. 30. *Epiſtola tertia* idem differit de Tritonibus ac Sirenibus, id eſt, marinis maribus fœminiſque. Mares ejusmodi fuiſſe deprehenſos, demonſtrat ex monumentis hiſtoricis ad annos 1187, 1619, &c. Sirenibus, quæ collo 33. ſunt prædítæ, maria haud abundant. Pleriſque haud eſſe colla, Autor commemorat. Refert deinde nonnihil de Monachis & Epiſcopis marinis, id eſt, piſcibus ſeu hominibus marinis, habitum Monachi & mitram Epiſcopalem præferentibus. 41. Negat tandem, fata pendere regionum a ſpectaculis piſcium ejusmodi rariorum. *Epiſtolam quartam Virgulæ divinatoriæ* conſecravit. 51. In ea obſervationes recenſet, e quibus intelligitur, vres dari ſitus virgulæ illius, operationibus adhibitæ; motu ipſam indicare metalla; nec tamen in manu cujusvis agitari ad ea ſignificanda. 55. *Epiſtolam quintam* tractationi, *de lapide*

lapide philoſophico ſuſceptæ, addixit. Quam vellemus, ſua experientia confirmatus, modum parandi pulveris, quo metalla reliqua in aurum transmutantur, docuiſſet! Recenſuit aliorum narrationes de experimentis, quibus transmutatio fuerit peracta. *Epiſtolæ ſextæ* argumentum in eo vertitur, ut, amicitiam a charitate haud differre, oſtendatur. Laudat ſocietatem & Muſas, conſuetudini aliorum vacantes. Vitam anachoreticam odit & averſatur; ſocialem vitam collaudat. *Epiſtola ſeptima* agit *de inflammationibus quibusdam extraordinariis*, occaſione deſumta ex eis, quæ de *Cæſenna* narravit Ill. Marchio *Scipio Maffei*. Modum, quo conſtringi & ad flammam eliciendam diſponi poteſt ſtomachus animalis, recenſet. Ingurgitatio calidiorum potuum, e. g. vini aduſti, ſæpius flammam, e ſtomacho egreſſam, produxit. *Bartholinus* refert, egenam Pariſiis fœminam per triennium ſumſiſſe loco alimenti ordinarii vinum aduſtum, ac præter opinionem aliquando inventam fuiſſe mane cum ſella ſtraminea, cui inſederit, in cineres redactam, exceptis cranio ac digitorum extremis. Omittimus alia exempla. *Epiſtola octava de depravatione guſtus* exponitur. Recenſet Autor ejus depravationis exempla, quæ ægrotantibus, gravidis, & faſtidioſis, contigerunt. Fœminis præcipue appetentiam ſabuli, cretæ, calcis vivæ, &c. gratam fuiſſe, oſtendit Autor. Infantum varia etiam exſtant documenta, in guſtu depravato collocanda. *Clemens VII* fungis adeo inhiavit, ut promiſcua eorum collectione interdixerit aliis. Quidni in rebus theologicis, philoſophicis, ac oratoriis, admittimus conſimilia exempla? Imaginatio corrupta & liquorum corporis certa diſpoſitio non ſolum inclinat guſtum oris, ſed etiam ſæpius ipſam tentat mentem. *Epiſtola nona de cornibus* agit *leporum, equorum, gallorum, hominum, ac maritorum.* De poſtremi generis cornibus facete & ingenioſe jocatur. En verba ejus paucula: *Cet accident ne fait plus aujourdhui la même impreſſion que par le paſſé. Comme il n'influe ni ſur l'honneur, ni ſur la probité, on ſeroit bien dupe de s'en chagriner. Le meilleur parti eſt ſans doute de faire ſemblant de l'ignorer, pourvu que la galanterie ne ſoit pas portée à un point de licence qu'on*

Pag. 66. 96. 99. 106. 109. 119. 122.

qu'on ne pourroit ſoufrir chez ſoi dans une etrangère ſans ſe deshonorer. Il y a des maris aſſez habiles pour tirer parti de cet accident pour leur fortune. Ils ont le talent de changer ces cor-
Pag. 123. *nes imaginaires en corne réelle d' abondance.* *Epiſtola decima* ſpectat ad recentem *editionem Operum Racini*, ad *Tragœdiam Alzire & les Sauvages*, atque ad Tragœdiæ hujus parodiam. Editor compendioſam editioni præfixit *Racini* vitam. Noſter vero negat, quod ille contendit, Dominum *Deſpreaux* controverſiam, inter Ducem *de N.* & *Racinum* poetice exortam,
125. compoſuiſſe. Origo litis erat illa præſtantiſſima vates *Deshouliéres*, quæ Epigramma Gallicum (*Sonnette*) adverſus *Phædrum Racini* pepigerat, quod *Racinus* a Duce profectum fuiſſe putabat. *Broſſettius* tradidit, litem illam poeticam a viris dignitatis primariæ eſſe ſedatam. *Epiſtola undecima* referenda eſt
167. ad ſurdos & mutos, ac ad modum docendi illos ſcientias & rationem loquendi. In tranſitu notamus, ſuperſtitem eſſe *J. G. Raphelio*, Superintendenti Luneburgicæ rei eccleſiaſticæ, filiam mutam ac ſurdam, quæ callet artem determinandi tonum chordarum clavichordii, ac illud muſice tractandi. Senſio, quam alii auribus hauriunt, ſolet ab ea ore aperto per organa capitis interiora exerceri. Intelligit eadem, quid ferat motus labiorum orisque varie inflexus ab iis, qui aliquid ipſi ſignificatum
179. eunt. *Epiſtola duodecima*, agit *de curioſis quibusdam naturæ, perquam ſingularibus.* Lapides gemmaſque miræ figurationis Autor hic aliquot deſcribit. Ex nuce & radice Jeſum cruci affixum, eumque adſpectabilem, procreviſſe, credit. Inſcribenda fuiſſet hæc Epiſtola de cruce in lapidibus, metallis, & gemmis. Potuiſſet Autor artes *Beringeri*, in crucibus formandis inſignes, adjungere, niſi invidiam effugere maluiſſet. *Epi-*
193. *ſtola tertia decima* agit *de naturæ humanæ excellentia*, lectore digniſſima. *Epiſtola quarta decima* verſatur in dijudicandis *Tragœdiis de Childerico & Pharamondo. Epiſtola quinta decima* denuo tractat *virgulam divinatoriam. Epiſtolæ ſextæ decimæ* argumentum
272. eſt *Lapis Philoſophorum. Epiſtola ſeptima decima* exhibet *hiſtoriam ingenii humani*; aut *diſquiſitionem in ſpecimina hiſtorica & philoſophica de guſtu*, id eſt, in libellum Abbatis *Cartaut de la Vilate*,

late, qui inſcribitur *Eſſais hiſtoriques & philoſophiques ſur le gout.* Ipſe ſibi perſuadet, homines in ſocietate & ad ſocieta- Pag. 275.
tem natos eſſe, affectuum vero intemperiem peperiſſe disjunctiones. Ægre fert idem, quod Abbas ille *naturam* vocavit *malam legislatricem*, quam tamen laudibus fuerat dignatus haud exiguis. Originem dignitatis regalis ac autoritatis ſacerdotum, in curiis Regum ſtabilitæ, quam Abbas ille exhibuit, Ægy- 279.
pto congruere, ab aliis regnis eſſe alienam, arbitratur. *Epiſtola octava decima* exponitur *de vanitate Aſtrologiæ judiciariæ, Phyſiognomiæ, & Chiromantiæ.* Aſtrologiam putat eſſe divinationem ex poſitu aſtrorum, qui, infante naſcente, exiſtit, de fa- 293.
tis ipſius futuris. Ni fallimur, hæc notio unicam duntaxat ſpeciem Aſtrologiæ recludit. Qui enim ex poſitu planetarum & ſolis tempeſtates prænuntiant, æque Aſtrologia utuntur. Qui norunt, corpora cœleſtia mutuis preſſionibus ſeu gravitationibus invicem eſſe fœcunda, illis Aſtrologia phyſica videbitur toleranda, ni commendanda. Aſtrologiam vulgarem ſeu genethliacam Autor ſolide ſatis deſtruxit. An vero argumentis plane novis uſus fuerit, aſſeverare haud lubet. De meteorognoſtica ne quidem meminit. Poſtulat, infantes, eodem tempore nati, ut ſint eadem præditi indole, ſi genethliacæ Aſtrologiæ ſit aliquod pretium. Ad obſervationes fruſtra provocari, contendit. Nam nunquam infantes duo naſcuntur eodem temporis locique puncto. *Ariſtotelis* regulas phyſiognomicas re- 295.
fellit. Indicia indolis, ex adſpectu, oculis, veſtitu, & riſu, deſumi ſolita, recenſet; ea tamen, obſervationibus in contrarium allatis, ad probabilitatis rejicit regiones. Locum *Job. XXXVII, 7*, Chiromantiæ negat favere. Abuſum locorum *Exod. XIII, 9, 10*, ſimul notat, ac de horoſcopo diſſerit. *Epiſtola* 318.
nona decima ſpectat ad commoda & pericula amoris, incantatio- 323.
nes ad amandum, philtra, & erotomaniam. Incantationum illarum cerimonias exequitur, eisque vim ineſſe conciliandi ſibi amorem negat, ſolideque pernegat, præeunte *Ovidio de Arte amandi Lib. II v. 99.* Hippomanes, philtrorum præcipuam 326.
partem, a Magis effictum fuiſſe, monſtrat. *Raimundum Lullum* a violento amore ſanatum fuiſſe per conſpectum mammæ,

cancro infectæ, refert. *Epiſtola vigeſima* reliquam ingenii hu-
Pag. 337. mani hiſtoriam repræſentat. Abbati, *Ciceronis* ac *Hortenſii* eloquentiam deſpicienti, *Horatium* & *Catonem* notanti, virgulam opponit cenſoriam. *Virgilii* Æneida it vindicatum ab
339. Abbate, qui ei nævos exprobraverat, nominatim ſolutionem nodi dramatici mancam, herois vitia, aſſentationem. In hiſtoria emendati theatri ſtilique Gallici eſt longior. *Nicolaum Deſpreaux* ab Abbate pro calumniatore habitum fuiſſe, perhi-
343. bet, ratus, parcius iſta viro tanto fuiſſe objicienda, aut documentis ſolidis comprobanda. Ipſi potius *Deſpreaux* vir pro-
348. bus & animo & ſcriptura videtur fuiſſe. *Epiſtola prima & vigeſima* continet *complura cogitata moralia & critica, minus copulata.* Hiſtoriam *Simſonis* putat eventis miraculo ſimilibus eſſe plenam. Veritatem religionis Chriſtianæ inniti credit autoritati librorum ſacri Codicis. Hac extra dubitationem collocata, dubia & objectiones comparationibus phyſicis mitigari poſſe, ar-
356. bitratur. Ingenia profunda raro eſſe apta converſationi, tradit. Caſui fortuito deberi originem generis humani, falſum
363. eſſe contendit, eo quod dantur veritates abſolutæ, univerſis hominibus communes, ac ſpecies animantium frugumque ſemper eædem. Ad contemtionem evitandam opus eſſe, ut aliis injiciamus metum, amorem, & obſervantiam, docet. Deiſmi
379. inſtantem finem præſagit. Eos nunc dici *Eſprits forts*, ſignificat, qui fortiter cupiditatibus noxiis reluctantur, &, præmium luctæ in vita altera dari, credunt. *Epiſtola ſecunda & vigeſima* de-
382. nuo occupata eſt in *oſtendenda transmutationis metallorum veritate* per obſervationes alienas, & in uſu pyritarum vitriolico monſtrando. *Epiſtola tertia & vigeſima* agit de Comœdiis nonnullis, inprimis ea, quæ de *filio prodigo* ſæpius acta & ſero publicata fuit, cujus nævos Autor notat haud unos. Noſtrum non eſt, plurima huic Collectioni ineſſe ſolida ornamenta & oblectamenta perquam jucunda, inficiari.

PHILOSOPHIA RECENS CONTROVERSA, complexa definitiones, theoremata, & quæſtiones, noſtra ætate in controverſiam vocatas. Acceſſit Appendix & Indices neceſſarii. Autore M. FRIDERICO CHRI-

CHRISTIANO BAUMEISTERO, Auguſti Gymnaſii Gorlicenſis Rectore.

Lipſiæ & Gorlicii, ex officina Marcheana, 1741, 8.
Alph. 1 plag. 3½.

Philoſophiam definitivam Vir Cl. A. 1735 evulgavit. Exempla libelli jam ſunt diſtracta & divendita. Qua re motus ipſe, de nova editione cœpit cogitare. Intereſt enim eorum, qui philoſophari cupiunt, accuratas noſſe definitiones. Adjecit definitionibus theſes, ex quocunque Philoſophiæ curriculo conquiſitas, ut juventuti conſuleret, & ut eis, quorum refert, argumenta Philoſophiæ *Wolfianæ* veluti in tabula præbeat perſpicienda. Collaudamus id exercitium, quo Cl. Autor alumnis theſes nudas proponit, & earum ſibi reddi demonſtrationem jubet. Qui enim ſingulis diebus unum alterumque theorema ſumunt, quod ipſi demonſtrent, ii ſibi viam muniunt ad obtinendam ſoliditatem. Theſibus ſubjecit Epiſtolas, quibus, quæ recentius in Philoſophia in utramque partem diſputata ſunt, ita pertractavit, ut, cauſa odii amoriſve procul faceſſere juſſa, oſtenderit, quid Ill. *Wolfii* peccarint amici, quid inimici, hi inprimis, qui logomachiis exſtruendis, odiisque & factionibus conflandis, toti operam navarunt ad tempus uſque divinitus prædefinitum. Addidit in calce tandem *hiſtoriam doctrinæ, recentius controverſæ, de mundo optimo,* Pag. 345.
quam ante etiam forma majori evulgaverat. Ill. *Wolfius* jam A. 1709 Philoſophiam dixit eſſe *ſcientiam poſſibilium, quatenus eſſe poſſunt, ſive cur & quomodo ſint poſſibilia.* 2.
Hanc Cl. Autor vindicatum denuo ivit. Eadem ratione idem definitiones alias quoque defendit, novaque perfudit luce. A Cel. *Hollmanni* virgula cenſoria liberat Ill. *Wolfii* definitionem, de Theologia naturali allatam. Hanc enim exiſtimat eſſe *ſcientiam eorum, quæ per Deum poſſibilia* (id eſt, eſſentiæ & attributis Dei minus repugnantia,) *intelliguntur.* Quæ enim in Phyſica, & Pſychologia, aliisque diſciplinis philoſophicis, pertractantur, ſunt quidem res *a Deo* poſſibiles, propterea quod, cur poſſibilia ſint, id habent ab intellectu divino, neutiquam vero ſunt res *per Deum* poſſibiles. Per Deum vero poſſibilia 3.

ſunt e. g. creatio, providentia, &c., atque hinc eſt, ut hæ actiones divinæ in Theologia naturali pertractentur. Cl. Autor plagiarium deprehendit novum, quem nos ipſi dudum noveramus, ſed, legum humanitatis memores, non putavimus indicandum. Pag. 54. Sed audiamus Autorem: „Prodiit ante annos „aliquot Lipſiæ *Diſſertatio de Obligatione Philoſophi ad religionem*, cujus Autor, dici vix poteſt, quam grave commiſerit „plagium. Quæ enim profert, ſunt ex *Sidelii* Diſputatione, non „ita multo ante Jenæ habita, *de Obligatione hominis ad religionem*, 89. „ deſumta, paucis tantum verbis mutatis.„ Hæc ille. Actio dicitur eſſe mutatio ſtatus, cujus ratio continetur in ſubjecto, quod eundem mutat. Crediderunt nonnulli, definitionem hanc ad actiones Dei haud quadrare. Sed quidni? Si enim Deus actionem edit, mutatio ſtatus eſt in illa re, quam agit, non in 105. ipſo Deo. Principii indiſcernibilium utilitatem Cl. Autor demonſtrat. Unicum eſſe Deum, inde ſolide perſpicitur. Somnio ſubjective conſiderato veritatem ineſſe, affirmat; ſomnio 121. objective ſumto veritatem ineſſe, negat. Definitionem obligationis generalem per connexionem motivorum cum actionibus, internæ & externæ congruentem, illuſtrat & explanat. 171. Omittimus reliqua, arbitrati, tirones Philoſophiæ hac promulſide ad ipſam pleniorem tractationem feliciter præparari, ſiquidem Cl. Autor definitionibus in controverſiam vocatis alias etiam, aliis probatas, ſubjungit.

CHRISTIANI GOTTLIBII KLUGII, S. TH. D. ET Archidiaconi Vitebergenſis, Anmerckungen über den Vorbericht und die Vorrede zu den Reinbeckiſchen Gedancken von der vernünfftigen Seele, und der Unſterblichkeit derſelben, ꝛc.

hoc eſt,

ANNOTATIONES IN PRÆCOGNITA ET PRÆfationem ad REINBECKIANA Cogitata de anima rationali, & ejus immortalitate, in quibus contra Autores, & generatim adverſus recentiorem Philoſophiam, diverſa candide monentur.

Vite-

Vitebergæ & Lipſiæ, apud Ephraimum Gottlobium Eichsteldium, 1740, 8.

Plag. 21.

Qui Philoſophiæ *Wolfianæ* haud admodum favet, & Cl. *Carpovii* antagoniſtam agit, S. Rev. Autor hoc ſcripto cœpit arietem movere in Philoſophiam ac Theologiam *Reinbeckianam*. Nobis non licet addictis eſſe parti vel uni vel alteri, ac eapropter ſincere illa, quæ Vir S. Rev. diſſeruit, proferemus. Præcognita illa e calamo B. *Reinbeckii* fuerunt profecta. Præfationem ipſe compoſuit *Reinbeckius*. Monet Cenſor, laudandos fuiſſe Pag. 2. a *Reinbeckio* ſcriptores, qui multis ante annis plene, copioſe, & adæquate, eandem peroraverint cauſam, ſiquidem Deiſtis Atheiſque ſit oſtendendum, ipſos quisquiliis, dudum repulſis ac confutatis, immorari, ac in eis exornandis ſibi placere. Notat opinionem de præexiſtentia animarum, in animalculis ſpermaticis formæ anguillaris, judice *Reinbeckio*, latentium. Recenſet eos, qui animam hominum finxerunt eſſe corpoream, nominatim *Dicæarchum*, *Democritum*, *Anaxagoram*, *Epicuræos*, *Stoſchium*, unum amicorum, qui commercium literarium de eſſentia animarum A. 1713 ediderunt, *Cowardum*, *Tolandum*, *Dodwellum*, *Petermannum*, *Hoffſteterum*, *Conradum*, & *Chriſtianum Thomaſium*, libelli de eſſentia ſpiritus Autorem. Animæ immortalitatem docuerunt ſcriptores, quos percenſet B. *Joannes Albertus Fabricius Cap. 18 Delectus argumentorum & Syllabi Scriptorum, qui veritatem religionis Chriſtianæ ſuis lucubrationibus aſſeruerunt*. Autor virgula cenſoria utitur ad mentionem *Theoph. Viandi*, *Hier. Cardani*, *Thomæ Campanellæ de Atheiſmo triumphato*, & *Antonii Rocci*, quos arbitratur immortalitatem animæ argumentis ficulnis demonſtratum iviſſe. Diſſerit de *Gregorii Thavmaturgi* Opuſculo *ad Tatianum de Anima humana*, quod *Iſaacus Voſſius* Latine reddidit, & *Caſpar Barthius* libris *Claudiani Ecdicii Mamerti de ſtatu animæ* ſubjunxit. *Gregorius* ex ſimplicitate, motu ex ſe ipſo, & ſyſtemate influxus, immortalitatem animæ colligit ac evincere laborat. Nihilo minus Autor judicat, in Opuſculo illo brevius & ſolidius contineri, quicquid boni inſit ſcripto *Reinbeckiano*. Indignatur,

17.

26.

38.

41.

Pag. 45. tur, quod *Reinbeckius* ex Diſſertatione *Jo. Andr. Planeri* epitomen tractationi ſuæ ſubdidit, monens, *Hermannum ab Elswich* in *recentioribus de anima controverſiis* hypotheſin & *Leibnitianam* & *Planerianam* ſolide refelliſſe. Suſpicatur, demonſtrationem de immortalitate animæ, quam *Spizelius* libro *de Atheiſmo eradicando* inſeruit, non a *Spenero*, ſed a *Leibnitio*,
46. profectam fuiſſe. Supplementum addit collectioni *Fabricianæ*.
54. Solide exponit de *Guil. Peraldi Summa virtutum ac vitiorum*, edita Moguntiæ A. 1618, 4, de Anonymi *Philoſophia veteri ac nova*, Pariſiis primum, ac deinde A. 1682 Noribergæ, evulgata,
58. de *Moyſis Amiraldi* libro *de Religionibus*, ubi *Cap. 7* de immortalitate animæ diſſeritur, de *Abrah. Heidani* libris *de Origine erroris Lib. IV Cap. 3*, de *Jo. Hornbeckii* libris *de convertendis*
61. *gentilibus*, &c. Subjungit porro catalogum eorum, qui de anima brutorum ſcripſerunt, ubi S. Rev. *Ribovii* Diſſertationem, *Rorario* ſubjectam, omittit. Addit eos, qui contra Commercium epiſtolare de eſſentia animæ lacertos calamosque moverunt.
67. Attingit eos, qui negarunt, materiam vi cogitandi eſſe inſtructam, ibique Ill. *Wolfium* & *C. S. Hollmannum* omittit præter alios. Scriptores, qui de ſtatu animæ ſeparatæ commentati
69. fuerunt, exhibet. *Carteſii* morem philoſophandi confert cum philoſophia Ill. *Wolfii*, &, Autori Exercitationis: *Philoſophiæ Scripturæ interpres*, adjungenda eſſe, judicat, Biblia Wertheimenſia, & Theologiam *Carpovianam*. Nollemus, hæc Autori excidiſſent! Quantum enim inſit comparationibus ejusmodi acerbi-
73. tatis, alii judicent. Judicium Autoris de Theologia *Carpoviana*, & Germanicis *Eruditorum Actis*, communi dudum plauſu exceptis, & hoc digniſſimis, repetere haud lubet. De
83. furore demonſtrativo exponit more ſuo. Judicium expromit ſuum de orationibus ſacris, a *Reinbeckio* in natali Jeſu habitis, Galliceque translatis, & Ven. *Joachimo*
87. *Langio* inſcriptis. Spiritum *Wolfianum* ſeſe extollere ſupra
93. omnia, quæ Deus & religio vocantur, intrepide pronuntiat.
95. Orat *Reinbeckium*, ut publice declaret, quis ſit Autor
96. Præfationis Gallicæ, ſeu Dedicationis, orationibus illis ſacris præ-

præfixæ. Controverſias philoſophicas Germanice ſcribi, ipſi videtur inconſultum, licet ipſe in præſens vernaculo uſus fuerit ſermone, quod a ſeſe factum tamen excuſat. Hæc ad præcognita. *Capite ſecundo* Autor ſibi luſtrandam cenſendamque ſumſit Præfationem, quæ nec ipſa *Reinbeckio* Autore gaudet. Dubitat ipſe, an homo exhorreſcat perpetuum nihil, nolitque admodum ſeſe in nihilum redire, ſiquidem, Jeſu teſtante, præſtiterat *Judam* haud naſci, quam procreatum fuiſſe, *Matth. XXVI, 24.* Immortalitatem animæ comprobaturus ex *Moſe*, provocat ad phraſin, qua dicitur *Abrahamus* patribus ſuis aggregatus, & Deus dicitur *Adamo* inſpiraſſe halitum vivum, *Gen. II, 7.* Miramur, quod ad illa *Jacobi* moribundi: *Domine, exſpecto ſalutare illud tuum*, & ad illa Dei: *Ego ſum Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi*, & illa *Moſis Devt. XXXII, 39*, provocaverit. Locum *Eccleſ. III, 18 ſeq.* ſolide exponit, ultimis ita translatis: *Quis recte perpendit animam hominis? ipſa omnino eſt, quæ in altum adſcendit; & animam belluæ? & ipſa eſt, quæ deorſum ſub terram deſcendit.* Largitur, Ill. *Wolfium* hypotheſin de harmonia præſtabilita non adhibere loco principii ſuarum doctrinarum. Eam tamen credit eſſe improbabilem, eo quod 1) pugnet cum præſidiis rationum, *Carteſianorum* animæ beſtiarum mechanicæ oppoſitarum; 2) haud explicetur per eam modus, quo corpus humanum moveatur; 3) pugnet ea cum principio rationis ſufficientis; 4) non conſentiat cum natura partium corporis humani; 5) neſciatur in ea, animane inſit corpori, nec ne; 6) eisdem difficultatibus ea ſit obnoxia, quibus premitur ſyſtema cauſarum occaſionalium; 7) haud definiatur, ad utrum automatum conformatum fuerit alterum; 8) Deus in ea implicetur peccato. Tum ad principium rationis ſufficientis progreditur, nec, illud dari, negat, addens, *Ariſtotelem* eo jam fuiſſe uſum, ac rationem ſufficientem olim appellatam fuiſſe vel nude *rationem*, vel *cauſam demonſtrativam*, de qua *Chriſtianus Donati* integram conſcripſerit Diſſertationem; eam haud fuiſſe ignoratam a *Jacobo Martini* & *Melchiore Zeiſoldo*; utrumque horum ſolidius Ill. *Wolfio* de ea ſcripſiſſe. At principium latius patet, quam

Pag. 98. 99. 103. 110. 114. 118. 133. 141. 176.

quam cauſa quæcunque, & res contingentes exiſtere nequeunt, ni extra ipſas exiſtat aliquid, ex quo cognoſcere detur,
Pag. 180. contingentia præſto eſſe. Id vocavit Ill. *Wolfius* fontem contingentium veritatum. Inde colligit Autor, a *Wolfio* rationem ſufficientem mutari in cauſam metaphyſicam. Id vero negat *Wolfius*. Autor *veritates determinatas rerum contingentium*, de quibus *Wolfius* meminit, habet pro rebus fatalibus & abſolute neceſſariis, ideoque *determinationem logicam* in nexum rerum, quarum oppoſitum eſt impoſſibile, detorquet. En conſequentiam novam! Ill. *Wolfius* rationem ædificii perfecti
183. ponit in ſcopo ædificantis domini. Inde colligit S. Rev. Autor, *Wolfio* ignotum eſſe ſenſum principii rationis ſufficientis, quaſi rebus contingentibus, e. g. mundo, ineſſe debeat ratio ſufficiens exiſtentiæ ſuæ, quod atheorum eſt dogma. Sed mentem alio avocamus, ne videamur parti alterutri favere. Diſtinxit Ill. *Wolfius* inter æternitatem mundi contingentem, quam tamen non putat exiſtere ſeu dari, & inter æternitatem fixam minusque contingentem, quam tribuit Deo, & neceſſa-
186. riam (abſolute talem) eſſe demonſtrat. Ut *Wolfio* Autor ægre faciat, hanc diſtinctionem nihili pendit, veteresque objectiones reponit. Argumentum a contingentia mundi ad Deum comprobandum ipſe deſumit, &, ab aliis eſſe adhibitum, monet. Sed ſiſtimus gradum, alieni ab eis recenſendis, quæ in Viros eruditiſſimos, Philoſophosque præſtantiſſimos, Vir S. Rev. ex-
100. promit, illud haud obliti, Autorem conſcribendo huic Opuſculo vacaſſe inter catenatos labores alios, ac inde excuſatum ſeſe voluiſſe.

M. TULLII CICERONIS LÆLIUS, SIVE DE Amicitia Dialogus ad T. Pomponium Atticum. Edidit ac præfatus eſt JO. GOTTFR. HAUPTMANN, A. M. & Ill. Ruth. Conr.

Lipſiæ, ex officina Langenhemiana, 1740, 8.

Plag. $4\frac{1}{2}$.

Cum deliberaret Doctiſſ. Editor, quid potiſſimum privatis diſcipulorum in lingua Latina ſtudiis deſtinandum eſſet, cum Epiſtolis

Epiſtolis atque *Orationibus Ciceronianis*, hic potiſſimum *Dialogus* dignus videbatur, qui proponeretur, cum utile hic cum dulci, grata quadam conjunctione, miſceretur. Non omnino ſine cauſa dolet, doctrinam morum in ſcholis plerumque ac Gymnaſiis negligi, vel certe obiter ſaltem tractari. Indeque tanto magis omnem occupandam eſſe occaſionem arbitratur, vel totam, vel ejus partem, exponendi. Præcipua illius inter capita jure referri amicitia merebitur, non caute minus incipienda, quam tenaciter ſervanda. Differunt autem amor atque amicitia gradu. Ille eſt ſtudium, ex bonis, quibus alter pollet vel gaudet, delectationem capiendi; hæc autem animorum, idem volentium, atque idem nolentium, conjunctio. Patet indidem, inſignem eſſe amicitiæ fructum, ſed nec minorem difficultatem; ab ineuntibus etiam annis omnem impendi operam debere, ut mentes quaſi concreſcant, atque ita glutinentur, ne caſus, neve tempus, temere divellere poſſit. Hinc & ſcholas vel ideo commendavit *Fabius*, atque in proverbium abiit, ſcholaſticas amicitias firmiſſimas eſſe. Sed infauſti æque ac fortunati per omnem vitam ſtatus amicitia ſcholaſtica fundamentum ponere poteſt. Hinc præſertim, cum junior ætas prona ſit ad voluptates, atque alias inprovidæ indolis illecebras, maxime omnino conducet, ut, in quo potiſſimum conſiſtat amicitia vera, quo modo etiam comparentur amici vere tales, quoque conſerventur, mature doceatur. Optatiſſimam ad id ipſum occaſionem præbebit libellus iſte; ex quo ſimul etiam nitidiſſimus ſtilus addiſcitur, præſertim ubi familiarem, qui dicitur, conſideraverimus. Improbat Clariſſ. Editor, ſi quis talem potius ex *Plauti* Comœdiis, quam ejusmodi Dialogis *Ciceronianis*, ſibi comparare voluerit. Concedendum illic haud raro fuit carmini, plebi, ſervorumve humilitati; cum hic non niſi viri graves occurrant. Atque hoc ipſum præſertim in Dialogo *de Amicitia* animadvertas, quem vel ideo *Xenophonteum* appellat *Heineccius*. Ita vero, poſt inſtitutum defenſum, ratio pariter tractationis proponitur. Duplex approbatur ſcriptorum lectio. Quidam curſim perſtringuntur; alii vero curioſius pertractantur. Dignus Noſtro videtur Dialogus iſte, qui multum legatur, diligenterque omnium animis inculcetur. Ipſe igitur libellum hunc non ſolum exponit, Grammaticæ, Criticæ, ac Rhetoricæ, ope illuſtrat,

insignioresque sententias explicat fusius, atque ad res diversas applicat, sed etiam integra in *Capita* imitationes dictitat, eademque, ad copiam Latini sermonis acquirendam, aliis plane verbis ac loquendi modis involvere docet. Id quod ansam ipsi præbet, illo de exercitio, quod utilissimum arbitratur, generatim disputandi.

M. TULLII CICERONIS PARTITIONES Oratoriæ. Edidit, ac præfatus est, JO. GOTTFR. HAUPTMANN, A. M. & Ill. Ruth. Conr.

Lipsiæ, apud hæredes Lanckisianos, 1741, 8.

Plag. 5.

Quicquid præcipiamus, breves nos esse jubet *Horatius;* sed cavendum simul erit, compendia ne dispendia fiant. Utraque regula in eloquentia singulatim locum habet. Tam ampla est, tamque difficilis, pars isthæc eruditionis, ut explicari potius, quam magis implicari, debeat. Rhetores hic tam antiquiores, quam recentiores, nonnunquam impingunt. Alii nominatim inania captare, alii humi repere, docuerunt, alii per varias circuitiones discipulos suos duxerunt. Atque eo passim labuntur nonnulli, ut omnem artem in eloquentia contemnant, & clamatores evadant ad clepsydram, non nisi populi rudioris aures titillantes, sapientioribus autem risum, vel potius misericordiam, excitantes. Mediam hic viam feliciter inveniemus, si principum Oratorum vestigiis, quam diligentissime fieri potest, insistamus. Recentior hæc ætas vix commode exhibet. Gloria nobis obsequii relicta esse videtur. Præstantissimi sunt Oratores, qui *Demostheni* ac *Ciceroni* simillimi. Hic præsertim posterior, non solum ad ipsam eloquentiam Latinam, sed & ad Rhetoricam, quod attinet, *Roscius* erit. Evolvamus tantum, ad Rhetoricam qui spectant, libros; non quidem anxium præceptionum ordinem, plena tamen quælibet optimæ frugis, reperiemus. Nimis autem amplum spatium ingrederemur, si omnes *Ciceronis*, qui huc spectant, libros fusius exponeremus. Opus erit selectu, quo maxime saltem necessaria

ſaria & convenientia percenſeantur. Hoc autem libello, *Chriſtophoro Heidmanno* teſte, nullus, ex omni numero librorum *M. Tullii*, de hac arte ſcriptus, brevior eſt atque omnibus ſimul partibus plenior, & a *Cicerone*, paulo ante obitum, cum in prædiis ſe ſuis teneret, hoc eſt, ab Oratore conſummatiſſimo, exaratus. Tacemus hìc, quibus *Jo. Sturmius*, *Melchior Junius*, atque alii, *Partitiones* cumulant, præconia. Ipſis in Academiis nonnullis cautum eſt, ne quando publicis in recitationibus negligantur. Hinc vix nominari merentur, qui, *Ciceronis* iſtum legitimum eſſe fœtum, negarunt. Sed graviora ſunt, ab aliis quæ quidem objici poſſent. Juridiciale genus utramque hic paginam facere videtur, quod tamen in ſpem futuræ oblivionis, cum forum eloquentia reliquerit, addiſcatur. Attamen una de ſpecie ad alteram facilis erit concluſio. Adhæc non tam ſterilis eſt iſte libellus, quin ſimul de aliis generibus accuratiſſimæ ibidem regulæ deprehendantur. Præterea vox viva doctoris cetera facile ſupplebit, atque etiam, alternis vicibus, recentior quidam libellus rhetoricus explicari vel conferri poterit. Inſuper non ſolum Orationibus conſignandis, ſed & eo felicius interpretandis, ejusmodi præceptiones inſerviunt. Ac demum ſtilus eſt, qui mentes alliciet, cujus quidem reſpectu, eadem veluti fidelia, duo parietes dealbantur. Tacemus reliqua argumenta, quæ ad commendationem hujus inſtituti pertinent, quæque pariter hiſtoriam *Partitionum* literariam illuſtrant.

ESSAIS DE CRITIQUE &c.
hoc eſt,
PERICULA ARTIS CRITICÆ EXERCITATÆ: I) in ſcripta Rollini; II) in Verſiones Herodoti; III) in Dictionarium geographicum & criticum Br. Martinierii.

Amſtelodami, apud Franc. Honoratum & filium, 1740, 12 maj.

Alph. 1.

Critica eſt judicium de operibus quibusdam, quorum vel contemplamur atque admiramur perfectiones, vel men-



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

Ad Nova Acta Eruditorum
quae Lipsiae publicantur Supplemente

Band 5
Leipzig 1745

Der Microfiche-Reproduktion liegt
das Original der Universitätsbibliothek
Erlangen-Nürnberg zugrunde

Signatur: Ltg. IX,88.

das aperimus. Criticum adeo definit Autor, quod vir ſit, qui tali reſpectu conſcriptiones examinet. Exceptis ſanctiſſimis literis, nullus liber eſt adeo perfectus, quin vitia nonnunquam in eo detegi queant. Qui adeo hæc vere, accurate, modeſte, demonſtrant, de perfectione laborant operum humanorum, ſuntque generi mortalium ac literis perquam ſalutares, atque illorum, quos emendant, multo potiores amici, quam adulatores iſti, qui præconiis ſuis factum magis atque imperfectionem promovere laborant. His ita ſe habentibus, credidit etiam Noſter, integrum ſibi eſſe, judicium ſuum de celeberrimorum virorum ſcriptis, his *Periculis*, quæ quidem ipſe fructum appellat feſtinantis aliquot voluminum lectionis, interponere. *Periculum primum* complectitur *tres Epiſtolas*, *Rollini* potiſſimum ſcripta emendantes. *Epiſtola prima* examinat, quæ fuerit indoles veterum Romanorum, atque inprimis *Bruti*, ſecundum loca veterum ſcriptorum, atque etiam *Titi Livii*; & quid adeo ſignificent verba illius Hiſtorici: *Cum inter omne tempus pater, vultusque & os ejus, ſpectaculo eſſet; eminente animo patrio inter publicæ pœnæ miniſterium.* Quæ quidem ad animum paternum luctantem cum ſeveritate Conſulis accommodarat *Rollinus*; Noſter autem de digna magiſtratu ſuo auſteritate accipit, quam eo potiſſimum tempore ſignificaſſet, quo caput filiis amputari juſſerit, qui conjurationem inierant de tyrannide reſtituenda. Atque, eadem data occaſione, *Guerinum* etiam & *Crevierium* refutat. Stabiliunt acutiſſimi Critici noſtri ſententiam loca ceterorum vetuſtatis Hiſtoricorum, *Dionyſii Halicarnaſſenſis*, *Virgilii*, *Plutarchi*, *Valerii Maximi*, *Flori*, ac recentiorum non pauca. *Altera Epiſtola* confirmare ſtudet, quod Cel. *Rollinus*, deſtitutus accuratiore interpretatione Gallica *Herodoti*, ſenſum hujus Hiſtorici non raro perverterit, dum verſionem Latinam fuerit ſecutus, Græcum autem contextum ſive non conſuluerit, ſive non intellexerit. Obſervatur hic ſimul, quod felicius verſatus ſit *Rollinus* in ceteris Hiſtoricis Græcis, quorum ſcilicet multo accuratiores triverit ac deſcripſerit converſiones Gallicas. Hic quidem *Ryerii* converſionis veſtigia non obſervarentur; ſed obſervarentur tamen Latinæ *Laurentii Vallæ*. Quam, ut laudabiliter alias ſcriptores

Latinos

Latinos interpretetur, eadem ſæpe fidelitate converterit. Neque vero primus ſive ſolus eſt, qui hoc ipſum animadvertit, Criticus; anteceſſores habet, habet comites. Sed non habuit ideo, cur eruditionem totius alicujus populi carperet, cujus ipſe forte pars eſt. Haud par hic pari retribuendum; præſertim cum & ſtudium alienigenas vituperandi non ſit omnibus Gallis commune, ſed multis ſaltem proprium; cumque & ibi reperiantur, qui, ſecum habitantes, haud ignorent, errare, eſſe humanum. Ceterum nollemus omnino, tot, varias inter gentes, eruditorum titulum affectantes, leviori eruditionem brachio tractare. Attamen ipſe Autor noſter *Giberto* profundam cognitionem regularum eloquentiæ, vaſtam lectionem librorum Græcorum, & præcipue antiquorum Rhetorum, ut reliquas laudes taceamus, tribuit; unde omnino patebit, haud prorſus inutilem eſſe ac ſuperficiariam eruditionem Gallorum, quanquam rari ſunt boni. Inde & nos lubenter accedimus ad ſententiam Autoris noſtri, laudabilem eſſe *Rollini* in antiqua Hiſtoria exponenda conatum; quamvis adulationi nonnihil dederint, quorum loca in Præfatione adduxit Noſter, Poetæ. Sed ad *tertiam Epiſtolam* accedimus, quæ hujus ſcriptoris nonnullas inuſitatas atque novas loquendi formulas vituperat; quarum quidem non exiguum numerum, vel in Hiſtoria antiqua, perſpicaciſſimus Criticus invenit, quasque humiles ac plebejas eſſe coarguit.

Periculum criticum ſecundum verſatur circa verſiones *Herodoti* in linguis vulgaribus; ſingulatim circa interpretationem Gallicam *Ryerii*, atque Anglicanam *Iſaaci Littleburii*; item, accidenti tractatione, antiquiſſimam Gallicam *Petri Saliati*, atque Italicam *Bojardonis*. Gallus recentior atque Anglus ſectantur contextum Latinum, ad vitium uſque ac tantum non inſignem fraudem ipſius ſenſus *Herodoti*; *Saliatus* ſæpius Græcum conſuluit, ſed ſtilus ejus nimis eſt obſoletus.

Periculum denique *tertium* reſpicit Dictionarium majus geographicum & criticum. Ubi vitia quædam ſatis enormia carpuntur; ac difficultates, ad Geographiam antiquam quod attinet, proponuntur. At ſimul etiam monetur, non eſſe unius

hominis, ad perfectionem tantum Opus omnino evehere, ad quod perficiendum vel ſecularis vitæ ſpatium requireretur. Ut autem vehementiam in ſcribendo excuſet Criticus noſter, aliorum nititur exemplo adhuc vehementiorum. Forte non exemplis hic, ſed rationibus, atque ipſius moderationis legibus, ſtandum erit. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Sed, illud ipſius naturæ principium ubivis obſervare, hoc opus, hic labor, eſt. Aliorum eſto judicium, iſtud num ſemper tenuerit literatiſſimus criticarum, quæ coram ſunt, obſervationum conditor. Nos potius inſignem ejus diligentiam atque accurationem approbatione plauſuque ſuſcipimus.

HENRICI BENEDICTI STARCKII GRAMMATICA Ebræa. Cujus Pars prima regulas atque obſervationes potiores, una cum paucis exemplis, ſeorſim ſiſtit; Pars vero ſecunda notas grammaticas, criticas, atque philologicas, cum reliqua exemplorum farragine, complectitur. Edidit ex B. Autoris ſchedis, ſua ipſius manu conſignatis, emendavit, auxit, atque integra verborum imperfectorum & accentuationis paradigmata, una cum Chaldaïſmi ſynopſi, addidit, M. CHRISTIANUS GOTTHOLD WILISCHIUS, Eccleſ. Primar. ad D. Nicolai apud Freiberg.

Lipſiæ, impenſis & literis Breitkopfianis, 1737, 8. Alph. 1 plag. 18, cum Præf. & Tab. grammat. 7.

Quantum emolumenti linguæ Ebrææ fuerit allatum, ex quo inde a Seculo XI Judæi ad ſtudium grammaticum animum adjecerunt, omnibus eſt in propatulo. Nec Chriſtiani, ubi linguæ hujus notitia ad ipſos eſt transmiſſa, ſegniores hac in parte exſtiterunt, ſed potius illos, a quibus hoc beneficio primitus erant mactati, ſagacitate ſua, induſtria, ac dexteritate, longiſſime ſuperarunt, ut hinc illius facies nitidior multum hodierno die appareat. Dici ſane vix poteſt, quanta contentione præſtantiſſimi quique viri & ſuperiore & hoc noſtro, quod vivimus, Seculo in id incubuerint, ut ſermonis Ebræi indoles accuratius declararetur, adque certas regulas

gulas revocaretur, quo ſic expeditior ad illius cognitionem via ſterneretur. Inter hos jure quodam ſuo referri meretur Cel *Starckius*, qui, quod ex eruditiſſimis ipſius ſcriptis perſpicitur, ad interiora Ebraïſmi feliciſſime penetravit. Teſtis inter alia eſt ipſius *Grammatica*, quæ quoniam multorum jamdum manibus teritur, id tantum, quod vel ex titulo longiori quisque cognoſcere poteſt, indicabimus, quid in præſenti editione præſtitum fuerit. Illam debemus curæ Viri Venerandi, *Chriſtiani Gotth. Wiliſchii*, apud Freibergenſes ſacrorum Antiſtitis meritiſſimi, qui etiam Præfationem præmiſit. In illa tum integra Grammatica *Starckiana* repetitur, tum acceſſiones aliquæ exhibentur, tum mutationes aliquæ ſunt inſtitutæ. Acceſſiones comparent tum ipſius B. *Starckii*, quæ ex exemplari, quo ipſe in prælectionibus ſuis ad finem vitæ eſt uſus, cuique multas annotationes alleverat, ſunt transſumtæ, tum Editoris, qui, quo illorum commodis velificaretur, quibus anguſta res eſt domi, accentuationis & Chaldaiſmi prima rudimenta adjecit, nonnulla magis perſpicua reddere ac illuſtrare allaboravit, verborum denique imperfectorum paradigmata plenius repræſentavit. Mutationem hanc ſuſcepit. In *priori Parte* regulas cum paucis quibusdam, iisque potioribus, obſervationibus, & exemplis pauciſſimis, ſeorſim collocavit; in *poſteriori* vero uberior regularum explicatio, & exemplorum apparatus, conſpicitur, ne illa intercíderent, quæ Doctiſſ. *Starckius* in enodandis difficilioribus ſacræ Scripturæ locis in chartam conjecerat. Quædam poſtremo, prout perſpicuitas & rerum ordo naturalis poſtulare videbatur, convenientiori loco repoſuit. Omnia in hoc Opere naturali ordine, plana ac facili via, ſunt diſpoſita, in annotationibus, itemque ſyntaxi, plurima habentur, tum ex optimis Grammaticis ac Criticis petita, tum longa meditatione ac ſcrutinio ab Autore eruta, quæ recta in adyta linguæ ſanctæ, ac oraculorum divinorum explanationem, ducunt. Subjunctus eſt Index tum formarum difficiliorum, tum locorum Scripturæ, vel fuſe, vel breviter, explicatorum. In mendarum typographicarum indiculo non omnes errores ſunt notati, ex quibus ſequentes a nobis ſunt animadverſi: סֶתֶל pro סֶמֶל *pag. 116*, מִקֵּר pro מִקֵּל *pag. 120*, בַּתְּרַחַ֫ pro בַּתְּרַחַת *pag. 120*, שו

15 pro

15 pro טו *pag. 159*, צריך pro צריך *pag. 191*, עד pro עת *pag. 367*, *Jeſ. VII*, 1, leg. *10 pag. 430*, הַתְּרִים non הַתְּרִית *pag. 463*, חכיכות pro הלוחות *pag. 517*.

JO. FRID. JUGLERI, A. M. EPISTOLA DE CONcinnando Lexico Jureconſultorum, ad AUGUSTINUM A LEYSER, Perilluſtrem Virum, & primum in Academia Vitembergenſi JCtum.

Sine loco, 1741, 4.

Plag. 2.

Autor ſcripti hujus doctiſſimus Illuſtri *Leyſero* partim ingentem, qua eum proſequitur, animi venerationem publico declarare documento ſtuduit, partim etiam aperuit conſilium de componendis, quas molitur, *omnium Jureconſultorum Vitis*. Qua quidem in re ita ſe geret, ne improvida feſtinatione numerum eorum librorum augeat, qui ad piper, & quicquid ineptis amicitur chartis, a Criticorum ſenatu condemnari ſolent. Lætabitur, ſi intra ſex, octove, annorum ſpatium Opus, juſtæ latis magnitudinis futurum, ad finem perduxerit, & interea temporis *Hiſtoriam Lipſienſis Academiæ*, cujus ſumma capita ante quadriennium *Nova Literaria Lipſienſia* retulerunt, fere ſeponet. Leges, quas in hoc *JCtorum*, ut dicit, *Lexico* ſervandas ſibi præſcripſit, ita ſe habent: Primo viram cujusque JCti pleniore, quam vulgo ſolent, penicillo depinget, &, quantum fieri poterit, ingenium illius indolemque explorabit. Neque tamen acerbo dicendi genere uretur, cinerive nonnullorum & oſſibus maculam adſperget. Pollicetur potius, ſi quis notandus, exigente id neceſſitate, ſit, facturum ſe illud duce quidem veritate, at comite ſemper modeſtia, & judicio maxime peritiorum, partiumque ſtudia averſantium. Enarrata vita, ad ſcripta ſe convertet, &, quo prodierunt ordine, illa conſtituet. Varia autem hic obſervabit. Dicet enim de pretio eorum, vel, ſi hoc definiri vix poſſit, ſingulorum plagulas recenſebit; haud obliviſcetur editionum præſtantiorum; aperiet ſæpiuſcule occaſionem, quæ hunc vel illum ingenii fœtum in lucem produxit; occupatus erit in commemorandis, quos ſcripta concitarunt nonnunquam, tumultibus, vel amicis ſaltem controverſiis; ſubjunget, ſi librorum quidam rariores fuerint, præcipua illorum capita; pervolutabit reipublicæ literariæ Annales, &, ne ignoret futurus Lector, ubi de ſcriptis nonnullis dictum ſit copioſius, ipſa diligenter loca afferet; mentio ab eo injicietur methodi atque opinionum, quas aliquis vel elegit primum ac divulgavit, vel cum paucis minimum communes habet; juſtis denique laudibus extollet eos, qui in Jurisprudentiæ partibus, fracta glacie, commodiorem poſteris viam muniverunt. Gratiſſimo animo illorum Cl. Autor humanitatem agnoſcet, qui nonnulla, de exteris præcipue JCtis, cum ipſo aliquando communicare haud dedignabuntur. Dignus eſt labor, cui acclamemus: *Feliciter.*

✲ ✲ ✲

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi V Sectio V.

VITA DEL CARDINAL LEANDRO COLLOREDO, &c. id eſt,

VITA PURPURATI ROMANI, LEANDRI COLloredi, Congregationi Oratorii Romæ olim adſcripti, literis mandata a PETRO MARIA PUCCETTI, C. R. Congregationis Deiparæ, & dedicata Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino FABIO COLLOREDO, Archiepiſcopo Luccenſi, &c.

Romæ, ex typographeo Roſati & Borgiani, 1738, 4.

Plag. 18½.

Vita hæc ita fuit conſignata, ut *Leandro Colloredo* ſuperſit ſpes dignitatis, quæ ſervos Dei aliquando ad cœlites extollit. Tractatio ipſa conſiſtit *Libris quatuor. Libro primo* enarrantur acta *Colloredi*, quæ faſtigium dignitatis Cardinalitiæ præceſſerunt. *Secundo* exponuntur ea, quæ ipſe, Purpuratis curiæ Romanæ annumeratus, geſſit memoratu digna. *Tertio* recenſentur ejus heroicæ virtutes, fides, ſpes, & fiducia in Deo, amor erga Deum, religioſus in eundem ardor, inſignis animi obſervantia erga S. Deiparam, Angelos, alioſque Sanctos, caritas in homines quoslibet, prudentia ſingularis, juſtitiæ colendæ fervor, magnanimitas, firmumque

que pectus, temperantia, demiſſi animi virtus, manſuetudo & patientia, ſeverum vitæ genus, opera precibus recitandis propria & meditatio, paupertas voluntaria, caſtitas virginalis, obedientia perfecta, & perſeverantia fere inuſitata. *Libro quarto* commemorantur ejusdem obitus, funus, & exequiæ. Additur veneratio, qua homines eum dignati fuere, ac de nonnullis dotibus ſingularibus, divinitus ipſi conceſſis, notitia
Pag. 233. exhibetur. In his dotibus referuntur aliquot prædictiones, cognitio rerum abſentium & occultarum, virtus ſa-
248. nandi infirmos. Adjicitur narratio de liquefactione & conſervatione ſanguinis, qui in corpore defuncti permanſit. Huic
251. ſubjuncta eſt formula *invocationis ad S. Philippum in hora mortis*, & meditatio, cui eſt titulus: *Devotio Dominæ noſtræ, verum ad exſtinguendam peſtem antidotum.* Editus fuit in lucem is, de quo diximus, Purpuratus Romanæ curiæ A. 1639, 19 Octobr. in caſtello Colloredo, quod ſitum eſt in amœniſſimo colle prope Forum Julii inter terras reipublicæ Venetorum. Familiam hanc colunt Bohemi, norunt Suevi, honorant Itali. Patre natus fuit Marchione *Fabio*, & matre Comite
41. *Claudia*, utriſque *Colloredis*. Purpuram obtinuit ab *Innocen-*
53. *tio XI* A. 1686. A. 1705 *Clemens XI* eum juſſit titulum a Baſilica S. *Mariæ* trans Tiberim aſſumere. Obiit A. 1710, lugentibus eccleſiæ ſuæ viris bonis.

HARDERVICUM ANTIQUUM, OFTE BESCHRYvinge der Stadt Harderwyck, &c.

id eſt,

DESCRIPTIO URBIS HARDEROVICI. PARS prima, complectens vetuſtam & externam urbis navigationisque rationem, regimen, tribus, & civitatem, ejusque jura, immunitates, & privilegia. Pars altera, continens res memorabiliores inde ab origine urbis uſque ad ætatem noſtram. Autore JOANNE SCHRASSERT, Conſiliario & a Secretis civitatis ejusdem. Editio altera.

Harde-

Harderovici, apud Guil. Lunterboſch & Guil. Brinkink, 1732, 4.
Alph. 2 plag. 6½.

Diligentiæ & accurationis plenum, de quo jam dicere aggredimur, Opus eſt. *Parte priori* exponitur de urbis nomine, fundatione, inſignibus, incolarum multitudine, literis Ducis *Arnoldi* protectoriis, de pagis adjectis, de mari, quod vocatur *Zuyder-Zee*, de portis ac plateis, de vetuſta S. *Nicolai* æde, de cœnobiis & xenodochiis ac orphanotrophiis, de deliberationum loco publico, de carceribus, de ſatrapis, de moneta, de ſchola urbis & Academia, de Collegio Conſulum & Senatorum, de poteſtate procerum civitatis per curias ſpeciales, de immunitatibus & privilegiis, nominatim uno ad *Eduardi*, Regis Angliæ, Diploma referendo, de nundinis, de jure ſtapulæ, ad piſces attinente, nec non de Comitibus, Principibus, & Gubernatoribus, qui privilegia Harderovicenſium jurejurando ſuo firmarunt. Subjiciuntur hiſce capitibus, maximi ſane momenti, carmina aliquot, quibus Harderovicum celebratur. Harderovicum Cl. Autor putat dictum eſſe quaſi *perfugium* (wijck) *opilionum* (harderen). Si quid divinando nobis aſſequi licet, oppido adhæſit nomen ex voce *wijck*, quæ ſinum maris fluviique denotat, (*weil das Land daſelbſt dem Waſſer weichet*,) & *hard*, id eſt, *proxime*, ſiquidem id proxime ſinum maris fuit fundatum. Antiquiſſimum id eſt in Velovia oppidum, ordine ſecundum, mari auſtrali Orientem verſus adjacens. *Otto*, Comes Gelriæ & Zutphaniæ, A. 1230, 3 Id. Junii, Arnhemii dedit Diploma, quo civitati *Harderewich* conceſſit *annuale forum & hebdomadale, & omnem libertatem cum integritate rerum ſuarum*, & quidem eam nominatim, *qua civitas Zutphaniæ fruebatur*, ea tamen lege, ut Comiti, eo venienti, ſuppeditaret, duabus aut tribus noctibus ibi manſuro, fœnum & ſtramen gratis. Fecit Comes indidem mentionem matris ſuæ, *Richardis*, Abbatiſſæ Ruremundenſis, Domini *Henrici de Monte*, *Frederici de Redhen*, fratris domus Teutonicorum, *Arnoldi de Dieden*, ejusque fratrum, *Friderici* & *Gerhardi*. In deſignanda Comitis hujus matre Genealogiſtæ plerumque falluntur. Nunc vero Comitem matri genuinæ reſtituere valebunt. Harderovicenſes ab

Pag. 1.

4.

hoc *Ottone* deducunt insigne urbis suæ Nassovicum, nempe leonem aureum in area cœrulea, 14 trunculis circumvallatum. Vetustius enim insigne repræsentavit *navim*. *Arnoldo*, Duci Juliacensium, Comiti Zutphaniæ & Gelriæ, iidem in acceptis referunt immunitatem a telonio aquatico, Diplomate A. 1450
Pag. 8. munitam. *Reinaldo* ad A. 1332, & huic *Ottoni*, debent Harderovicenses privilegium navigationis, licet termini ejus ob obscuritatem vocis *Kenninge* sint obscuri. Intra terminos naviga-
12. tionis jacet villa *Hierden*, A. 1331 a *Rainaldo*, Comite Gelriæ & Zutphaniæ, ad hanc appellationem traducta, nec non *Tonsel* & *Oster-Meben*. Quantis accessionibus creverit temporis successu mare australe, *Zuyder-zee* dictum, dilucide ostendit Cl.
19. Autor. Idem demonstrat, stagnum hoc haud patere communicati piscationis accolarum, licet Hollandi id malint; sed accolis illud jus esse privum, siquidem *Arnoldus* Dux Harderovicensibus jurisdictionem in mare alluens ad quinque milliaria
22. Anglica concesserit. Momentum hoc Vir Cl. copiosissime exequitur. De fossis, muris, portu, portis, templisque, non est, quod hic nonnihil repetamus. A. 1376 Episcopus Tra-
33. jectensis, patronus parochiarum S. *Nicolai* Harderovici, instituit in templo illo S. *Nicolai* quatuor Canonicos, qui simul sacerdotes parochiales essent, ut antea. *Joannes de Werneborch*, Episcopus Trajectensis, illud S. *Nicolai* templum pronuntiavit fore *ecclesiam collegiatam*, ea lege, ut rectores ecclesiæ essent simul Canonici, Episcopo & Capitulo Trajectensium subjecti. Templum S. *Mariæ*, extra oppidum situm, condi cœ-
35. ptum est A. 1415, indultu *Frederici*, Episcopi Trajectensis. *Nicolaus* Cardinalis, Legatus Episcopi Romani per Germaniam, A. 1451 jussit eos, qui sacra præibant populo in sacello S. *Mariæ*, Ecclesiasticis Canonicis S. *Nicolai* esse obnoxios tanquam Vicarios
41. seu Altaristas, illisque jurejurando fidelitatem & obedientiam polliceri. Cœnobitæ S. *Joannis in s' Heeren Loo* fuerunt olim illustribus familiis nati & Equites *Joannitici* Ordinis. Commendator ibi primus exstitit *Gerhardus Nagel* A. 1403.
46. Circa idem tempus fratres *Hieronymiani* ac *Gregoriani* in Belgio inclaruerunt, Clerici a regula immunes, adolescentibus eru-

diendis

diendis addicti; quorum fundator fuisse traditur *Gerhardus Magnus* (*de Grote*), Daventriensis, circa A. 1384. Domum fratrum Harderovicensium primordia cepisse A. 1441, Noster ostendit. A. 1572 illa fuit direpta, & fratribus suis orbata. Posthæc studiosi literarum, inspectante Oeconomo, locum habitare cœperunt, qui ibi libero domicilio & aliis privilegiis fruuntur. Pag. 47. Cœnobium Franciscanorum seu Minoritarum A. 1339 conditum fuit sumtibus *Eleonoræ* Anglicæ, *Reinaldo*, Duci Juliacensi, & marito, superstitis. Instituta horum copiose exposuit Cl. Autor. A. 1556 Cœnobium illud in Orphanotropheum fuit conversum. Pars Cœnobii *Augustiniani* virginalis S. *Agnetæ* cessit horto Academiæ botanico. Omittimus reliqua. Arci Ducali Harderovicensi Drossardi seu Satrapæ quondam præfuerunt, ad annum fere 1586 continuati. Jus numi cudendi Comes *Reinaldus* Nassovicus obtinuit A. 1282 a *Rudolpho Habsburgico*. *Adolphus Nassovicus* Cæsar permisit Comiti, ut officinam numi percutiendi Ruremonda transferre posset Arnhemium, seu Harderovicum. Dux Juliaci & Gelriæ *Wilhelmus* A. 1379 officinam illam transtulit Harderovicum. *Latina schola* Harderovicensis jam A. 1441 fuit celebris. Rector ejus *Petrus Guynellus* A. 1554 edidit *Commentarium de doctrina & arte demonstrandi*. Hanc scholam fere eversam proceres Velaviæ A. 1600 reparari decreto jusserunt, annitente inprimis *Mauritio*, Principe Nassovico. Hinc ei appellatio accessit *Gymnasii Nassovici*. Academiam Harderovicensem A. 1600 primores Velavienses instituerunt, ac labantem A. 1647 refecerunt, ornatioremque reddiderunt. Decretum fuit A. 1675, 24 April. ut ipsa desineret, Professoribus defunctis. Restituit eam Rex Angliæ *Wilhelmus*, gubernator Gelriæ hæreditarius. De Curatoribus & Professoribus Academiæ Harderovicensis succincte Autor commentatur. *Joannes Isaacus Pontanus*, A. 1638 defunctus, polygraphum ibi egit. *Georgium Hornium*, *Cornelium Tollium*, & *Hadrianum Relandum*, nemo unus ignorat. Incompertiora sunt Diplomata, quæ Cl. Autor de rebus Hanseaticis in lucem protraxit. *Waldemari* literæ, A. 1376 eo fine datæ, ut urbibus Hanseaticis paterent commercia per terras 50. 67. 69. 73. 76. 81.

Pag. 137. ſuas, ab ipſo producuntur. Ex eis ratio commercii Hanſeatici Daniei fere univerſa innoteſcit. Produxit æque Diploma
145. Regis Danorum, *Erici*, quo ipſe A. 1316 Harderovicenſibus locum in nundinis *Skanor* permiſit inhabitandum, nec non aliud, anno eodem Wordingborgi in gratiam Hardenovicenſium
149. datum. *Waldemari* Regis Diploma, quo eorundem privilegia
164. nautica confirmata ſunt A. 1326, idem exhibuit, nec minus *Eduardi*, Regis Angliæ, Diploma, Seculo XIV ineunte datum, produxit. Harderovicum A. 1229 formam urbis induiſſe, ex initio *Partis ſecundæ* intelligimus, quam, diligentiſſime quippe elaboratam, ac monumentis, paſſim inſertis, illuſtratam, prædicabunt univerſi.

TRADUCTION DU TRAITE' DE L'Orateur de Ciceron, &c.
id eſt,
INTERPRETATIO GALLICA TRACTATIONIS Ciceronianæ de Oratore, cum Notis, adornata ab Abbate COLLINO.

Pariſiis, 1737, 12 maj.

Alph. 1.

Plura exhibet elegantiſſimus hic liber, quam in rubro promittit. Interpretatio libri *Ciceroniani* dimidiam ſaltem partem conſtituit. Præfigitur Diſſertatio de auxiliis eloquentiæ acquirendæ; ſubjunguntur autem tres Diſſertationes, quæ, ex judicio Academiæ Gallicæ, pretium eloquentiæ jure meritoque reportarunt. Nihil fere non annotatione dignum hic reperitur. Præfatio, ſive Diſſertatio præfixa, tria continet membra. In primo commendatur ſtudium eloquentiæ, ſecundum præceptiones *Ariſtotelis*, *Tullii*, *Quintiliani*, præcipue inſtituendum, judicium de libris eorundem rhetoricis interponitur, ac libri *Ciceroniani de Oratore* ſiſtitur conſpectus. In *Ariſtotele* accuratio, in *Cicerone* ſuavitas atque elegantia, in *Fabio* admirabilis, quæ conjungitur præceptis eloquentiæ, morum inſtitutio, præcipuam mereri laudem videtur. Poſtremi argutias ſectantes Oratores dum vituperantur, notan-

notantur, simul inter Gallos ii, qui Epigrammata magis, quam Orationes, scribere laborant, atque adeo nobilem antiquorum simplicitatem negligunt. In altero Præfationis membro lectio atque imitatio commendantur. Conjungi quippe debent præcepta, lectio, exercitatio. Præceptiones animum illustrant ac dirigunt, atque eo nos ducunt, ut cognoscamus, in quo vel perfectio consistat orationis, vel defectus. Exercitatio regulas applicat, facilitatemque scribendi ac dicendi acquirit. Lectio sensum perficit, spititum extollit, memoriam meditationibus, numeris, expressionibus, tempore suo perquam utilibus, instruit. Ad lectionem duæ spectant observationes. Altera est, quod homines ingenio vivido ac perspicaci magis proficiant in eloquentia legendo vel audiendo excellentium atque eloquentissimorum hominum orationes, quam præceptiones rhetoricas ediscendo; altera vero, quod cavendum sit, ne voce atque actione imaginatio decepta capiatur, quodque adeo lectio magis omnino conducat, quam auditus, quia legendo accuratius quælibet repetere ac perpendere valeamus, quam audiendo. Regulæ autem, lectioni inservientes, potissimum hæ collocantur: Initio non sunt legendi nisi excellentissimi scriptores; lectio ne sit superficiaria, sed accurata potius, & cum judicio conjuncta; ne nos capiat pulchrum, quod videtur, sed quod, accuratiori examine facto, re vera manet. Membro tertio exercitationis inest ratio, sive dispositionem spectes, sive elocutionem: qua quidem occasione genera quoque causarum lustrantur. Ad dispositionem septem orationis partes requiruntur, exordium, narratio, propositio, divisio, confirmatio, refutatio, peroratio; ad elocutionem spectant puritas, perspicuitas, elegantia, electio verborum, varietas stili & conexionum, numerus, ac figuræ. Non recurrendum facile est ad locos, qui dialectici vocantur, sed meditatione propria potius standum. Quatuor autem quasi operationes ad quodvis eloquentiæ specimen requiruntur. Materia est expendenda, dividenda, comparanda, atque examinanda; literis consignandæ sunt istæ meditationes, neque ordine, neque argumentis suis, destitutæ; examinanda est isthæc orationis idea, amplificanda, emen-

emendanda; ac denique omnis oratio, ad res, ac verba quod attinet, non indulgentia patris, ſed ſeveritate judicis, caſtiganda eſt ac perficienda. Attamen & hic obſervandum, ne quid nimis. Sunt, qui, ſemper limantes conſcriptiones ſuas atque orationes, robur tandem, vigorem, & gratiam, auferunt. Ad ipſam libri *Ciceroniani* converſionem quod attinet, ſecutus eſt Noſter Oratoris ſui veſtigia, nobiliſſimorum apud Athenienſes hominum, *Aeſchinis* ac *Demoſthenis*, Orationes convertentis. *Nec converti*, ait ille, *ut interpres, ſed ut orator, ſententiis iisdem & earum formis, tanquam figuris, verbis ad noſtram conſuetudinem aptis; in quibus non verbum pro verbo neceſſe habui reddere, ſed genus omnium verborum vimque ſervavi.* Ita & eruditiſſimus *Collinus* verba & loquendi rationes, quæ unum ac idem fere deſignant, interdum elegit, ubi vocabula modosque *Ciceronis* non omnino reddere valuit. Supplevit porro verba quædam formulasque connectendi, non ſolum ut Autoris ſenſum magis expediret, ſed ut ordinem etiam & perſpicuitatem redderet majorem. Neque minus interdum ex una *Ciceronis* ſententia duas fecit, duasve contraxit in unam. In contextu autem Latino ſecutus eſt editionem *Verburgianam* anni 1724. Verſiones Gallicas conſulere non potuit, cum hæc omnium ſit hujus libelli prima. Unicuique *Capiti* limatiſſimas Notas ſubjunxit. Ex quibus ſequentia excerpſiſſe non pigebit. Differentia eſt inter Oratorem *Ciceronis* ac librum de Oratore. In hoc *Cicero* omnes partes Rhetoricæ comprehendit, & forma dialogica res ſuas proponit; in illo contra quærit ſolum, quæ ſit idea eloquentiæ perfectæ, & quæ ſint qualitates neceſſariæ ad formandum Oratorem perfectum. Premit autem veſtigia *Platonis*, hujus ad doctrinam de ideis quod attinet. Tractat Philoſophus ideas in *Parmenide*, in *Timæo*, ac *Lib. X de Republ.*; confirmat ibi, quod vera ſcientia non ſpectet res ſingulares, viſui ſubjectas, mutabiles, ac pereuntes, ſed formas materiæ expertes, immutabiles, æternas, ad quas veluti unaquæque res fuerit creata. Ita & *Cicero* non adhæret uniuscujuſque ſummi Oratoris eloquentiæ, ſed ideæ potius de eloquentia perfecta. Hac Noſter occaſione ideas *Platonis* fuſius

fuſius exponit, *Auguſtino* potiſſimum præeunte, cujus ex adjectis locis concludit, 1) ideas eſſe æternas & immutabiles; 2) eſſe exemplaria & archetypos uniuscujusque rei; 3) eſſe in intelligentia divina; 4) Deum condidiſſe res omnes ad formas iſtas æternas; 5) ideas eſſe admodum diverſas a perceptionibus, quas nos indidem habemus, non poſſe reperiri niſi in Deo, qui fons eſt illarum, qui ſpiritus omnes illuſtrat, quique ſuprema eſt atque immutabilis veritas, ac demum 6), omnes ideas noſtras peculiares non eſſe niſi perceptiones & participationes, effectas per actionem idearum divinarum in intelligentiam noſtram. Non poteſt aſſeri, quod ſibi quisquam ipſe det ideas ſuas, vel quod accipiat eas ab aliis hominibus. Ratione quippe mortalium ſunt mutabiles, incertæ, ſubjectæque erroribus. Poſſunt alii verba facere ad aliquem erudiendum, ſed hic non debet acquieſcere in eorundem doctrina, niſi quoad reperit, eorum ſermones eſſe conformes magiſtri interioris noſtri, in animo reſidentis, effato. Atque illa ratio noſtra, ſuperior quaſi omnibus aliis rationibus finitis atque imperfectis, communicat ſe omni tempore, omnibusque locis, cum omnibus quidem ſpiritibus, qui dociles eam atque attenti conſulunt. Duæ autem quaſi viæ ſunt ad alios convincendos ac perſuadendos, aperta prior, tecta poſterior. Simplex illa Philoſophorum eſt; hæc autem pondere atque ornatu gaviſa Oratorum. Philoſophica docendi ratio ordine quaſi fixo veritates proponit, perque ſingulas propoſitiones ſpiritum ducit, donec omnino ſit convictus, ipſique ſatisfactum. Non adhibet illa vocabulum aliquod obſcurum aut ambiguum, ni definitum unumquodque fuerit atque explicatum, nec principiis nititur, niſi evidentibus ac perſpicuis. Hanc ipſam ſupponit Oratoria, neque parum tamen ab illa ipſa differt. Accommodat ſe ſimul ad mores & animorum inclinationes, atque omnino præjudicatas hominum ſententias, ad quos ejusmodi verba fiunt; animi excitat motus; circuitionibus utitur, gratiis, figuris, ad animos auditorum quaſi expugnandos & capiendos. Tacemus reliquas, quas larga manu adjectas videmus, elegantiſſimas obſervationes. Attrahunt quippe ani-

mum noſtrum, quanquam jam iterum editæ, elegantiſſimæ Orationes Academiæ Gallicæ, calculum quæ communi conſenſu meruerunt. Prima confirmat, juſtitiam & veritatem firmiſſima eſſe ſolii regii fundamenta, ad ductum *Proverb. XXIX, 14.* Exordium illius originem regnorum a malitia mortalium ac depravatione derivat, Reges vicarios Dei conſtituit, atque indidem prono alveo ipſum propoſitum derivat. Ipſa tractatio, ſanctiſſimarum paſſim literarum effatis ſtabilita atque illuſtrata, laudabilem ordinem commendat, difficiles illarum virtutum in aula progreſſiones deſcribit, atque ad rem ipſam corroborandam illuſtrandamque idonea maxime colligit argumenta; neque etiam exempla, ſacra præſertim, omittit eorum Principum, qui, laudabilibus ejusmodi virtutibus deſtituti, in ſuam ſe ipſos præcipites dedere perniciem. Concluſio demum precibus fit, ad Jeſum Chriſtum directis, ſingulatim pro Rege Chriſtianiſſimo, ejusdemque feliciori imperio. Altera Oratio tractat neceſſitatem cognoſcendi religionem atque exercendi, ad ductum *Eccleſ. Cap. ult. comm. 13.* Ubi exordium ducitur a propoſitione, plauſu & conſenſu per ſe digna, hominem eſſe natum ad veritatem cognoſcendam, & ad felicitatem amplectendam. Ipſa vero confirmatio oſtendit, generalem humani generis eſſe corruptionem, neque ſufficere rationem vel ad hanc plenius perſpiciendam, vel avertendam; quippe, cum hæc potius in errores nos ducat, & in perniciem præcipitet, hinc ad divinam patefactionem confugiendum eſſe, ubi omnia, quæ ad ſalutem, quæ ad reconciliationem, pertinent, inveniamus. Atque illæ ipſæ ſunt utilitates, quas exhibet nobis ac propinat religio, dignæ prorſus, quæ accuratius perveſtigentur & cognoſcantur. Sed non ſufficit, noſſe, exercitium pariter accedat, neceſſe eſt. Id quod exacte demonſtrat Cel. Autor, atque ex Hiſtoria ſacra illuſtrat, hortatur deinceps, reprehendit, ſolatur, ac, precibus demum ad Servatorem O. M. directis, concludit. Tertiæ atque ultimæ Orationis argumentum eſt, quod nequeant Reges laudabiliter regnare, niſi officia ſua erga Deum atque alios homines probe norint, ſecundum doctrinas, quas filio *Carolus M.* dedit, ac pronepoti *Ludo-*

vicus M.

vicus M. & ſecundum verba *Davidis Pſ. II: Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.* Quod quidem pari, ac cetera, ſolliditate atque elegantia exponitur.

Probe von theologiſch-philologiſchen Anmerckungen über verſchiedene Stellen der Heil. Schrifft, ꝛc.

hoc eſt,

SPECIMEN THEOLOGICARUM ÆQUE ac philologicarum Annotationum in diverſos ſacri Codicis locos, & alias gravioris momenti cauſas, editarum ab Autore JOANNE RUDOLPHO FISCHERO, V. D. M. olim Eccleſiaſte Helveticarum coloniarum Brandenburgi, Lunaviæ, Brunsbergi, & Cagari.

Tiguri, apud Heideggerum & Socios, 1739, 8.

Alph. 1 plag. 15.

Vir Pl. Reverendus, qui Bernæ agit, ſedulique Bibliorum inveſtigatoris perſonam ſuſtinet, hoc ſpecimine in lucem edito experiri voluit, quid ſinceri veritatisque amantes & intelligentes viri de deſtinatione hac ſua ſentirent. Promulſidem hic apponit. Pleniores dapes adhuc conditas ſervat. Has quoque appoſiturum ſeſe pollicetur, ſimul ac judices id flagitaverint, candorem profeſſi. Faſciculus hic *ſex* complectitur *Partes*, ſeu *Sectiones*, Indicibus ſubjunctis concluſas. Singulis *Sectionibus* formulam Dedicationis præmiſit. Controverſias haud movet, nec attingit. Fontes laudat, librisque probatiſſimis identidem ad ſua comprobanda utitur. En ſpecimina aliquot, ex ſpeciminę decerpta! Orditur Autor Doctiſſ. ab expoſitione dicti illius *Je-* Pag. 11.
ſaiani III, 8, quod ita cum Cel. *Alberto Schultens* interpretatur: *Omnino utrinque caſum minatur Hieroſolyma, & Indæ procidit. Certe lingua ipſorum* (Judæorum), *& arduæ molitiones eorundem, ingenti conatu ſuſceptæ ac repetitæ* (מעלליהם), *tendunt contra Jehovam eo ipſo, dum acerrima obſtrigillatione ledunt uruntque oculos gloriæ ejus* (למרות עיני כבודו). Videtur

detur ipſi metaphora in voce מרה latere, deſumta a flagello in oculos & os incuſſo. *Campegius Vitringa* locum de conditione Judæorum, obſidionem *Nebucadnezarenam* antegreſſa, expoſuit. Reſpondet Autor ad argumenta ſummi poſt fata viri, ac pronuntiatum *Jeſaiæ* ad ſtatum eorum, qui præceſſit peſtremum Hieroſolymæ excidium, accommodate trahit. Per *oculos Jehovæ* intelligit *Spiritum Sanctum*, ac ſeſe munit ſeptem illis oculis, quos memorant *Zacharias IV, 10*, & *Joannes Apoc. V, 6.* Expendendam Autori relinquimus ſententiam eorum, qui *oculos Jehovæ* de *Meſſia* exponunt. Ipſe enim vocatur *oculus Iſraelis*, *facies Jehovæ*, &c. ipſique tribuuntur oculi, facibus igni-
Pag. 25. vomis ſimillimi. Autor egregie delineat ſtatum Palæſtinæ & Judæorum, excidio Hieroſolymitano proximum, funeſtiſſimum quippe, vitiisque coopertum. Accedit deinde ad illuſtrandum locum *Jer. LIII, 8*, ac ſolide monſtrat, pronuntiatum id את־דורו מי ישוחח ita reddendum eſſe: *quis genus illud hominum, quod Meſſiæ ætate Palaſtinam incolit, cogitando & enarrando aſſequetur*, nefarium quippe & flagitioſiſſimum?
39. Favent huic ſententiæ contextus orationis, voces, & conſenſus *Joannis Lightfooti* ac *Baueri*. Voci דור certe haud ineſt notio *vitæ*, ejusque *perpetuo duraturæ*. Hæc enim diſtinc-
41. tius ſignificari ſolet *Jeſ. IX, 5, LIII, 10*, &c. De gente Judaica, paulo ante poſtremum excidium peſſima, vox דור adhibetur *Deut. XXXII, 20.* Eam fore ſceleſtiſſimam ante adventum Meſſiæ inſtantem, ipſi docent Judæorum doctores in *Sotah Cap. 9 §. 1*, & in *Gemara Sanhedrin Cap. 2 §. 28*, ac in *Breſchit rabba ad Gen. XXIV, 67.* Reſpondet Autor ad objectio-
44. nes, quæ huic expoſitioni queunt opponi. Tum oſtendit, ritum מריעה, *laceratione præputii*, antiquiorem eſſe temporibus Apoſtolorum, atque *Friſchmuthi Ruſſii*que opinionem repudiat, ratus, eam ſemper circumciſioni fuiſſe adjunctam, ideoque provocans ad doctores Talmudicos, & negans, ritum פריעה oppoſitum eſſe ἐπισπασμῷ. Credit, ritum *Priah* jam a Si-
50. chemitis fuiſſe adhibitum, ob *Gen. XXXIV, 25.* Hinc rationem exquirit, cur circumciſio in diem octavam fuerit collocata & fixa; *Antonii Bynæi* verba refutans, & ad Ill. *Chriſtiani*

ſtiani Wolfii ſcita decurrens, Dei decreta ſapientiſſimis inniti rationibus, docentis. *Spencerus* & *Celſus* empæcta *Wolfio* præ- Pag. 55.
luſerunt in hoc momento. Conſenſit D. *Kirchmayerus*. Ipſe
ſic rationes ſuas putat Autor. Baptiſmum eſſe momentum reſurrectionis Jeſu, docet ex *Rom. VI, 4*, ratus, Baptiſmum eſſe
circumciſioni ſubſtitutum, ob *Rom. VI, 4-6*, & *Col. II, 11, 12*, ac 61.
Juſtini Martyris, nec non *Epiphanii*, teſtimonia. Octavam circumciſionis diem affigit ad octavam diem, qua Jeſus revixit
e mortuis, fultus conſenſu *Jo. Cocceji* & *Kirchmayeri*, inpri- 64.
mis vero *Juſtini Martyris* in *Dialogo cum Tryphone pag. 201.*
Unum reſtat, ut mos ille ſupputandi dies, & initium ſupputationis, comprobetur exemplis, e ſacro Codice depromtis. Novimus enim, diem illius reſurrectionis appellari *primum ſabbatorum*, nec adhuc producta eſſe exempla, in quibus ille vocetur octavus. Poſthæc circumciſionis origines ad *Abrahamum* 73.
revocandas oſtendit, ac *Spenceri* argumenta, qui eas ab Ægyptiis deduxit, refellit. Locum *Jer. IX, 25, 26*, ſolide exponit, 76.
& adverſus *Spencerum* vindicat, credens cum *Campegio Vitringa*, קצוצי פאה eſſe Arabas, qui capillitium in orbem circa caput æquabiliter in honorem ſolis totonderint. Addere hæc nobis liceat, voci פאה ſubeſſe ſignificatum *lineæ*, *quæ limitem conſtituit*, ac vocem קצץ notare *truncationem in partibus extremis*. Unde videtur conſequi, eos ſignificari, quorum limes regionis imminutus, & ad anguſtiora redactus eſt. Videntur deſignati eſſe Hagaræi, quorum limites a Gaditis, Rubenitis, & Menaſſitis, fuerant in arctiora coerciti, *1 Chron. V, 10 ſeq.* *Sanchoniathonis* hiſtoriam Autor reputat pro genuina. 83.
Præputium vocari *probrum Ægypti Joſ. V, 9*, probabiliſſime
contendit. *Spencerum* non ſerio egiſſe, ſed luſiſſe, & aliis il- 106.
luſiſſe, in originibus rituum ſacrorum definiendis, ſibi perſuadet. Hinc progreditur ad locum *Jeſaiæ XXIV, 5*, ubi de Judæis traditur: חפרו ברית עולם, ratus, Judæos repre- 111.
hendi, qui, regnante *Antiocho Epiphane* & urgente, fœdus 171.
circumciſionis migraverint ac dereliquerint, ob *Macc. I, 16, 51.*
Circumciſio certe fuit ſignum fœderis periodici, cujus exitus
ac finis hominem latuit, *Gen. XVII, 13*, *Exod. XXXI, 16*, *Levit.*

XXIV, 8, &c. Conjectat cum *Stephano le Moyne*, pudendorum conſecrationem, inter gentes varias adhibitam, proflu-
Pag. 113. xiſſe ex ritu circumciſionis. Tum deflectit ad locum difficillimum *Jeſ. LXV, 20*, illuſtrandum. Ponit ipſe, inibi mentionem fieri de ſtatu regni gratiæ poſtremo. *Hobeiſelii* ſententiam, qui, regnum gloriæ indidem deſignari per allegoriam, ſibi perſuaſerat, impugnans. Credit potius, feliciora Chiliaſmi ſubtilioris fata ibi promitti, ac Judæis, ad Chriſtum magnam partem tunc deductis, inſtare poſſeſſionem Palæſtinæ. Ni apud *Jeſaiam* vaticinia accurate ſeparentur, ac diligentiſſime in initia vaticinii cujusque novi inquiratur, expoſitiones probabiliſſimæ haud invenientur. Pl. Rèv. Autor deinde naturam Chiliaſmi, a *Coccejo* & *Vitringa* approbati, exponit, & ab ea omnem inconvenientiæ ſuſpicionem removet. Chiliaſmum Cerinthi ac Judaicum repudiat. Ex verbis: *Peccator, centum annos natus*, ac identidem emendationem ſui differens, *beneficiis Dei privabi-*
127. *tur*, colligit, pœnitentiam ſeram vix eſſe ſalutarem. Omittimus reliqua, feſtinantes ad Autoris *Abrahamum*, qui *diem il-*
132. *lum Jeſu* vidit, ac ideo lætitia exiluit, *Jo. VIII, 56. Lampii* opinionem averſabatur ipſe olim, quam tamen poſthæc propugnavit. *Heumannianas* objectiones amoliri ſtudet. Tandem vero ſententiam Cel. *Heumanni* cum opinione *Lampiana* conjungit. Id certe inficiari haud licet, *diem Meſſiæ* eſſe natalem ejus, idque, quod inde ad excidium Hieroſolymitanum decucurrit, tempus. Adde, quod *Abrahamus* dicitur non *videre*, ſed *vidiſſe, diem* Chriſti, lætitiæ quippe argumentum. Vidit *Abrahamus virum Jehovam Gen. XVIII, 1, 2, 14, 18*, accepit ex ejus ore promiſſionem peramplam, eamque & incarnationis Meſſiæ ex ejus progenie indicem, & progenei per Meſſiam beandæ teſtem, *v. 18, 19*. Redimus nunc ad Autorem, qui inter hæc cœpit Eccleſiæ Bargenſi præeſſe doctrina, & exemplo prælucere
151. virtutum. Expromit ipſe cogitata ſua de modo, quo e conſcientiis prægravatis confeſſio peccatorum ſalutaris per eccleſiaſten elici poſſit. Quo minus homines, mentibus prægravatis præditi, eccleſiaſtæ ſtimulos peccati gravioris, olim admiſſi, aperiant, impedimento eſſe ſolet moroſitas & infrequentia adi-

tus

tus eccleſiaſtarum, candoris in eis ac taciturnitatis defectus, inprimis metus vilipendii ac probri. Differit de ſigillo confeſſionis Autor ex eccleſiæ primæ Chriſtianæ uſu, additque ſummam Edicti, a Rege Boruſſorum glorioſiſſimo A. 1718 promulgati, ac Conſtitutionem pagi Bernenſis, A. 1675 editam, ad hos corymbos referendam. Monet ſalubriter, uxoribus eccleſiaſtarum abdenda haud eſſe prodenda, conſtitutionibus magiſtratuum illud confeſſionis ſigillum eſſe firmandum, & eccleſiaſtarum eſſe, munus graviſſimum, ipſis demandatum, ſolicite obire, ac eo ſanctis cum horroribus fungi. Diſquirit poſthæc rationes, cur Jeſus e ſynagogis Judaicis per proſcriptionem publicam haud fuerit unquam ejectus. Acquieſcit vero in eo, quod Jeſus, quo minus Judæi eo uſque ſævierint, omnipotenti ſua vi providerit. Hinc ad ſcopum *Pauli*, in *Epiſtola ad Galatas* latentem, ſeſe accingit eruendum. Evangelico-Lutheranos appellat *fratres* ex animo, ac Cel. *Jæchero*, fraternitati illi minus faventi, iniquiorem ſe præbere haud veretur. Scopum illum collocat in diſſuadendo Chriſtianis Syncretiſmo cum Judæis, qui, plus œconomiæ *Moſaicæ*, quam reformatori Jeſu, dandum eſſe, profitebantur. Inveſtigat deinceps fontes depravati *operis operati*, in ipſa Proteſtantium Eccleſia paſſim gliſcentis. Adjungit mantiſſam de cauſa multiplicium ac magnarum tempeſtatum, quæ A. 1733 Helvetiam præcipue afflixerunt. Tum vero vindicias exhibet inſtantis vel futuræ Judæorum univerſalis ad Jeſum aggregationis ex *Rom. XI* adverſus *τὸν παῖνν Joannem Chriſtophorum Wolfium*. Ediſſerit Edicta Regum Boruſſicorum de precibus Judæorum, quæ inchoantur a voce *Alenu*. Converſionem Judæorum ad Chriſtum, ſucceſſu tractuque temporis in dies peragendam, largiuntur Theologi omnes. Noſter eis accedit, qui, numeroſam inſtare ante diem orbis ultimum Judæorum converſionem, eamque pæne univerſalem, tradunt. Defendit gratiam Dei particularem, largiendam ei, ſi exuberantem deſignet. Qui, abjecto partium ſtudio, comparant utramque hypotheſin ad illud *Rom. Caput*, levi negotio comprehendent, ab utra ſtet veritas, & utra ſit excellentior, regnoque Chriſti accommodatior. Nollemus, ſi quid

Pag. 174. 170. 197. 219. 221. 228. 245. 249. 269.

expetere

Pag 304. expetere licet, res hæc in controverſiam fuiſſet vocata. In loco *Luc. XVI, 28*, indicari illuſtriorem Judæorum ad Jeſum aggregationem, videtur paulo obſcurius, ni ſeptem periodos *Coccejanas* admiſeris. Credit Noſter, Judæos reſipiſcentes tandem maxima ex parte in Cananæam redituros, ob *Deut.*
308. *XXXII, 43, Jer. XXXI, 23, 24, Ezech. XXXVI, 24, 33, 35, XXXVII, 25, 26, Amos IX, 14, 15.* Stupet ad Cl. *Schættgenii* ſententiam, ad *Matth. XI 13*, propoſitam in *Horis*, eamque jugu-
313. lare contendit. Expoſitionem exhibet *Captis Ezech. XXXVII.*
341. Inquirit Autor poſthæc, an vaticinium, *Ezech. XXXVI* perſcriptum, jam fuerit impletum; id quod inficiatur, ratus, illuſtrem Judæorum, eamque ſperandam, ad Jeſum aggregationem ibi ſimul ſignificari. An in Verbis *Ezech. XXXVI, 26, hyſterologia* lateat, quærit, & negantem amplectitur ſenten-
350. tiam. De emphaſi loquentis perſonæ primæ in *Ezech. XXXVI, 22-37*, differit deinde, idem argumentum pertractans. Septem
362. diebus feſti tabernaculorum indicari putat ſeptem periodos Chriſtocratiæ. Cel. *Heumannum, Capelli* cauſam adverſus *Buxtorfianos* tuitum, faſtidit, ac refellere ſtudet. Exponit diffe-
365. rentiam vocum, *Ezechieli* tritarum *Cap. XXXVI v. 27*, תורות משפטים חקים. Logicam naturalem renatorum præ-
386. fert Logicæ artificiali irregenitorum. In loco *1 Tim. I, 18*, putat deſignari *Paulum*, ultimæ Judæorum, ejusque illuſtrioris, converſionis ad Jeſum exemplar & typum, *Venemæ* ex-
394. plicatione adductus. *Paulus* enim emendationem ſui vocat ibi ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπὶ Χριστῷ εἰς ζωὴν αἰώ-
401. νιον. Voci μέλλειν, *Vigerum* ſecutus, ſtatuit ineſſe voluntatem deſiderii plenam & votum anxium. *Werenfelſio* & Cel.
410. *G. A. Heumanno, Coccejanorum* opinionibus minus amico, minatur ſcriptum quoddam antitheticum. Tandem accingit ſeſe ad *Deut. XXIX, 18*, exponendum congruenter Cel. *Schultenſio*, hunc quidem in modum: *propterea quod conſumitur irriguus cum ſitiente, id eſt, juſtus æque ac injuſtus perit, & ad nihilum redigitur.* Atheorum cantilena hæc eſt, quam merito refellit Noſter. Digna eſt hæc annotatio, quæ diligenter expendatur, ut pateſcat, *Moſen* in Epicuræiſmo evellendo ibi deſu-

dare.

dare. Hinc oſtendit, quomodo exponendus ſit locus *Jeſaiæ* Pag. 479.
XI, 3, & qua ratione hoc *Caput* cum priori ſit copulandum.
Porro tranſit ad locum *Thren. I, 12*, enodandum, Cel. *Schul-* 486.
tenſii ſententiæ innixus. Addit R. *Iſ. Abarbanelis* cogitata de
Iſraelitarum piaculis ex ejus Præfatione ad *Leviticum*, quæ fa-
vent opinioni Judaicæ de merito operum. Subjunxit ſuam 513.
hiſce prælectionem literariam, habitam ſpeciminis loco pro ca-
thedra Eloquentiæ & Hiſtoriarum Bernenſi rite conſequenda,
ad inſcriptionem Wettingenſem: *Deæ Iſidi templum a ſolo L.
Anuſius Magianus de ſuo poſuit vir Aquenſis. B. ad cujus templi
ornumenta Alpinia Alpinula conjunx et Peregrina filia - - X. C.
dederunt L. D. D. Vicanorum.* In annotationibus ediſſerit hi- 538.
ſtoriam diſceſſus ſui ex terris Brandeburgicis in Helvetiam. Ad-
didit Conſtitutiones Tigurinorum & Bernenſium, quantum at-
tinet ad candidatos, miniſterii eccleſiaſtici cauſa exſpectantes,
re ipſa conſecratos, ſeu ordinatos. In calce Opuſculi apparet
Nicolai Brumeri Epiſtola ad Autorem de typica *Pauli* conver-
ſione, teſte illuſtrioris Judæorum ad doctrinam Jeſu evocando-
rum converſionis. Claudit illud index tractationum & materia-
rum, additionum aliquot mantiſſa, & ſphalmatum emendatio.
Controverſias haud omnes procul eſſe habitas ab hoc ſpecimine,
oſtendimus. Spes illuſtrioris Judæorum converſionis utramque
fere hic facit paginam. Magnificus ac S. Venerandus *Marpergerus*
noſter ampliſſimis juſtisque elogiis ubique condecoratur. In una
pagina ſæpius tria leguntur ſcripta, aliud infra aliud collocata. *Coc-
cejanorum* adverſarii paſſim vapulant. Cel. *Schultenſii* ſententiis
vela ſubmittuntur. *Heumanno*, *Schættgenio*, & *Jœchero*, Viris
Celeberrimis, dica paſſim impingitur. Multa momenta præ-
ſtantiſſima hic ſolide ediſſeruntur. Noſtrum eſt, ſpeciminis
uberiorem meſſem exſpectare, & Autori præſtantiſſimo ea, quæ
pacem, concordiam, & ſoliditatem, atque mentium emenda-
tionem, ſpectant, ex animo gratulari.

Unverwerffliche Spuren von der alten Davidiſchen Singkunſt, ꝛc.

hoc eſt,

VESTIGIA VETERIS MUSICÆ DAVIDICÆ minus rejicienda, ſecundum voces ſuas diſtincte diverſas, tonos, notas, moderationem ordinis, ſeu numeros, & repetitiones, exemplo uno, ſpeciminis loco, demonſtrata, una cum diſquiſitione Dialogorum muſicorum, & iſagoge ſolida ad accuratam Pſalmorum diviſionem, deſcripta a M. JOANNE CHRISTOPHORO SPEIDEL, Superintendente ac Eccleſiaſte Waiblingenſium.

Sturgardiæ, apud Metzlerum & Erhardtum, 1740, 4. Plag. 6½.

Edidit Pl. Rev. Autor jam *Horologium Schickardi*, annotationibus illuſtratum, & libellos alios. In præſens ſeſe ad rem difficillimam accinxit eruendam, notitiæque reſtituendam. Perierunt enim notæ Ebræorum muſicæ, ſi *Suidæ* fides, *Arcadio* imperante. Notas Græcorum & Latinorum muſicas quondam conſtitiſſe e literis quibusdam Græcis, quæ vocibus odæ fuerunt ſuperſcriptæ, proxime Cel. *Harenbergius* docebit. Ex inſtituto Phœnicum ultimo hunc defluxiſſe morem, fit veroſimile. Accentus Ebræorum metricos & vocales huic ſcopo inſerviiſſe quondam, Autor conjectat, addens, accentus proſaicos ob ſententias, & modulationem lectoris, determinandas fuiſſe adjectas. Orientales certe lectionem copulant modulationi in hanc uſque diem. In Odis *Davidicis* modo univerſos cantores, modo hunc & illum ſolum, cantaſſe, variasque inde cantantium viciſſitudines prodiiſſe, jam *Dorſchæus Pent. Diſp. II §. 4 pag. 70* ſuſpicatus fuit ex meditatione *Pſalmi ſecundi*. Exemplis variorum *Pſalmorum* idem confirmavit Autor, adeo, ut dubitationi vix ſuperſit locus. Vocalium differentias inſerviiſſe deſignandis tonorum differentiis, conjicit, & ſchema hujus opinionis in calce Opuſculi exhibet. Dialogi hymnici certe indicant cantores viciſſim ſolosque canentes. Ubi unus loquitur in Odis, veriſimile eſt, quendam ceciniſſe ſolum. Ubi

plures

plures inducantur loquentes, ibi plures ceciniſſe idem ſunt exiſtimandi. Perſonarum loquentium diverſitas & oppoſitio in Odis indubie deſignat choros oppoſitos, vel unum alterumque per ſucceſſiones ſolum cantantem. Autor exhibuit eam diverſitatem per ſingulos & univerſos *Pſalmos Davidicos*. De inſtrumentis muſicis dedit paucula, curatius poſthæc ediſſerenda. Pag. 37. De notis Ebræorum muſicis pronuntiandum videtur ex analogia moris Græcorum & primæ eccleſiæ Chriſtianæ. Reſtant enim Hymni *Davidici* ex Seculo nono, notis muſicis vetuſtis inſigniti, quæ lineis ſunt ſuperſcriptæ. Reſtant præterea nonnulla, huc referenda, apud *Ptolemæum*. Hinc conjectura Autoris ad magnum evehitur probabilitatis gradum. Expendendum eſt Pl. Rev. Autori, an accentus metrici profluxerint ex literis Samaritanis, ſeu Phœniciis, Græcarum matribus. Si literas numorum & MSctorum Græcorum vetuſtiſſimorum contulerit cum figuris accentuum metricorum, ipſe facile ex convenientia vel diſconvenientia judicabit, vocaleſne ſolæ, an ſimul conſonantes, ſeu hæ ſolæ, ſuſtinuerint apud Ebræos vicem notarum muſicarum.

IL PRIVILEGIO DELL' ESENZIONE ED IMMEDIATA Soggezione alla S. Sede Apoſtolica, &c.

id eſt,

PRIVILEGIUM EXEMTIONIS ET IMMEDIATæ ſubjectionis ſub Sede Apoſtolica, quo gaudent Monachi Benedictini Mouaſterii S. Roſaliæ intra urbem Siciliæ Panormum, oppoſitum abuſui Parochorum ad S. Joannis Tartarorum, contendentium inibi Sacramentum extremæ unctionis adminiſtrare, adſpergere ipſorum cadavera, ac quartam funeralem vi injecta requirere. Tractatio apologetica Sacerdotis ac Theologiæ Doctoris JOSEPHI DI MICELI, Panormitani, Protonotarii Apoſtolici, & Confeſſoris ejusdem Cœnobii ordinarii, inſcripta CLEMENTI XI.

Romæ, ex typographeo Bernabi, 1718, 4.
Plag. 14.

Ii, qui animarum curam agunt, Paſtores Panormitani noluerant ſibi eripi homines Cœnobii S. *Roſaliæ*, licet *Urbanus VIII* hos privilegio quodam ab illorum ſolicitudine voluiſſet ſecretos & exemtos, ac ipſe Pontifex *Clemens XI* idem privilegium confirmaſſet. Expoſuit itaque Rev. Autor cauſam & jura Cœnobii ſui *Clementi XI*, ac adeo omnia ſcita & pronuntiata ſua ſanctionibus Pontificiis, ſacrarum Congregationum decretis, celebriorumque doctorum, qui ſolidis rationibus fuerant uſi, monumentis, firmavit, ut non ſolum cauſam pro juribus Monaſterii S. *Roſaliæ* contra Parochos tuendis dixerit, ſed etiam privilegia cunctorum Monaſteriorum regularium ſolidiſſimis muniverit argumentis, Cœnomumque Profeſſoribus opem ſuam reddiderit profuturam & ſalubrem. Pæne omiſiſſemus de hoc Opuſculo dicere, niſi Anonymus illud ſcripto, A. 1719 Romæ evulgato, refellere, ac ipſe Ven. *Joſephus de Miceli*, nunc Abbas S. *Dominicæ* Montis Dei, id ipſum A. 1742 Apologia nova, Patavii edita, confutare, ſtuduiſſet. *Capitibus XIII* tractatio, de privilegio exemtionis *Roſalianæ* conſcripta, comprehenditur. *Primo* iſagogen præmiſit Autor; *ſecundo* de origine privilegiorum S. *Roſaliæ* Monaſterii expoſuit; *tertio* egit de communione privilegiorum, quibus gaudent Monachi Benedictini; *quarto* oſtendit, Regulares Monachos, jurisdictione ordinarii Epiſcopi liberos, ſolique Sedi Romanæ obnoxios, eſſe; *quinto* docuit, unctionem extremam ipſis Regularibus infirmis impertiri a fratribus Ordinis, non a Parocho; *ſexto* monſtravit, non Parochi, ſed Confeſſoris ordinarii, eſſe, Monachis unctionem impertire extremam; *ſeptimo* negavit, Parocho eſſe jus adſpergendi Monachorum cadavera; *octavo* quæſivit, utrius ſit eductio funeris, ſi quis Cœnobitarum in templo alio ſepeliatur; *nono* quæſivit, utrius ſit porrigere adſpergillum, Epiſcopo Monaſterium intrante; *decimo* docuit, quartam funeris in ſepultura Monachorum non ad Parochum, ſed ad Confeſſionarium Monaſterii, eſſe referendam; *undecimo* oſtendit, Monachos, Epiſcopo ordinario

ſubje-

ſubjectos, gaudere Ordinis ſui privilegiis, nec, quod *duodecimo* contendit, petitioni Monachorum obſtare vel uſum contrarium, vel præſcriptionem ullam; *decimo tertio* docuit, quanto officio Paſtores ſint ad cuſtodiendam Monachorum regularium ſalutem obſtricti, & quanta ſit culpa Parochorum, qui jurisdictionem Confeſſionariorum uſurpant. Tandem *quarto & decimo Capite* coronidem Apologiæ imponit. Monaſterium, S. *Roſaliæ* conſecratum, Panormi in civitate A. 1634 fuit fundatum, & ab *Urbano VIII* confirmatum. Incunabula illud debet pietati D. *Margaretæ de Carretto & Barreſi*, ex Comitibus *Racalbutenſibus* natæ, cujus ætas incidit in tempus, quo *Roſaliæ* reliquias invenerunt homines, quibus ſalutem Siciliæ & peſtis finem attribuerunt ipſi. Demandavit tradiditque *Margareta* curam fundationis fratri ſuo *Alderano*, qui, Romæ pedibus *Urbani VIII* advolutus, literas bullatas, quibus fundatio continetur & confirmata eſt, impetravit. Perfectum fuit tandem Monaſterium A. 1675, 21 Nov. quo illud fuit ſolenniter inauguratum, Ordinique Benedictino commiſſum. A. 1711 cœpit illud privilegio exemtionis uti, cùm Parochus S. *Joannis* Tartarorum non quartam cerarum funeralium, ſed omnes, ſibi vindicare aggreſſus fuit. Hic litis fons eſt, hæc controverſiæ origo. A. 1717 detulerunt cauſam ſuam ad Pontificem Romanum. Parochus vero, poſſeſſionem & præſcriptionem cauſatus, acquieſcere noluit. Quam ob rem controverſia nondum eſt diremta. Apologeta nititur privilegiis ſpecialibus & generalibus, cum Cœnobii ſui, tum Ordinis, quæ exhibet. Privilegio *Urbani VIII* inſerta eſt clauſula, *ſine tamen alicujus præjudicio erigas*. Hanc Parochus urget. Opponit vero Noſter, hanc fruſtra urgeri, 17. & privilegia Ordinis Benedictini, quæ exhibet & ſignificat, Cœnobiis Benedictinorum communia eſſe univerſis. Confugit ſpe- 20. ciatim ad privilegium *Pauli III*, A. 1537 datum, & literas bullatas *Eugenii IV*, A. 1434 evulgatas. Nec eorum omittit quidquam, quæ ex Jure Canonico & monaſtico Benedictino vel generatim, vel ſpeciatim, decerpere, ſuiſque uſibus poterat adhibere. Quamprimum reliqua hujus controverſiæ ſcripta Pag. 2.

ad nos pervenerint, pleniorem ex eis notitiam, quantum ſcopus noſter permittit, cum Lectore ſumus communicaturi.

JOANNIS HEYNII SPECIMEN COMETOLOgiæ ſacræ, duabus Diſſertationibus propoſitum, quarum altera de Diluvio per Cometam orbi inducto, altera de præludio judicii extremi, orbi per Cometas exhibendo, agit.

Lipſiæ, ex officina Langenheimiana, 1742, 4. Plag. 9.

Autori, qui Palæo-Brandeburgico Gymnaſio præeſt, placuit deſideriis exterorum ſatisfacere hac Commentatione, qua probabiliſſime oſtendere, originem funeſtiſſimi, ejusque univerſalis, diluvii Cometæ deberi, eidemque contributum
Pag. 2. iri orbis ultimi incendium ſtragemque, inſtituit. Deiſtæ clamant, orbem terrarum undis ſuis haud ita involvi ſubmergique potuiſſe, ut ſuperficies ambitusque omnis eam ſentire debuerit
4. inundationem. Notio, quam veteres animis ſuis de aquis ſupracœleſtibus informarunt, hic haud venit in cenſum. Ex nubibus, eisque denſiſſimis, tantum aquæ defluere haud potuit, quantum ad cooperiendos montes univerſos ſufficit, ſiquidem exſtant montes, ad duo milliaria Germanica in aerem evecti.
8. Aquas vi ſua e cavernis terræ prodiiſſe, negat Cl. Autor, ſiquidem ea ad centrum telluris tendit. Cometas pro corporibus cœleſtibus, planetarum haud abſimilibus naturæ, reputat.
10. Ipſos in ellipſibus circa ſolem ferri, adjungit. *Neutonus* certe & *Roſtius* ex phænomenis Cometarum hanc ſententiam firmarunt. Addit hæc: *Terra gaudet orbita quadam, quam Cometa, qui ipſa propius ad ſolem accedit, bis ſecat, duo efficiens compita*, ſeu nodos. Inde colligit, fieri poſſe, ut Cometa & terra ſibi invicem poſſint occurrere. Contigiſſe vero hunc concurſum, ac diluvium inde exſtitiſſe, probabiliſſimis porro
13. demonſtrat argumentis. Cometam, qui anno 1680 exeunte apparuit, a *Neutono* & *Hallejo* curate ſpectatum fuiſſe, conſtat. Uterque obſervavit orbitam ejus, eamque tantam eſſe oſtendit,

ut

ut annis $557\frac{1}{2}$ demum absolvatur. Ignis & calor Cometæ magnus indubie vaporem vegrandem, quo circumdatur, efficit. Septies itaque Cometa idem inde a diluvii ætate apparuit, si ad annos illos $557\frac{1}{2}$ respicimus. Tres postremos hujus apparitionis eventus respondent calculo. Veri itaque est simile, eventus eosdem eadem lege quoque antea exstitisse. Videtur hinc successu temporis firmitas Chronologiæ esse speranda. Pag. 15.

Originem vero diluvii cometicum Cl. Autor ita exponit: *Celerrimo motu Cometa non minus circumvolvitur, quam terra. Resultans inde tactus, quamvis obliquus esset, utraque tantum atmosphæra concussa, vehementissimus fuit. Aperire ergo cavernas abyssi* Gen. VII, 11, *potuit, atque aquas inde expellere subterraneas, quæ, receptaculis suis aere cometico denuo impletis, supra terram potuerunt persistere. Cometa, solis igne calefactus, exæstuat vaporem aquosum densissimum copiosissimumque. Terra autem vicina facta illius atmosphæræ immersa est. Habemus ergo copiosissimum imbrem sufficientemque, ex cœli cataractis delapsum,* Gen. VII, 11. *Scilicet vix aliter potuit fieri, quin vapor ille cometicus a crassiore, terram ambiente, aere aliquandiu repressus, in guttas cogeretur, ac deinceps, pondere suo victus, ubertim in terram nostram rueret.* 17.

Concinunt huic hypothesi in Tractatu gemarico, qui *de initio anni* agit, Judæi, inprimis ex expositione R. *Salomonis Isaacidæ*. Videtur ipse *Amos V, 8*, haud aliena docuisse, si voces כסיל & כימה de Cometa interpreteris cum Cl. Autore. 25.

Hisce argumentis propositis, ad extricandas objectiones idem sese accingit. Addit eandem: *Alter Cometa, isque obliquus, factus est, et orbi nostro diluvium induxit; alter, ad minimum ita centralis, ut corpora ipsa se contingant, adhuc futurus est, & orbi interitum seculoque finem afferet.* 29.

Pronuntiatum posterius contendit confirmare ex *Jes. XIII, 10*, & *Luc. XXI, 25, 26*, ubi sensum metaphoricum haud admittit. 46.

Dissertatione altera copiosius exponitur cometica illa diei extremi origo, vocatis in subsidium locis *Apoc. VI, 12, 13, Act. II, 16 seq.* signoque filii hominis *Matth. XXIV, 30*. Perpendant ii, quorum interest, hæc cogitata, & sententiam suam candide solideque dicant. Nobis interea licebit latuisse post carecta.

HISTO-

HISTORIA CRITICA DE HISPANICO PAULI Apoſtoli itinere, ad Rom. XV, 24, 28, *Autore* JOANNE JUSTO SPIER, *A. M. & Acad. Biblioth.*

Vitembergæ, apud Ephraim Gottlob Eichsfeldium, 1742, 4. Plag. 11.

An *Paulus* in Hiſpanias venerit, diſſenſionibus eruditorum implicata magis, quam extricata, videtur quæſtio. Alii nihil definiunt, alii ajentem, alii negantem, ſententiam propugnant. Poſtremorum in numero Cl. Autor militat, Commentatione hac teſtimonia, in contrarium opponi ſolita, evertens. Tractationem in *Sectiones duas* diſtribuit. *Priori* confutat teſtimonia Patrum, qui primis Eccleſiæ Chriſtianæ Seculis quinque floruerunt, atque iter illud aſſenſu ſui tutati fuere. *Poſteriori* diſcutit teſtimonia recentiora illis Seculis, minoris quidem momenti, ſed quæ tamen *Petrus de Marca* aliique e ſcriptoribus vetuſtis depromta & hauſta fuiſſe ſibi perſuaſerunt. Negant Hiſpanicum *Pauli* iter ipſi Pontificii, *Thomas Aquinas ad Rom. XV, Guil. Eſtius*, & *Dominicus Soto*, Hiſpanus de grege S. *Dominici*. *Gaſpar Sanctius*, unum *Sotonem* ex Hiſpanis ita ſenſiſſe, miratur. At ipſe *Gelaſius* Papa in *Decret. XXII Qu. 2* ſtatuit, *Paulum* iter illud quidem deſtinatum perficere haud
Pag. 5. potuiſſe. Deſtinationes *Pauli* quoque alias in irritum cecidis-
8. ſe, Cl. Autor variis comprobavit exemplis. *Clemens Romanus* in *Epiſt. 1 ad Corinthios Cap. V* refert, *Paulum* veniſſe ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως, ibique coram præfectis teſtimonium doctrinæ edidiſſe, eoque facto defunctum e vita migraſſe. Intellige Romam, τὸ τέρμα τῆς δύσεως, *hunc terminum Occidentis*. Corinthum enim *Clemens* cogitata, dum hæc ſcripſit, direxit, cujus reſpectu Roma ad Occidentem eſt ſita. Ob illam ipſam rationem Græci Italiam dixere Heſperiam, ut conſtat ex *Virgilio Æn. I, 534, II, 780*. *Euſebius*, quem aliqui itineris Hiſpanici teſtem laudant, nihil ejusmodi habet, ſed contraria omnia.
10. *Cyrilli Hieroſolymitani* ſuffragium fruſtra laudatur, quippe qui docuit, *Paulum* perfudiſſe ac imbuiſſe Romam evangelica doctrina

ctrina & in Hiſpaniam uſque propenſionem diffundendi Evan- Pag. 12.
gelium extendiſſe, *Cat. 17 Cap. 13.* Diſtinxit *Cyrillus* inter
actionem ipſam & proclivitatem, ei intentam. Sunt, qui ad
Athanaſium provocant. Sed nec hic ultra deſtinationem itine-
ris Hiſpanici aliquid ſignificavit. Primus, qui, illud a *Paulo* & 14.
deſtinatum & confectum fuiſſe iter, contendit, eſt *Epiphanius*,
in *Panario Hæreſ. 27 pag. 107* illud largitus, dummodo verba
perſtiterint incorrupta. Queſti certe fuerunt de corruptioni-
bus, verborum *Epiphanii* peſtibus, *C. S. Schurzfleiſchius*, *Pa-
pebrochius*, ac *Ittigius*. *Hilarii*, Diaconi Romani, ſuffragium
eſt obſcurum & incertum. *Joannis Chryſoſtomi* teſtimonium, 18.
a *Natale Alexandro* perperam excitatum, luculentum haud eſt.
Hieronymi Stridonenſis clariora ſunt verba, qui ad *Jeſ. XI*,
Paulum navibus in Hiſpaniam portatum, monet, ac eadem fere
repetit in *Commentario ad Amos V*, provocans tamen ad *Rom.
XV, 24*, quaſi hic *Paulus* id ſignificaſſet. Eadem ratione ex 20.
hoc loco collegit *Theodoretus*, Epiſcopus Cyri quondam in Syria,
Paulum in Italiam veniſſe, ac inde in Hiſpaniam abiiſſe, in *Com-
ment. ad Pſ. CXVI*, *ad 2 Tim. IV, 17*, & *ad Phil. I. Euthalii* teſti-
monium laborat, nec facile defendi poteſt. Hæc ſtrictim 23.
ſolideque in *Sectione I* ediſſeruit Cl. Autor. In calce monet,
ſeſe fortaſſe de teſtimoniis *Dionyſii Areopagitæ*, *Hippolyti*, &
Flavii Dextri, ac *Dorotkei*, alibi acturum. *Sectione* vero *po-
ſteriori* diſcutit teſtimonia Pſeudo-*Dorotkei*, *Gregorii Magni*,
Venantii Fortunati, *Iſidori Hiſpalenſis*, *Braulionis*, nondum e- 13.
diti, *Sophronii*, *Bedæ*, *Adonis*, Archiepiſcopi Galli Viennenſis, 17.
Stephani VI, Pontificis Romani, quod tamen eſt fictum & ſup-
poſititium, *Baſilii* junioris, cujus exſtat *Menologium Græcum*,
Latine editum in *Ferdinandi Ughelli Italia ſacra Tom. VI pag.
1082*, *Gregorii VII*, Papæ, *Hippolyti Thebani*, *Anſelmi Laudu-
nenſis*, *Michaelis Glycæ*, *Romualdi II*, Archiepiſcopi Salernitani,
Simonis Metaphraſtæ, *Lucæ Tudenſis*, Pſeudo-*Dionyſii Areopa-* 49.
gitæ, ſive *Jacobi a Varagine*, nec non *Nicephori Caliſti*, *Flavii*
Lucii Dextri, ſeu potius *Hieronymi Romani de Higuera*, ac tan- 59.
dem *Martyrologii Romani Baroniani*. Inter hæc paſſim de edi-
tionibus, fide, aliisque momentis ponderoſis, diſſeruit Cl. Au-

tor. Notat nævos in *Fabriciana Dorothei* editione, eaſque ſatis graves. *Venantii Fortunati* ventoſum & hyperbolicum poetici ingenii fructum caſtigat. In *Iſidori libro de Vita & morte ſanctorum utriuſque Teſtamenti* multa ineſſe fabuloſa, oſtendit. *Braulionis*, ſi quis eſt, libellum habet pro ſuppoſito æque ac Cel. *J. C. Harenbergius*, quem laudat, & cujus Obſervationem, in *Otiis ſacris n. 8* exſtantem, ſoliditate ſua communit. *Menologium Baſilii*, recuſum in *Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Græca Lib. V pag. 84 ſeq.* laborare nævis permultis, & Autori & typothetæ tribuendis, curate oſtendit. *Gregorium VII*, a Pontifice Romano A. 1729 cœlitibus adſcriptum, a *Carolo VI* Imperatore, Galliæque Rege *Ludovico XV*, publice vilipenſum & contemtum fuiſſe, addit; *Hippolyti* etiam *Thebani* nugas aperit & refellit. *Flavii Lucii Dextri* Chronicon eſſe fœtum Jeſuitæ, patria Toletani, *Hieronymi Romani de Higuera*, exiſtimat æque ac critica gens Eccleſiæ Romanæ. De fide *Martyrologii Romani*, a *Baronio* expoliti, differentes laudat Benedictinos inclytiſſimos, qui Hiſtoriam Galliæ literariam condunt. Egregie omnia. Reſtat nobis id unum, ut Virum præſtantiſſimum, ne complures ejusmodi dapes apponere nobis gravetur, oremus & exoremus.

Pag. 40.
44.
54.
61.

OBSERVATIONES METEOROLOGICÆ, oder hiſtoriſch-phyſicaliſche Nachrichten von dem ſtrengen Winter A. 1740, ꝛc.

id eſt,

HISTORICÆ HAUD SECUS AC PHYSICÆ Expoſitiones de Hieme rigida anni 1740, quæ, pro ejus indole, veris rationibus, metuendis eventibus, ac momentis nonnullis memorabilibus, in comparationem cum ſevera hieme anni 1709 adducitur, ſecundum recentiſſima Philoſophorum principia exhibitæ a Sodale Imperialis ac Cæſareæ Academiæ Curioſorum Naturæ, eoque

CLITOMACHO dicto.

Franco-

Francofurti & Lipſiæ, 1740, 8.

Plag. 9.

Weiſſenburgi ad Nordgoviam Diatriba hæc fuit A. 1740, 6 Junii, obſignata, ſi formulæ Dedicationis liceat habere fidem. Comparationem Autor inſtituit inter utramque hiemem, quam ſenſimus annis 1709 & 1740 longe frigidiſſimam. Præmittit mentionem hiemis olim rigidiſſimæ, e. g. annorum 764, 786, 832, 1296, 1310, 1323, 1399, 1525, 1601, 1603, 1608, 1615, 1616, 1624, 1657, 1659, 1664, 1667, 1669, 1680, 1683, 1692, 1699, 1718. Vicit omnes, ni fallimur, rigor hiemis anni 1709. Utraque hiems, & anni 1709 & 1740, Europam afflixit univerſam. Addit Autor Pag. 11.
mentionem continuati frigoris A. 1740 per Aprilem. Attendit ad aquilones, utramque præcedentes, prævisque cæciæ pluvias, frigidiſſimos ventos, ex cardine cœli boream inter & eurum exortos; nebulas frigidiores, calorem ſuperficiei telluris exſtinctum. Deſcribit deinde frigus hibernum, ejuſque effectus 15.
per ſingulas Europæ regiones. Ex propria experientia addere liceat, figuram nivis, frigidiſſimo aere lapſæ, fuiſſe plerumque ſexangularem, glaciem in canalibus ſubterraneis haud fuiſſe ante Trinitatis & Joannis feſtum liquefactam, aerem particulis nitri abundaſſe inſolito more, &c. Dies 23 Aprilis tandem ape- 34.
ruit ſuperficiem telluris campeſtrem, nivemque procul eſſe nuntiavit. Habuit utraque hiems id emolumenti, ut graſſanti 39.
prope Conſtantinopolin & per Hungariam peſti obex fuerit poſitus. Frigus omnino eſt caloris defectus. Id vero, quod fri- 44.
gidum reddit, eſt cauſa quædam phyſica. Quæ motum impediunt liquidorum, & liquores condenſant, ea ſunt in cauſa, 49.
cur corpora reddantur frigida. Longinquitas & obliquitas ſolarium radiorum hiberna omnino eſt univerſalis cauſa, cur atmoſphæra noſtra calore longe minori moveatur, aut incaleſcat. Cauſæ ſpeciales hiemis rigidioris ſunt pluvia prælapſa copioſior, 50.
ac fulminum multitudo. Illa enim ſuperficiem telluris reddit mature frigidam; hæc vero aerem implet particulis nitroſis, condenſando aeri accommodatis. An ſtellæ præter ſolem & lunam in atmoſphæram noſtram effectiones excitent, haud

Pag. 55. definit Noſter. Si quid obſervationes noſtræ mentibus perſuadere valent, adſpectus planetarum & poſitus eorum mutuus omnino in cenſum venit. Tempeſtates fulminoſas & imbriferas felici ſucceſſu per poſitum planetarum, ex tabulis *Mezzavacchi* præcognitum, ſæpius eis prædiximus, qui dubitationibus laborarant. Quis enim negabit, corpora cœleſtia invicem agere & reagere? Coagmentata ſunt certe inter ſeſe, ac motus ſuos mutuo firmant, orbitisque figunt. Æſtum maris reciprocantem, quis ignorat, phænomenis lunæ reſpondere? In-
61. primis vero venti ſeptentrionales, & nix, quæ tellurem tegit & conſtricta eſt, admodum hiemale frigus augent. Adde glaciem cumulatam, ac ſuperficiem telluris obturatam. Nam glacie riguerant humores ſubterranei utraque hieme ultra tres cubitos verſus mediterranium telluris. Glaciei abundantiori locum fecerant præmiſſæ continentes multæque pluviæ autumnales, quibus, cum frigus ingrueret, ſuperficies telluris ſca-
67. tebat. Nec omittendi ſunt vapores craſſi, quibus aer fuit frigidiſſimis diebus perquam plenus. Hiſce etiam ineſt aliquid, quod motum aeris & calorem impedit, ac ſufflaminatum reddit. Ex eis, quas recenſuimus, rationibus Autor ſolide demonſtrat originem frigoris vehementiſſimi, quo nobilis fuit utraque illa hiems & ad poſteritatem commemorabilis. Eadem ſoliditate docet, ex hieme rigidiſſima, nivibus glacieque abundante, conſequi exundantes vernas pluvias, meſſesque feras.
72. Nives liquefactæ flumina augent, & inundationes inducunt terris profundioribus. Aer inde diu retinet frigus quoddam & denſitatem. Unde fieri ſolet, ut inſequens autumnus cito reddatur frigidior. Si tonitrua Majo & Junio menſibus cooriuntur, ea fulminibus periculoſis ſcatent, & grandinibus laborant,
76. ob particulas nitroſas & glaciales nondum in aere penitus ſubactas. Inuſitata aeris temperies ſolet funeribus eſſe fœcunda. Morbi etiam oriuntur, cum corpora, cibi appetentiora ob frigus, remittunt nervorum ſitum ac tonum, aere clementiori affecta. Hinc febrium origo. Cum vero particulæ nitroſæ uberiores, a radiis ſolaribus diſſipatæ, in humum recidunt, agrumque fœcundant, ideo meſſis frugum, a frigore haud corrupta-

rum,

nam, latior ſucceſſit utrique illi hiemi rigidiori. Hordei mira vis & fœcunditas ſiliginem & triticum, cui frigus eladem pleriſque in locis induxerat, ſupplevit, farinamque dedit rarioris bonitatis & copiæ. Idem de frugibus aliis ſerioris proventus valuit. Arbores tamen multæ vitia & damna fecerunt, frigoribus afflictæ; & annis demum vertentibus magnam partem exaruerunt, quia tracheæ & canales ſucciferi corruptionem ex frigore immodico contraxerant. Dolendum eſt, Pag. 95. thermometra noſtra non concordare, &, ſi vel maxime concordent, menſuram caloris & frigoris mathematicam haud præbere. Quicquid itaque de gradibus frigoris inde prædicatur, id philoſophicæ eſt cognitionis, non mathematicæ, adjumentum. Omittimus reliqua, quæ vel ſunt faciliora, vel a tractatione hac procul eſſe poſſunt. Interpolavimus paſſim meditationibus Autoris cogitata noſtra, ne quid videretur argumento nobiliſſimo deeſſe, & ut mortales, hieme conſimili redeunte, accendantur ad ea communienda & porro ſtabilienda, vel reſtringenda, quæ hucusque a nobis ex obſervationibus fuerunt elicita & demonſtrata.

Vernünfftige und gründliche Gedancken von GOtt und dem wahrhafften Gottesdienſt, ꝛc.

id eſt,

COGITATA, RATIONI CONGRUENTIA, AC SOlida, de Deo & vero Dei cultu, Autore P. AHLWARDT.

Gryphiswaldiæ & Lipſiæ, impenſis Joannis Jacobi Weitbrecht, 1742, 8.

Plag. 11½.

Seſe editurum eſſe Elementa Metaphyſices, promiſerat olim Cl. Autor. Non migrat hanc fidem, ſed differt eventum. Fuere, qui Theologiam ab eo expeterent naturalem. Morem hiſce geſſit, antequam promiſſis ſuis poſſet ſtare. *Revelatam*, quæ dicitur, Theologiam, ejuſque decreta, ab hac tractatione ſecrevit circumſpecte. Si miraris, Lector, cur de notis

doctrinæ divinitus patefactæ, ad ſacrum Codicem congruentibus, hic dixerit nihil, hoc accipe reſponſum ab Autore, conſtitutum ipſi eſſe, aliam occaſionem tantæ rei conſecrare. Ut id deſtinationis ei feliciſſime ſuccedat, ex animo precamur. Tractationem hanc Cl. Autor diſtribuit in præcognita, ſeu iſagogen, de natura Theologiæ naturalis, ac in *Capita tria*. *Primo*, exiſtere Deum, ſolicite demonſtrat. *Secundo* exponit de attributis ſeu perfectionibus operibusque Dei. *Tertio* de officiis Deo exhibendis præcipit. Demonſtrationis copula tam accurate ſolideque conſtricta eſt, ut etiam Idealiſtis & Materialiſtis, Spinoziſtis ac Manichæis omnium generum, ſatis poſſit facere. Hanc Theologiam tradit eſſe ſcientiam de Deo interventu rationis
Pag. 5. ſanæ. Qui rationem ac veritates rationis in dubitationem revocant vel horrent, ipſo judice principia Theologiæ divinitus revelatæ, & eam univerſam, proſternunt. Officia, Deo præſtanda, ab hac diſciplina ſeparantur vulgo. Inſtitutum hoc ei mi-
7. nus probatur. Præſtantiam, uſum, & neceſſitatem Theologiæ naturalis ſolide oſtendit. Per Deum deſignat *Ens a ſe*, &
11. hanc notionem principii loco ponit. Ens vero a ſe exponit per id, quod rationem exiſtentiæ ſuæ in ſeſe habet, & per ſe exiſtit. Atheiſmum oſtendit conſiſtere in errore intellectus, ratus, bonum eſſe, ſi erga atheos ita nos geramus, quemadmodum erga errantes nos debemus præbere. Philoſophum eſſe poſſe atheum,
14. polytheum, vel fallacem de Deo opinatorem, multo minus Spinoziſtam, inficiatur. *Spinozæ* libros atheiſmi plenos, eorumque refutatores, ſuccincte recenſet. Dari notitiam Dei ho-
19. minibus inſitam, ſive ea ſit actualis, ſive habitualis, ſive potentia proxima & vis propinqua appellata, negat. Vim exponit per potentiam ad aliquid, eamque negat eſſe vel propinquam, vel remotam. Videtur autem vocabulis notiones alias, ac Theologi faciunt, tribuere. Provocat ad eos, qui in-
21. ter beſtias fuerunt educati. Habitus certe crebras ac iteratas actiones præmittit, ſeu præmiſſas largitur. Addit, doctrinam de imagine Dei ex lumine rationis haud innoteſcere. Notitiam & cognitionem Dei nobis haud imputari poſſe, ſi ea foret na-
23. turalis, adjungit. Reſtat itaque, ut concedat, hominem eſſe

aptum

aptum ad cognitionem de Deo, ſi ipſi ſit uſus rationis, acquirendam. Exiſtere Deum, negat ex conſcientia demonſtrari poſſe, ſiquidem conſcientia theologica ii vacent, qui carent cognitione Dei. Ideas innatas dari, negat. Argumentum illud, quod a priori deductum putant vulgo, & ſic habet: *Ens, quod perfectiſſimum concipimus, omnes habet perfectiones. A. Actu & neceſſario exiſtere, eſt perfectio. E. Ens neceſſario exiſtit perfectiſſimum*, rejicit, eo quod nihil inde ſequatur, præterquam quod Ens illud exiſtat in idea noſtra. Addit, demonſtrandum porro eſſe, ejusmodi Ens extra nos exiſtere. At quomodo illud in idea noſtra tantum exiſtit, quod neceſſario exiſtit? Exiſtentia certe idearum noſtrarum non eſt abſolute neceſſaria. Exiſtere Deum, e conſenſu populorum alii contendunt demonſtrari poſſe. Diſplicet hoc ipſi argumentum, nec immerito. Conſentiunt enim gentes multæ in erroribus quoque. Ex rebus creatis, ſeu a poſteriori, ipſe, exiſtere Deum, ſolide evincit. Nos noſtri eſſe conſcios, ideoque nos exiſtere, cogitationes vero noſtras variare, & huc illuc vagari, præmonet. Oſtendit, fieri non poſſe, ut, dum exiſtimus, ſimul non exiſtamus. Id, quod in nobis cogitat, eſſe ſpiritum, egoitatis fundamentum, demonſtrat. Dari principium rationis ſufficientis, adjicit, nec citra illud, exiſtere Deum, demonſtrari poſſe arguit. Miratur itaque, qui illud rejicere potuerint *Langhanſen*, *Feuerlinus*, alii. Inde enim innoteſcit, nos caſu fortuito haud exſtitiſſe. Ex nihilo negativo nil exiſtere, monet. Id igitur, quod eſt mutabile, exſtitit per illud Ens, quod rationem exiſtentiæ in ſeſe continet. Aliquid a ſeſe ipſum effici, contradictione eſt plenum. Progreſſum cauſarum in infinitum profligat. *Raphſoni* demonſtrationem de Deo haud reprobat, ſupplet tamen, quæ in ea ſunt omiſſa. Ens a ſe demonſtrat exiſtere, idque eſſe independens, neceſſarium, æternum, infinitum, & immutabile. Infinitum vocat id, quod habet ea omnia ſimul, quæ habere poteſt. Addit, illud Ens a ſe eſſe ſimplex, & ſemper actuoſum. Tum vero oſtendit, nec nos, nec mundum, eſſe Deum. Dijudicat deinde argumenta, quibus, Deum exiſtere, alii vulgo demonſtrant, ac ea, quibus

Pag. 24. 26. 31. 33. 36. 39. 41.

bus nervus ineſt, ad illud *de contingentiæ via* deſumtum re-
Pag. 45. ducit. Addit ſeriem librorum, quibus, exiſtere Deum, de-
monſtratur. Attributa Dei ex aſeitate demonſtrat, nomina-
tim independentiam, neceſſitatem eſſentiæ & exiſtentiæ, immu-
64. tabilitatem eſſentiæ, infinitatem, &c. Infinitatem ex indepen-
dentia, neceſſitate, & immutabilitate, evincit, &, infinitum
eſſe, quicquid Deo ineſt, oſtendit. Eo ipſo reducit eos in
viam, qui Deo præſcientiam futurorum contingentium mora-
68. lium, & infinitum intellectum, adimere laborant. Deum nobis
perpetuo eſſe & manſurum incomprehenſibilem, docet, demon-
ſtrans etiam, Deum eſſe ubique, eſſe immenſum, eſſe omnipræ-
ſentem. Omnipræſentia, ipſo judice, eſt immenſitas Entis,
71. relatione ad omnia alia, cum eo exiſtentia, habita. Modum de-
terminare recuſat, quo Deus ubique adeſt. Æternitatem Dei
modis quinque oſtendit. Eam ſucceſſionis haud eſſe capacem,
crentis quippe & finitis rebus tribuendæ, monet, oſtendens,
quantopere Cel. *Hollmanno* aut accedat, aut ab ejus opinione diſ-
cedat. Unitatem Dei ex principio indiſcernibilium, per quod,
77. haud dari duo æqualia re ipſa, oſtenditur, demonſtrat. Ar-
gumenta, quibus B. *Reinbeckius* oſtendit, Deum eſſe unicum,
81. eſſe ſeculna credit. Deum haud eſſe ſubſtantiam compoſitam,
ſed ſimplicem, ita efficit: *Non dantur duo infinita. Quum ob eam
in re compoſita partes ipſæ haud ſint infinitæ. Ens porro infi-
nitum nil niſi infinitum continet, nec finiti quidquam admittit.
Ergo Ens infinitum ex partibus finitis compoſitum eſſe nequit.
Quare nullatenus eſt compoſitum. Reſtat, ut ſit Ens ſimplex.*
83. Deum eſſe αὐτόθεον, ex immutabilitate ejus comprobat. Vi-
res nudas in Deo eſſe, negat. Actiones proprie dictas ei dene-
gat, largiens tamen, Deum aliquid facere & operari. Intelle-
ctum Dei eſſe fontem omnium poſſibilium, eisque cognoſcen-
88. dis ſufficere, docet. Addit, intellectum Dei eſſe autorem &
cauſam poſſibilium. Deo Socinianorum, in dies addiſcenti,
95. nullus hic eſt locus. Præſcientiam omnem Autor Deo vindi-
cat, ſcrupulosque, ab aliis motos, egregie enodat. Scientiam ne-
ceſſariam, liberam, & mediam, egregie firmat & oſtendit. Sa-
101. pientiam intellectui transſcribit. Ex intellectu oſtendit, dari in

Deo

Deo æque voluntatem infinitam. Libertatem Deo haud tribuit, eo quod ipſe eſt Ens immutabile & neceſſarium, & voluntas ipſius neceſſario hoc appetit, illud averſatur. Largitur Pag. 107.
tamen, Deum ſemper eligere ſeu ſumere optima, libenter facere ea, quæ facit, nec extrinſecus cogi. Sed hæc ſufficiunt ad libertatem ſapientis. Ἐλευθερία eſt donum Dei, ergo ipſa ſpiritui per ſeſe conſiderato eſt tribuenda, ut uſus vocum in utraque Theologia ſit idem. Potentiam Dei niti ejus voluntate, tradit. Voluntatem Dei conditionatam admittit, ac inde vindicat diſtinctionem inter voluntatem Dei antecedentem & conſequentem. Deum eſſe creatorem, monſtrat, ſcopum- 113.
que, creatis rebus propoſitum, eſſe *Dei gloriam*, denuo evincit. Scopum illum ſemper exſtitiſſe, ipſasque res creatas, videtur colligi poſſe ex notione perfectionis, allata *pag. 118.* Ex ſcopo eodem conficit, ſubſtantias, a Deo creatas, eſſe & ratione & voluntaria vi inſtructas magnam partem, immo, his omiſſis, ſcopum creatoris ceſſare, qui tamen e voluntate immutabili libertatisque neſcia, ipſo judice, creavit ea, quæ erant creanda. Deus neceſſario mundum creavit, hoc judice. Inde ne- 121.
ctit argumentum adverſus Idealiſtas. Addit: *Deus per hanc creationem modo gloriam ſuam voluit demonſtrare, ideoque non potuit non mundum re ipſa efficere. Cum vero res creatæ, rationis haud expertes, proprie modo gloriam ejus promovere poſſunt; ipſa vero ex mundo cognoſcenda eſt; eapropter res illæ creatæ rationales neceſſario mundum ita ſibi repræſentare debuerunt, quemadmodum ipſe extra eas exiſtit. Deus alioqui nullatenus ſcopum ſuum potuiſſet obtinere. Eam ob cauſam Deus* 122.
non potuit non cum nuda rerum cognitione plenam certitudinem copulare. Deme hanc certitudinem, nec aliud inde veniet quidquam, niſi ut res extra nos poſitas cognoſcere nequeamus. Hac ratione, veritatem metaphyſicam exiſtere, demonſtrat. Deum decuiſſe, ut ſubſtantias rationales libertate inſtrueret, oſtendit. Actiones hominum liberas eſſe ad conditionem ad- 125.
ſtrictas, & reſpectu hujus neceſſarias, docet. Ni actiones hominum darentur liberæ, ceſſaret, ipſo judice, imputatio. Quis enim, actiones naturales & mechanicas imputationis capaces

eſſe, contendet? De ſucceſſionibus eventuum in mundo, a liberis rerum creatarum actionibus pendentibus, ita tradit: *Dici haud poteſt, mundum a Deo ratione ſucceſſionis eventuum in eo omnis factum eſſe ac creatum. Fatendum potius, liberas ſubſtantias & homines ſucceſſionem eventuum in mundo determinare, & eventus efficere. Hi determinati eventus proprie ad eſſentiam mundi, extra nos poſiti, haud ſpectant; mundus perſtat tamen, eventus illi ſive adſint, ſive abſint. De eſſentia mundi, ac attributis, inde neceſſario fluentibus, dici tantum poteſt, intellectum Dei illam & illa feciſſe poſſibilia, voluntatem Dei vero illum & illa effectui dediſſe.* Addit deinde, Deum facere ſingulorum entium modo unicam poſſibilitatem per intellectum ſuum, quæ maxime & ſumme cum eſſentia ſua congruat. Inde cogi efficique poſſe exiſtimat, unicum duntaxat mundum intellectui divino qua poſſibilem obverſatum eſſe.

Pag. 127. Pergit ita: Deus, ratione ſui habita, non potuit mundum alium creare, nec intellectus divinus diverſos mundos qua poſſibiles ſibi repræſentavit, vel repræſentare potuit. Quærimus ex ipſo, an ſeries eventuum naturalium unico tantum modo ſint poſſibiles; an Deus optimum ſumere potuerit, niſi minus bona dentur poſſibilia. Id, quod Deo, ejuſque perfectionibus, eſt convenientiſſimum, ſemper eſt unicum. At illud convenientiſſimum non eſt unice poſſibile. Homines ſæpe agunt ea, quæ Deo non ſunt convenientiſſima. Ecquis mundum naturalem & mechanicum a logico & morali ſolide disjungere poteſt? Non dantur in mundo inſulæ, nec perpetua in ſubſidium vocanda ſunt miracula. Exiſtit itaque unum quoddam connexum, quod appellatur mundus. Autor Cl. arbitratur, mundum a Deo factum eſſe neceſſario, nec eſſe contingentem, ſed neceſſarium. Prius ex ſublata Dei libertate fluit, poſterius haud item. Ex neceſſitate enim creationis colligi haud poteſt, neceſſarium eſſe mundum. Autor certe oſtendit, id eſſe neceſſarium, quod eſt æternum, immutabile, infinitum, & ſimplex, *pag. 41 ſeq.* Quantum ad neceſſitatem, quam mundo tribuit, attinet, de ea ſic diſſerit:

128. *Contingentia mundi citra ullam conditionem vel reſtrictionem in-*

ficianda

ficianda eſt. Vocantur ea omnino contingentia, quæ ſic & aliter eſſe & exiſtere potuerunt; & illa relationem habent ad libertatem quandam, citra quam exiſtere haud poſſunt. Brevibus agam. Nil poſtulo magis, quam ut mundus, qui exiſtit, aque ſit neceſſarius, ac eſſentia rerum. Quam ſolide hæc in intellectu Dei rationem ſuam habet; tam ſolide exiſtentia mundi rationem ſuam habet in voluntate Dei. Cauſa mihi haud patet, cur hæc voluntas aliter agat ac intellectus Dei. At eſſentiæ rerum in intellectu Dei æterno ſunt æternæ. Si igitur voluntas Dei, potenter creans & agens in mundo creato, eam infert mundo neceſſitatem, quæ eſſentiis rerum ineſt, tum mundus, qui exiſtit, exiſtit neceſſitate abſoluta & conditionibus ſingulis immuni. Quid vero ſic reſtat, niſi ut mundus ſit æternus æque ac Deus? Recordamur inter hæc cum Autore, haud exiſtere re ipſa poſſibilia cuncta. Hinc vero conſequimur, mundum, qui exiſtit, poſſibilia univerſa haud exhibere, in actum deducta; dari itaque ſeries eventuum mundi alias aliasque, nec tamen poſſibiles univerſas in actum perduci; ſeries mundi conſtituere ipſum mundum, ſiquidem id, quod *unum* vocamus, interno nexu ſeu conjunctione præditum eſt; mundum eſſe partem poſſibilium; ideoque ipſum per ſeſe haud eſſe neceſſarium, ſed, quod inde ſequitur, contingentem, ſiquidem id vocamus *contingens*, quod per ſeſe haud eſt neceſſarium, quod ſemper aliunde dependet, quod ita eſt affectum, ut id, quod ei oppoſitum eſt, poſſibilitate intrinſeca ſit æque poſſibile. Hæc notio eſt entis contingentis univerſalis, eaque deinde in phyſicam dividitur & moralem. Illa eſt expers libertatis; ad hanc ſpectat libertas. Licet vero voluntas Dei, quatenus exiſtit, ſit æterna & abſolute neceſſaria; id tamen, quod Deus agit & creat, (opus Dei ad extra,) non eſt ejusdem naturæ, ſiquidem opus, quo Deus *Lazarum* a mortuis reſuſcitavit, haud fuit æternum, abſolute neceſſarium, & æque neceſſarium, ac eſſentiæ rerum. Intellectus Dei ſemper continuit poſſibilia cuncta; at non ideo voluntas ejus ſemper poſſibilia cuncta in actum perduxit, vel mundum ſemper habuit ſibi præſentem. Ni hoc teneamus, mundus non poteſt non

ſtatui æternus, unicaque determinabilitate præditus. Pace Clariſſimi Viri hæc interjecimus, ut occaſionem ipſi ſuppeditemus, hoc momentum copioſe, luculente, &, ut alias facere ſolet, ſolide, exponendi. Verum digredi lubet ad ea, quæ
Pag. 129. reſtant. Mundum hunc eſſe optimum & perfectiſſimum, ſtatuit, id eſt, *unicum & unice poſſibilem*, eodem judice. Addit tamen, eventus in mundo alios potuiſſe per actiones humanas exiſtere, ac re vera exiſtunt. Succeſſiones itaque eventuum mundi ſunt contingentes, hoc judice, licet mundus ipſe haud ſit contingens. Notiones novas jungit Cl. Autor cum vocibus *mundus*, *contingens*, *neceſſitas mundi*, *poſſibile*, &c. Veremur, ne ſinguli Philoſophi tandem libertate eadem ſint uſuri, vel tot opus futurum ſit Lexicis, quot dantur philoſophi ſcriptores. Monere liceat, Autori placuiſſe notionem de *mundo* §. 32 formare, quæ cum notione §. 172 tradita haud videtur convenire. Poſteriori enim loco mundum appellat aliquid *neceſſarium*; priori vero aliquid *mutabile*. Ipſe profecto haud deſignavit ſpeciem neceſſitatis, quam mundo attribuit, aliam diverſamque ab illa notione, ſecundum quam (§. 29) id, quod ei eſt oppoſitum, per ſeſe eſt impoſſibile & contradictione ſecundum. Inde docet, Deum eſſe per ſeſe *beatum*, dari actiones hominum bonas & malas, Deum eſſe juſtum in utramque partem, eique tribuendam eſſe voluntatem conditionatam ratione mercedis,
139. hominibus tribui ſolitæ. Enotanda ſunt hæc porro: *Voluntas Dei conditionata, quæ reſpicit hominis libertatem, ponit, contraria & oppoſita æque fieri poſſe, id eſt, loco bonarum actionum pravas edi poſſe. Hoc propter dici etiam poteſt, conditionatam illam voluntatem actiones malas rationalium rerum creaturum æquè velle, nempe quatenus illæ in libertate earum fundantur.* Addit deinde, voluntatem ejuſmodi conditionatam haud eſſe proprie voluntatem, Deoque id eſſe idem, illæ an male, an vero bene, agant, ſiquidem gloria divina tandem utrinque promoveatur. Permiſſionem mali Deo haud eſſe indignam, monet, addens, ſeriem eventuum eam eſſe optimam, in qua nullæ actiones malæ ſint obviæ; eam a Deo deſiderari, ferlesque deteriores ei diſplicere, licet ob libertatem

creata-

creaturum ſubſtantiarum quarundam malum ſit ipſi permitten- Pag. 141.
dum, quod quippe impedire haud *poſſit*. An mundus, in quo ſibi ſuccedit ſeries actionum pravitatibus infectarum, ſit optimus, quærit. Negando reſpondet ad quæſtionem, ſi ad Deum reſpexeris; affirmando reſpondet, reſpiciens ad conditionem liberarum actionum, earumque malarum, quas Deus non potuerit non permittere. Deum odiſſe mala moralia, addit. *Obligationem* definit per copulationem motivorum cum actioni- 143.
bus liberis, ac, obligationem naturalem a Deo præſtitutam eſſe, monſtrat. Ex hac prædefinitione, Deum eſſe legislatorem, evincit, ac, peccatores a Deo puniri, addit. *Capite tertio* oſtendit, dari officia erga Deum, dari cultum Dei, eumque vo-
luntarium, cui innexa debeat eſſe ſinceritas, honoratio ac lau- 151.
datio Dei probe cogniti, imitatio Dei, ſtudium & cultura rationis, amor Dei & alius cujuscunque, timor, fiducia, diuturnitas & tranquillitas, frequens & perpetuus precum uſus, ac crebra pœnitentia. Fuimus ſolito longiores in ſumma hujus Opuſculi recenſenda, eo quod nova admodum multa in eo exponuntur. Spes eſt, fore, ut Cl. Autor paucula monita noſtra diligenter perpendat, illuſtret, & demonſtrationibus ſolidis perfundat. Æquitati enim ſtudemus, nec refutatores haberi cupimus.

PRAXIS SEU SPECIMINA TOTIUS GRAMmaticæ Hebreæ in Analyſi vocum Hebræarum, pro numero ac diverſitate regularum Grammaticæ ſelectiarum expreſſa. Quibus præmittitur Theoria Analyſeos, atque ſubjungitur meditatio de inveſtiganda vocum Hebræarum radice, in uſum Grammaticæ ſuæ philoſophicæ, edita a M. FRID. CHRIST. KOCH, Philoſ. Ord. Adjuncto deſignato.

Jenæ, ſumtibus viduæ Crœckerianæ, 1742, 8.
Plag. 16.

Practicæ diſciplinæ, ni exemplis probe colluſtrentur, mortuæ ſunt & jejunæ. Quam ob cauſam Vir Cl. Gramma-

ticæ suæ Hebrææ philosophicæ jam ipsam praxin suffigit ac adjungit, quam ante biennium, fide publice data, a sese editum iri promiserat. In Præfatione respondet iis, quibus vel nimis, vel parum, philosophari fuerat visus. Theoriam analyseos præmisit, ut cuilibet constaret via, quam in ipsis evolvendis vocibus secuturus erat. Brevem præterea fini calcive praxeos adjecit meditationem de investiganda vocum Hebræarum radice, pluribus alio tempore illustrandam. In Idiotismis linguæ Hebrææ perspicue explicandis, eorumque numero minuendo, jam occupatur, quos propediem examini eruditorum subjiciet. Voci שְׁחִין tribuit significatum *ulceris ardentis*, eo quod Chal-
Pag. 28. dæis שחן est *calere*. Voci אלם significatum impertit *ligandi*, *connectendi*, qua ligatione efficitur, ut aliquis non eos, quos velit, motus seu strepitus excitare possit. דבר notionem,
44. ipso judice, tenet *vasti seu spatiosi vacui*, quam per nomina, inde derivata, Autor illustrat. Voci גלל tribuit significatum
54. *separandi ea, quæ sunt in conjunctione*. Idea conjunctionis inest vocibus גַּל, *cumulus*, גִּלָּיוֹן & מְגִלָּה, *liber*, גֻּלָּה, *lenticula*, גְּלָל, *devolutio*, גְּלִילִים, *orbes*, גַּלְגַּל, *rota*, &c. גְּלִילָה, ipso judice, est terminus, per quem unus ager a vicino, una regio ab altera, cui alias arctissime cohæret, separatur. Particulæ אֶת tribuit ideam generis, decerptamque putat illam ex אתה, *accedendo*. Significat vox בנה, ipso judice, idem ac *largiri*
91. *existentiam alicui rei*. Vocem מָשָׁל ipse transfert per *regulam directricem* ex משל, *dirigendo*, id est, mutationes rei deter-
95. minando. חרף, ipsius ex judicio, idem est ac *sentire rem non mediocriter nobis ingratam*, גבר *præsentiam alicujus rei servare*, נבל *transire e statu perfecto ad oppositum imperfectum*, נסך *tegere*, יכח *veritatem demonstrare*, חלל *penetrare*, סלל *congerere multa in unum, ut in altum res exsurgat cumulum*, בון *distinguere*, עוד *idem esse cum alio*, שוס *celeriter motum exercere ad aliquid præstandum*, &c. Est, ubi in Elementis
156. Grammaticæ Ebraicæ circa verba in ה desinentia aliquid notat. Voci ירה infixum credit significatum *subordinandi adminicula scopo obtinendo*, &c. Difficiliores enodationes analyseon suppeditavit *pag. 189 seq.* Singula spirant soliditatem. Occurrunt etiam

passim

paſſim annotationes, quæ exercitatioribus uſui eſſe poſſunt. Reſtat itaque, ut Commentationem *de Idiotiſmis* ab Autoris Cl. diligentia flagranter exſpectemus, cujus merita in definiendis vocum ſignificationibus formalibus ac generalibus inſignia jure prædicamus.

M. GOTTLIEBI WERNSDORFFII, ORD. PHIloſ. in Acad. Wittenbergenſi Aſſeſſoris, Commentatio hiſtorica de Regibus crinitis Francorum Merovingicæ ſtirpis, qua ſimul probatur, Numos, quos vulgo Gothicos appellamus, ad hoſce Reges videri referendos.

Vitembergæ, ſumtibus Joannis Guilielmi Boſſœgelii, 1742, 4.

Plag. 6.

Clariſſimus Autor, in quo magni patris nomen & virtus emicat, felici conatu cum eis certat, qui de ampulla Rhemenſi, de monumento *Childerici*, de lilio Francico, de Regibus inſenſatis, de Regum Francicorum varia effigie, veſtibus, armis, habitu, & coronis, expoſuerunt, atque ad horum labores ſymbolam ſuam erudite confert. Diſſerit de more alendi comam, Regibus Merovingicis familiari, quo, velut inſigni & documento regii officii ſuæque proſapiæ, illis libuit ſuperbire, nec tamen de crinibus duntaxat diſputat, ſed etiam momenta, huic tractationi juncta, ſolida commentatione perfundit. Jactavit olim Roma *Cincinnatos* ſuos. Conſpiciuntur Reges Thraciæ ac Boſphori in numis cæſarie ornati, Gothorum purpurati ac nobiles promiſerunt crines. Parthorum Reges inter regii ſplendoris documenta comam oſtenderunt, eleganter in gradus formatam, more a Scythis traducto. Merovingici Reges nutrire capillos conſueverunt, eosque a fronte, ſumma arte diſcriminatos, hinc inde diffluentes dejecerunt in terga, ceteris Francis de plebe attonſis, ac nudata cervice incedentibus, teſte *Gregorio Turonenſi Hiſt. Franc. III, 18*, nec non *Sidonio Apollinare*. Privatos, in orbem tonderi

Pag. 7.

8.

10.

deri ſolitos, haud promiſiſſe crines, docent idem *Gregorius* ac *Witichindus* noſtras, donec, ſuaſu *Petri Longobardi*, Pariſio-
Pag. 13. rum Seculo XII antiſtitis, mos hic ceſſavit. Origo ritus illius regii eſt incerta, ſiquidem *Gregorius* ipſe de primis *crinitis* Francorum *regibus* nihil ſolidi acceperat. De primis Franco-
15. rum ſedibus ac initiis varia ediſſerit Noſter, negans, *Ciceronis Francones* fuiſſe cognitos, quippe qui *Ep. 10 ad Atticum Lib. XIV Fangones*, non Francones, memoraverit. *Fango* autem *Cæſaris* erat libertus. De Thoringia, in quam, Rheno ſuperato, *Gregorius* Francos veniſſe tradidit, fuſe commentatur Noſter. Alii crediderint, terram Theruingorum, quos *Eutro-*
21. *pius VIII*, 2, memoravit, a *Gregorio* deſignari. Sicambros, qui erant Franci, *flavam ſparſiſſe cæſariem*, autor eſt *Claudianus Panegyr. in Conſulatum IV Honorii v. 445.* Idem Reges Francorum vocavit *flaventes crinigero vertice Lib. I de Laudibus Stiliconis v. 202*, ſcilicet *Marcomirum & Sennonem. Faramon-*
23. *dum* fuiſſe *Regem crinitum*, Noſter ſatis demonſtrat. *Clodionem*, ejus filium & ſucceſſorem, æque fuiſſe *crinitum Regem*, docet idem ex *Gregorio* & *Aimoino I, 4.* Filius *Clodionis* Romæ fuit conſpectus, iſque flava, adeoque promiſſa, ut ſuper humeros circumfunderetur, coma, teſte *Priſco* Rhetore *II,*
25. *9.* Annulus aureus *Childerici I* ſigillatorius, Tornaci effuſſus, Regem exhibet nudo capite, promiſſaque coma uſque ad humeros, & in ſincipite bipartita, inſignem. Succeſſor ejus & filius *Chlodovæus* in procemio legis Salicæ appellatur *comatus.* Percenſet ejus bella Autor, nec omittit Regulos Francicos, ab eo
28. victos ac contrucidatos. Conſulatum, illi ab *Anaſtaſio* Imperatore impertitum, illuſtrat. *Chlodomeres*, filium ejus, a Burgundionibus victum & occiſum, æque fuiſſe comatum, ex
31. *Agathia* docet. Idem inſigne fuiſſe filiis *Chlodomeri* in deliciis, it comprobatum ex *Gregorio.* Morem hunc regium uſque ad *Chilperici* ſtupidi fatalem ex ſolio diſceſſum floruiſſe,
39. curate tradit, adjungens, *Carolinum* ſtirpem & proſapiam ab hoc ritu fuiſſe alienam. Hinc progreditur ad Numos Gothi-
40. cos, qui in Muſeis potius latent, quam in libris interventu figurarum conſpectui lectorum exhibentur. Hos Cl. Autor ita

deſcri-

deſcripſit: *Exhibere ſolent primo latere caput Principis cujuſdam, craſſa Minerva expreſſum, ut non poſſis non ſubinde dubitare, arboremne, an lapidem, an caput humanum, conſpicias. Altero fiſtunt vel deſultorem equo currentem, vel equum liberum abſque fræno & ſeſſore, tanta pariter figuræ deformitate, ut incertum ſit, avis, an homo, caballo inſideat, equus adſtet, an leo, an chimæra, an aliud quidvis.* Tum vero multus in eo eſt, ut oſtendat, eos nec eſſe originis Hiſpanicæ, nec ad Gothorum gentem referendos. Negat deinde, eos eſſe Gallo- Pag. 43.
rum, aut Hunnorum, aut Saracenorum, reliquias. Confert ſeſe ad Hibernos, Anglos, Scotos, Danos, Suecos. Sed nec inter hoſce invenit patriam illorum. Inter Francos Chriſto aggregatos eis locum haud relinquit. Ruditas & coma, in eis 46
obſervata, ut *Merovingis* prioribus illos tribuamus, ſuadere poſſunt. Equus certe Germanorum in numis fuit inſigne. In numo *Pharamondi* idem fere exſtat typus, qui in illis, quos 48.
vocant Gothicos, conſpicitur. Argumento huic certe multum ineſt momenti. Gratulamur Cl. Autori dignum ipſius eruditione ſpecimen, diligentiæque rarioris documentum, ipſum rogantes, ut de antiquitatibus Germanorum bene mereri ſimilibus ſcriptis pergat.

DEL SANTO ANELLO DI MARIA VIRGINE
al nobile Magiſtrato di Perugia.

id eſt,

DE SANCTO ANNULO MARIÆ VIRGINIS
ad nobilem Magiſtratum Peruſinum.

Peruſiæ, apud Conſtantinum, 1737, 8.

Plag. 3.

Hyacinthus Vincioli poſt *Joannem Baptiſtam Laurum* diligenter de annulo Deiparæ Virginis pronubo, A. 1472 Peruſiam delato, ibique in cathedrali æde recondito, exponit. Comparavit illum a venditore unionum ac pretioſiorum ornamentorum *Ranierius Chuginus*, ab *Hugone* & *Juditha* Pag. 3.
A. 988 Romam miſſus, ac repoſuit in patria ſua, Peruſia ſcilicet, ejuſque æde ſacra, cui a ſancta *Meſtiola* adhæſit nomen.

A. 1473 F. *Wintherius*, Germanus, eum, in patriam reverſurus, clanculum ſubduxit. Ajunt, ipſum haud potuiſſe gradum promovere, antequam eum reddidiſſet Cluſinis. Peru-
Pag. 5. ſini certarunt cum illis, repetituri illum. *Sixtus IV*, litem diremturus, eum transtulit Romam. Pontifex vero *Innocentius VIII* eum reſtituit Peruſinis A. 1486. Sunt, qui eum haud exiſtimant genuinum, ſiquidem uxor Ebræa traditur arrhabone, haud annulo, a novo marito ſibi deſponſata. At reſpon-
10. det Noſter, arrhabonem annulo conſtitiſſe, ob *Gen. XXXVIII*,
13. *18*, *Luc. XV*, *22*, *Jac. II*, *2*, annulumque fuiſſe in Ægypto geſtamen Regis, ob *Gen. XLI*, *42*, ac in Syria, ob *1 Macc. VI*, *15*. *Tertullianus* jam meminit annuli pronubi *Apol. Cap. 6*, nec
17. non *Iſidorus XIX*, *32*, & *Clemens Alexandrinus Pædagog. III*, *11*. Ebræis mulieribus fuiſſe annulos familiares, intelligitur omnino ex *Exod. XXXV*, *22*, & *Judith. X*, *2*, *3*. At Aquicinctini apud Belgas, & Semimurenſes apud Mandubios, æque gloriantur
35. de eo, quod tenent annulum pronubum *Mariæ* Virginis. Reſpondent illi, quorum intereſt, plures ad formam primi fuiſſe confectos, ac prototypum referre, nec tamen ideo veneratione indignos, ob *Num. XXI*, *9*, *2 Reg. XIII*, *21*, & *Act. XIX*, *12*, &c. Approbant ipſi illud *Franciſci Suarezii*: *Si in-*
39. *terdum materialiter erretur*, *nulla erit culpa*, *cum bona fide & prudenti modo procedatur*. - - *Et pie credendum eſt*, *non permiſſurum Deum hujusmodi errores in publico cultu*. Nos ve-
41. ro judicium nullum facimus, ſed, illud Lectori permittendum eſſe, exiſtimamus.

INITIA RELIGIONIS CHRISTIANÆ INTER Hungaros, Eccleſiæ orientali aſſerta, eademque a dubiis & fabuloſis narrationibus repurgata. Diſſertatio hiſtorico-critica, Autore GABRIELE DE JUXTA HORNAD, Hungaro.

Francofurti & Lipſiæ, 1740, 4.

Plag. 10½.

Duce & monitore Celeb. *Martino Schmeizelio* Autor Cl. ad res Hungaricas cognoſcendas, altiuſque repetendas, viam olim

olim fuit ingreſſus. *Melchioris Inchoferi*, e Societate Jeſu, Annales eccleſiaſtici regni Hungariæ Romæ A. 1644 forma maxima editi ſunt. *Tomus alter* referendus eſt inter libros promiſſos, ſed nondum editos. Autor eos haud magni pendit, licet rariores, nec inventu faciles, eo quod rebus peregrinis ac civilibus, fabulis putidisque conjecturis, & contumeliis in noſtros, ibi plena ſint univerſa. Hungaros Seculo demum X ac XI, abjecta ſuperſtitione, Chriſto dediſſe nomen, quis ignorat? S. *Stephanus* & *Geyſa* Reges initia Chriſtianæ doctrinæ Hungaris impertierunt. Lex S. Regis, eo fine condita, exſtat in *Decretorum Lib. II Cap. 34*, in *Corpore Juris Hungarici* ad calcem *Bonfinii*, ex editione *Sambuci*. Pag. 2. *Stephani* legem inſtauravit S. *Ladislaus Lib. I Cap. 7 Decretorum*. Sunt, qui ardorem *Stephani* transferunt in uxorem ejus *Giſelam*, *Henrici II* Imperatoris filiam. Omnino *Hermannus Contractus* id quidem cauſæ ignorat. *Sigebertus* vero, *Avantinus*, & *Krantzius*, eam ſtabilire cauſam ſtuduerunt, quam quidem enarrationem Noſter repudiat & refellit. *Stephanus* certe ante 4. nuptias illas initas jam Chriſtianæ religioni dederat nomen, a S. *Adalberto*, Epiſcopo poſtea Pragenſi, aqua luſtrali imbutus. Factum id eſſe debuit ante annum 997. Matrimonium illud in annum circiter 1002 incidit, quo *Stephanus* jam in Hungaria Epiſcopos conſtituerat. Gens Hungarorum ipſa diu ante nuptias illas Chriſto ſeſe aggregarat. Epiſtola a *Pilgrino*, 7. Laureacenſi Epiſcopo, A. 975 circiter ad *Benedictum VII* P. R. data, teſtis hic eſt exceptione major, unde conſtat id etiam, patrem *Stephani* in numerum Chriſtianorum eſſe referendum, cui nomen erat *Geyſa*, ſuffragantibus Hungarorum, Polonorum, Bohemorum, ac Dalmatarum, ſcriptoribus. Rejicit revincitque Autor teſtimonia ementita *Bonfinii*, *Inchoferi*, 9. *Chartuitii*, *Baronii*, & *Timonis*, quibus hi *Geyſam* gravare haud 12. omiſerunt. Quæritur vero, undenam Hungari prima religionis Chriſtianæ ſemina hauſerint. *Geyſam*, ab Angelo monitum, ea excepiſſe, fabuloſum eſt & errore plenum. Byzantini ve- 19. ro ſcriptores, *Cedrenus*, *Zonaras*, & *Jo. Scylitzes Curopalates*, memoriæ prodiderunt, imperante *Conſtantino VI Porphyrogeneto*, *Leonis* Philoſophi ex *Zoe* filio, Duces Hungarorum Conſtantinopolin acceſſiſſe, nominatim *Buleſudem* & *Gylam*,

ac Chriſtiano ritu initiatos, liberaliterque ab Imperatore acceptos, domum revertiſſe. *Gylas* traduxit *Hierotheum*, Monachum, Conſtantinopoli ſecum, quem *Theophylactus*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Epiſcopum Hungariæ rite ordinavit, ut ejus opera in gente ſua Chriſto admovenda uteretur. *Bulosudes* & *Gylas* quidem a Græcis illis ſcriptoribus vocantur *Turci* & *Turcorum Duces*. *Zonaras* vero & *Cedrenus* luculente teſtantur, Hungaros ea ætate a Græcis appellatos fuiſſe Turcos, illosque Iſtrum accoluiſſe. *Chrovatos Cedreni* eſſe Servios, Au-
Pag. 23. tor egregie oſtendit, indicans præterea, univerſam Hunnorum gentem tum Turcis annumeratam fuiſſe. Id haud minus
25. eſt memorabile, *Saroltam*, *Gyulæ*, Ducis Hungarorum, filiam, nuptum traditam eſſe *Geyſæ*, & ex ea natum fuiſſe *Stephanum* Regem. Contendit Cl. Autor, *Gyulam* hunc eſſe *Gylam* Ducem, qui Conſtantinopoli nomen Chriſto dederit. Addit idem, *Gyulam*, ſeu *Gylam*, præfuiſſe Tranſilvaniæ, ac imperio eam ſuo obtinuiſſe, & ex ejus nomine dictam fuiſſe urbem *Gyula-Fejérvár*, id eſt, *Juliam Albam*, nuper a *Carolo VI* glo-
29. rioſe amplificatam. Poloni quidem aſſerunt, *Geyſæ* uxorem poſteriorem, *Adleidem*, *Miecislai I* ſororem, perſuaſiſſe mariro, ut doctrinæ Chriſtianæ nomen daret. At recentiores hi ſunt, quam ut ipſis fides, invitis Græcis, ſit habenda. Du-
32. ces vero ipſi lavacrum ſalubre ſuſceperunt A. 956, quippe quo *Theophylactus*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ex hydrope debitum reddidit naturæ. Hæc cum Autor expoſuit, ex profeſſo oſtendere laborat, religionem Chriſtianam inter Hungaros
34. miniſterio Eccleſiæ orientalis primum diſſeminatam fundatamque fuiſſe. Quod quidem opinionis ſuæ momentum corro-
38. borat ex veſtigiis rituum Græcorum apud Hungaros, ex forma diadematis regii Hungarici & crucis Hungaricæ, ex Legenda *Chartuitii*, ex poteſtate agendi Synodos ſacras Regibus propria, ex conjugiis Clericorum etiam poſt interdictum *Gregorii VII*, & ex antiqua jejunandi ratione. *Silveſtri II*, Pontificis Romani, literas, ad *Stephanum* Regem datas, eſſe ſuppoſititias, profitetur. *Gregorii VII* ad *Salomonem* & *Geyſam*, Hungariæ Reges, literas eſſe ejusdem farinæ, it copioſe demonſtratum. Rationem vero, cur eccleſiaſtica Hungarorum

res

res circa medium Seculum XI Romanæ cœperit congruere, Pag. 50.
deducit ex varia Regum Hungariæ affinitate cum Germanorum Principibus. Accedit, quod *Stephani* soror, *Ottoni Urseolo*, Venetiarum & Dalmatiæ Duci, nuptum data, *Petrum* genuit, qui *Stephano* in Hungaria succeſſit. Noſtrum eſt, hic de ſcena decedere, ſimul ac unum hoc addiderimus, ſcriptum hoc eſſe ſolidum & frugis bonæ judiciique perpoliti plenum, licet ſingu- 71.
læ ejus momenta ſuffragio noſtro communire haud audeamus.

Schrifftmäßiger Unterricht von der Unſterblichkeit der Seelen, ꝛc.
id eſt,
DE IMMORTALITATE ANIMÆ, EJUSQUE veritate & certitudine, tractatio. Accedit HERMANNI CONRINGII Epiſtola, quæſtionem pertractans, an immortalitas animæ ex lumine naturæ ſolum & certo cognoſcatur. Edidit JO. DIETERICUS WINCKLERUS, Prof. Hamburg.

Vitembergæ, apud Ephraimum Gottlob Eichsfeldium, 1742, 4.
Plag. 5.

Immortalitatem animarum recentiori ætate non ſolum Philo- Pag. 1.
ſophi ex lumine rationis, ſed etiam Theologi ex Scriptura ſacra, affatim demonſtrarunt. Videtur autem Scriptura inprimis in hoc negotio in conſilium advocanda, ex qua quippe pleniſſima hujus rei datur cognitio. Hac mente Cl. Autor totam hanc tractationem ſuſcepit, animarum immortalitatem demon- 8.
ſtraturus. Omnes res creatæ, earumque pulchritudo & ordo, ſummum creatorem oſtendunt, inprimis vero anima hominis gloriam creatoris mirum in modum amplificare poteſt. Animæ perfectio maxima eſt immortalitas, quam multi veterum Philoſophorum temere negarunt. Quod ad hujus doctrinæ certitudinem attinet, 14.
de eo, an illa ex ſola ratione perfecte poſſit demonſtrari, in varias abeunt partes eruditi, aliis affirmantibus, aliis negantibus. Ex ratione hanc immortalitatem non perfecte poſſe demon- 16.
ſtrari, affirmat Cl. Autor, idque vel maxime ex gentilium dubitatione patere arbitratur. Sequitur propterea *Scher-*

lockium, qui, hanc doctrinam omnium optime ex Scriptura poſſe probari, contendit, cui multi alii adſtipulantur, quorum in nu-
Pag. 21. merum etiam *Hermannus Conringius* refertur, cujus Epiſtola tota, nunquam antea edita, inſeritur, quamvis Cl. Editor non ſingula momenta ſuo approbet calculo. Ipſa Scriptura animæ originem luculenter oſtendit, quæ ab animalium vita maxime
26. ſunt diſtinctæ. His jungit alia Scripturæ oracula, quæ immortalitatem animarum demonſtrant, quæ ipſa brevibus illuſtrat, & eorum vim argumentandi oſtendit, nonnullisque dubiis occurrit, quæ contra hanc doctrinam a nonnullis moventur.
34. Fundamentum hujus doctrinæ eo nititur, quia anima eſt ſpiritus & omnis materiæ expers, idque ſatis ex ejus actionibus patet. Laudamus Cl. Autoris induſtriam, qui novo documento, veritatibus theologicis adſtruendis & defendendis maxime ſe natum aptumque eſſe, docuit.

Schrifftmäßige Erörterung der wichtigen Lehre von der Sünde wider den Heil. Geiſt, ꝛc. id eſt, *TRACTATIO, EX S. SCRIPTURA HAUSTA, DE Peccato in Spiritum S., edita a JO. DIETERICO WINCKLERO, Prof. Hamburgenſi.*

Hamburgi, apud Jo. Carolum Bohn, 1742, 4. Plag. 6.

Pag. 1. Multum diſputatum fuit a Theologis de peccato in Spiritum Sanctum, variasque in ſententias iidem abierunt, quando naturam & formam hujus peccati deſcribere inſtituerunt. Non
3. male ſuam operam collocaſſe nobis videtur Cl. Autor, quando §. 2-9 non modo illos nominat, qui hoc argumentum peculiaribus ſcriptis proſecuti ſunt, ſed etiam aliqua ex parte hiſtoriam hujus doctrinæ ex prioribus & ſequentibus Seculis pandit, ex quibus apparet, in diverſas abiiſſe partes Theologos, quando de
13. hoc peccato verba fecere. Cl. *Baumgartenii* Commentatio inprimis anſam dedit Cl. Autori, rem paulo plenius examinandi, & in eo potiſſimum elaborandi, ut illa loca Scripturæ adduceret, in quibus de hoc peccato diſſeritur. Huc refert *Matth. XII, 31, 32, Marc. III, 28, Luc. XII, 10*, docens etiam, minime
14. huc pertinere loca *Ebr. VI, 4, 5, 6, X, 26, 27, 29, 1 Jo. V, 16*. Genus

nus hujus peccati esse ἁμαρτίαν, omnes ex verbis Christi asserunt, quamvis etiam nonnulli, propius posse desiuiri, putent, si dicatur, esse βλασφημίαν. Plerique hoc peccatum describunt, esse in homine regenito, satis illuminato, & de veritatibus cœlestibus convicto, spontaneam, malitiosam, pertinacem, incorrigibilem, finaliter perseverantem, & propterea irremissibilem, abnegationem doctrinarum cœlestium, abnegatarum impugnationem, impugnatarum blasphemationem, & in hac malitia usque ad finem vitæ perseverationem. Recedit paululum Autor noster ab hisce placitis. Per Spiritum sanctum hoc loco non ejus personam, sed munus, intelligit, & quidem non operationes ejus ordinarias, sed extraordinarias, quod ex historia evangelica illustrare & probare annititur. Ex quibus conficitur, hoc peccatum non solum a regenitis, sed etiam irregenitis, Pag. 33.
posse committi, id quod nonnullis testimoniis Theologorum confirmatur. Quando vero quæritur, cur hoc peccatum non 36.
possit remitti, sunt nonnulli, qui illud difficulter irremissibile dicunt, quod tamen verbis Christi aperte repugnat; sed, absolute hoc negare Christum, recte asserit Cl. Autor, simulque, hanc esse causam, docet, quia ejusmodi peccatores nunquam pœnitentiam agant, & omnia media conversionis respuant, ordinaria & extraordinaria. An hodie tale peccatum possit committi, 45.
alii affirmant, alii negant. Prioribus accedit Cl. Autor, hac tamen cum cautione, ut gradus hujus peccati admittat, & illud moneat, perdifficile esse, eos ostendere, qui tale peccatum commiserint. Judæos tamen præfractos huc hodie posse revocari, largitur, atque simul, scriptores naturalistas & atheos aliqua 48.
ex parte huc referendos esse, non inficiatur. Deprehendet Lector in hac, quamvis parvæ molis, tractatione varias eruditas observationes, diligentia Cl. Autoris sane dignas, quas ita comparatas esse judicamus, ut aliis occasionem præbere possint, hanc peræruditam materiam plenius meditandi.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA DE RITU veteri formulæ applicativæ individualis in sacra Cœna, conscripta a S. M. C.

Lubecæ, sumtu Joan. Schmidii, 1741, 4.

Plag. 8.

Mos

Mos ita exigit, ut Presbyteri diſtribuant panem vinumque euchariſticum in eccleſiis Lutheranis, addita hac formula: *Accipe & ede (bibe), hoc eſt verum corpus (verus ſanguis) Salvatoris noſtri, pro peccatis tuis traditum (effuſum)*. Hanc Autor vocat formulam applicativam individualem in ſacra Cœna. *Bugenhagius* noluit, verba ejuſ-
Pag. 4. modi adjungi diſpenſatis ſymbolis euchariſticis, quemadmodum perſpicitur ex ejus Ordinatione eccleſiaſtica Lubecenſi, Slesvico-Holſatica, Brunſuico-Wolfenbuttelenſi, Hildeneshemenſi, quacum conſentit & Palatina utraque, & Wirtebergica, tum illa, quæ A. 1565, tum quæ A. 1660, prodiit in lucem. Formulam illam, a *Laurentio Marsken*, Lubecenſi Eccleſiaſte, jam A. 1550 tentatam, Lubecenſes
6. demum introduxerunt A. 1647 dominica XIX poſt Trinitatis, licet D. *Wolfgangus Periſterus*, Superintendens Viſmarienſis, A. 1575 Lubecenſibus commendare eam ſtuduerit argumentis quinque. Memorabile eſt, *Periſtori* ex ſententia panem & vinum in actione euchariſtica & ſumtione converti in corpus & ſanguinem Chriſti. *M. Georgius*
23. *Stampelius*, Paſtor ad S. Petri, A. 1611 ſuaſit Lubecenſibus formulam illam peræque, ac ſuaſionem repetiit, cum eſſet jam inſidem Superintendens, A. 1615. At ſurdis narravit fabulam. Commendarunt eam denuo Theologi Vitebergenſes, D. *Leonh. Hutterus*, *Fridericus*
24. *Balduinus*, *Wolfg. Franzius*, & *Balthaſar Meiſnerus*, A. 1616, haud ſecus ac *Nicolaus Hunnius*, Superintendens Lubecenſis, A. 1628 idem tentavit peculiari ſcripto. Eventus autem exoptatus apud Lubecenſes haud fuit conſecutus, donec Superintendens D. *Matth. Hanneckenius* A. 1647, 20 Aug. ritum illum blandis verbis propoſuit, ac miniſtri
27. eccleſiæ magiſtratusque eis vim ineſſe crediderunt. Hanc Autor recenſet *Capite primo*. *Secundo Capite* inquirit, an formulæ ejusdem aut conſimilis veſtigia in doctrinis primæ eccleſiæ reperiri queant. Ex *Tertulliano*, *Euſebio*, & *Hieronymo*, oſtendit, eum, qui Symbola euchariſtica receperit, dixiſſe *Amen*. Ex *Conſtitut. Apoſtol. VIII*, 20, intelligitur, Epiſcopum dediſſe panem, dicendo, *corpus Chriſti*, ſumentemque dixiſſe *Amen*; Diaconum vero ſanguiſſe calicem ac tradidiſſe, dicendo, *ſanguis Chriſti, calix vitæ*, bibentemque dixiſſe *Amen! Auguſtinus* idem reddidit teſtatum. In Eccleſia Orientali diſpenſatores ſymbolorum, ac ſumentes ea, copioſiorem adhibuerunt formulam, quemadmodum Autor ex *Cyrillo* & *Joanne Chryſoſtomo* demonſtrat. Adjungit ille exempla eccleſiæ recentioris & Latinæ & Graecæ eamque plura, in quibus tamen conſenſionis parum ineſt, excepto, quod ſtimonium de gratia ac ſatisfactione vicaria Chriſti univerſali, & de vera ſubſtantialique præſentia corporis & ſanguinis Domini Jeſu, undique concorditer elucet. *Capite tertio* Autor in eo eſt, ut declaret, formulæ applicativæ omiſſionem quidem inſtituto Chriſti haud repugnare, ejus uſum tamen eſſe præſtantem & laudibus dignum. *Capite quarto* tandem cauſas conſcientiæ, formulæ illius occaſione exortas, commemorat, & exponit, expendit. Laudamus Cl. Autoris diligentiam, & de fundo theologico bene merendi propenſionem.

* * *

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi V Sectio VI.

HISTOIRE DES EMPIRS ET DES REPUBLIQUES depuis le Deluge jusqu' à Jeſus Chriſt, &c.

id eſt,

HISTORIA IMPERIORUM ET RERUM PUBLICARUM, inde a Diluvio uſque ad natum Jeſum Chriſtum. Tomi quatuor priores, quorum primo hiſtoria Ægyptiorum, ſecundo Aſſyriorum, Babyloniorum, & Medorum, tertio Thebarum & Athenarum, quarto Argolidis, Mycenarum, & Lacedæmonum, continetur. In hiſtoria Ægypti & Aſiæ conjungitur hiſtoria ſancta cum externa, & in externa Græciæ oſtenditur nexus Mythologiæ cum Hiſtoria.

Hagæ Comitum, impenſis Petri Goſſii, 1735, 8.

Alph. 4 plag. 2.

Venerabilis Abbatis *Guyonii* ac ſociorum jucundos labores reputamus pro viridario cultiſſimo, quod oculis voluptates, animoque fructus ſaluberrimos, ſuppeditat. *Tomis* ſingulis ſingulas *Guyonius* Præfationes, ſeu Introductiones, præfixit. In ea, quam hiſtoriæ Ægypti præmiſit, de utilitate & pulchritudine ſtudii hiſtorici diſſerit, ratus, illo formari mores, inſpirari virtutem ac vitiorum horrorem, doceri notitiam

 & cogni-

& cognitionem hominum, illuſtrari mortalium conſilia & deſtinationes. Deinde regulas tradit, ſecundum quas hiſtoria ſit addiſcenda & tractanda. Prima earum eſt, hiſtoriam ab exordio generis humani & communi fonte eſſe inchoandam; ſecunda, eam eſſe exordiendam a rebus inter populum Dei geſtis; reliquorum enim populorum hiſtorias vel nimis ſera capere initia, vel lacunis laborare. Sola hiſtoria ſacra gaudet initio & filo chronologico, citra quod notitia hiſtorica nil niſi chaos & labyrinthus exiſtit. Addere decet, hiſtoriæ ſacræ hiſtoriam Ægypti, deinde Babyloniorum, Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, & Græcorum. Ante epocham Olympiadum res Græcorum fabulis ſunt involutæ. *Pherecides Syrius* & *Cadmus* Mileſiorum, regnante *Cyro*, oratione proſa ſcribere cœperunt, aliosque docuere. Majores ipſorum in Græcia ſermone utebantur poetico, qui Chronologiam & modulos veræ hiſtoriæ reſpuebat. *Acuſilaus* Genealogiæ ſeſe tradidit eadem propemodum ætate. *Pherecydes*, regnante *Dario Hiſtaſpide*, ſcripſit decem Libros Antiquitatum, & antiquas Athenienſium genealogias. *Epimenides* eundem calcabat tramitem. *Hellanicus*, 12 annis vetuſtior *Herodoto*, hiſtoriam ſuam ſecundum annos & ſucceſſiones ſacerdotum *Junonis* Argolicæ diſpoſuit. Reliqui recenſiones attemperarunt annis vel Regum Lacedæmonum, vel Archontum, Athenis florentium. *Ephorus*, *Iſocratis* diſcipulus, ſecundum progenies, id eſt, 30 annos ſingulos, ſuam hiſtoriam digeſſit. Marmora Arundelliana annis 263 ante Chriſtum natum fuerunt ſculpta, & a *Cecrope* deducuntur. Sed commune Chronologiæ vel Hiſtoriæ filum ea non ſubminiſtrant. Sola hiſtoria ſacra ab initio mundi ad ejus finem ſine ulla interruptione & lacuna progreditur. Hæc Autor in Prolegomenis ediſſerit, ac epitomen hiſtoriæ ſacræ e ſacris Vet. Teſt. tabulis adjungit. Si, rationem tractandi ſummatim indicari, operæ pretium videatur, argumenta hiſtoriæ Ægypti delibabimus. Diſtribuit eam Autor in *Libros tres*. Introductione complexus fuit procemium, introductionem ad hiſtoriam Ægypti, deſcriptionem Ægypti hiſtoricam, Ægyptum inferiorem, mediam, ac ſuperiorem, expoſitionem de Nilo, mo-

res

res Ægyptiorum, Reges, ſacerdotes, religionem, ritum funerandi, leges civiles & conſuetudines, diviſionem terræ ſtatusque, ordinem & ſucceſſionem Dynaſtiarum. *Libro primo* exponit de *Chamo*, de *Mene*, ſeu *Mizraim*, ejus filio, de *Typhone*, ejus percuſſore, de *Baccho*, *Athote*, *Toſothro*, pyramide prima, Dynaſtia Thebanorum, de *Nitocri*, de *Mœri*, de lacu *Mœrios*, de *Siphoa*, ſeu *Athote* ſecundo, *Abrahami* adventu in Ægyptum, de originatione nominis *Pharao*, & incurſione paſtorum, qui e terra fuerunt profligati. In altera tabula chronologica aſſentitur *Furmontio*, ac *Terachum*, *Abrahami* patrem, pro *Urano* habet, Deorum omnium parente. In *Libro ſecundo* Dynaſtia Dioſpolitana *XVIII* & *XIX* exponitur. *Seſoſtris*, Autoris ex judicio, exſtitit ille, qui Judæos admodum preſſit, *Joſepho* defuncto. Eundem exiſtimat fuiſſe vocatum *Seſoöſin*, *Sethonem*, *Sezonthozin*, nec confundendum eundem arbitratur cum *Seſaco*. *Amenophin* ei patrem tribuit. *Seſoſtrim* credit in Chinam, Colchidem, Thraciamque, victorem penetraſſe. Eo regnante, Babylona Ægyptiam fuiſſe exſtructam, & a rebellionis autore dictam credit, in eo autem errat, quod eam inter Heliopolin & Bubaſtum collocat. *Seſoſtrim* in Iſraelitas exſtitiſſe gravem, refert, inductum a ſacerdotibus, qui oderint eos, eo quod polytheiſmo nomen dare fuerint dedignati. Patumon urbem eſſe Peluſium, ex *Marshamo* ſignificat, oblitus *Herodoti*, qui Patumon inter Bubaſtum & Heliopolin poſuit. Succeſſorem ejus vocat *Rhampſen*, *Julium Africanum* in hac Dynaſtia ſecutus. Hunc Regem in premendis & infeſtandis Iſraelitis credit paternis inſtitiſſe veſtigiis. Hiſce pertractatis, natalem *Moſis* miraculi plenum ediſſerit, ab *Athirtæa* ſervati ex undis. Subjunguntur reliquæ res *Moſis*, ac ipſe ex Ægypto ab Iſraelitis inſtitutus tranſitus. *Libro tertio* ediſſeruit ea, quæ ad Reges Ægypti ſunt referenda, ab ætate *Moſis*, cum ſuis egreſſi, uſque ad *Cambyſen* victorem, immo ad *Ochum*, *Nectanebi II*, contra Perſas rebellantis, domitorem. Legimus hunc *Tomum* attente, nec poſſumus non ingenue fateri, ſtilum, compoſitionem, methodum, operiſque aptiſſimam diſtributionem, elogiis laudibusque

Pag. 226 ſeq. 233 ſeq. 246. 247 ſeq.

univerſis eſſe vel pares, vel ſuperiores. Addidit etiam paſſim indicia teſtimoniorum, e quibus ſua depromſit. Sed id diſſimulare non licet, quod pragmatica ſcribendi ratio ſæpius ad fictiones ſit conformata, lectoresque reddat prudentes, & eos jucunditate retineat, licet veritas hinc inde periclitetur. Qui itaque hiſtoriam ita evolvere avent, ut certa ab incertis diſtinguere, & propoſitiones ſingulas fide veterum corroboratas inſpicere, poſſint, eorum eſt, ferculis ſubactioribus quærendis imminere, alibique ſitim ſedare ſuam. Quo ipſo facile intelligimus, quantum interſit, ut ſcriptores, qui fontium loco ſunt, diligenter & conſerventur, & diligentius, quam plerumque fieri ſolet, legantur. In eo autem Autor multum laudis meretur, quod *Seſoſtrin* inter & *Seſacum* curate diſtinguit. Nam *Seſoſtris* aliquot Seculis ante excidium Trojanum floruit, ac ad Dynaſtiam Dioſpolitanam referendus eſt; cum, *Seſacum* duobus Seculis poſt Trojam everſam vixiſſe, & ex Dynaſtia Bu-
Pag. 312 baſtica exiiſſe, evidens ſit & luculentum. *Tomo II* evolvit
ſeq. res Aſſyriorum, Medorum, & Babyloniorum. Reges Aſſyriæ
Tom. II ab *Aſſure*, *Semi* filio, deducit. Succeſſores ei haud adjun-
Pag. 3. git. Deflectit deinde ad *Kedorlaomerum*. *Nimrodum* ſecun-
7. dum, ſeu *Belum*, Ninives Regem, anno poſt diluvium 543 exſtitiſſe credit, cui filium *Ninum* aggregavit. Ut Autor ita
9. ſentiat, haſce affert rationes. Aſſyriorum regnum, teſte *Herodoto*, annis 528 duntaxat perſtitit, & duæ *Nimrodi* fuerunt Dynaſtiæ, in ſucceſſoribus ejus conſpicuæ. *Ninus* Babylonium regnum ſubegit. *Beleſis* vero, regnante *Surdanapalo*,
12. Babylonium denuo regnum condidit ſingulare. *Ninus* condidit Nineven, quam *Herodotus* Tigri adjacuiſſe, *Cteſias* Euphrati proximam fuiſſe, cenſuit. *Moſen* per prolepſin *Gen. X* memoraſſe Nineven, credit Noſter. Succedunt res a *Semiramide* geſtæ, nec omittuntur fabulæ, quibus ejus origo genusque involvuntur. *Ninias*, filius, torpori ſeſe dedit, mollitiemque ejus imitati fuerunt ſucceſſores. *Seſoſtris* ipſis ademit regnum ad tempus. *Perſeus* in Aſiam venit. Partes regni fuerunt diſtractæ, ac *Davides* partem ejus obtinuit. Hæc enarrantur *Libro primo*. *Secundus Liber Sardanapalum*, rebellionem *Arbacis*

cis ac *Beleſi*, exitum belli, prædicationem *Jonæ*, *Tiglatpelaſſarem*, fœdus adverſus *Abaſum* initum, prophetiam *Eſaiæ* de Emanuele, *Salmanaſſarem*, bellum Tyrium, *Semacheribum*, *Aſſaraddonum*, *Saosduchinum*, furores *Holophernis*, *Chinaladanum*, ſeu *Saracum*, a *Cyaxare* devictum, & prophetias, adverſus Nineven pronuntiatas, comprehendit. Autor ea, quæ liber *Judithæ* continet, pro vera habet hiſtoria, & *Nabuchodonoſarum*, inibi commemoratum, credit exſtitiſſe *Saosduchinum*. *Saracus*, a *Cyaxare* & *Nabopolaſſare* rebelle obſeſſus, Nineve expugnata, ſeſe vivum combuſſit. Cladem hanc prædixerat Propheta *Nahum Cap. II* & *III*, eamque repetiit *Ezechiel Cap. XXXI v. 2 ſeq.* Hiſtoriam Medorum *Libris duobus* Autor concluſit. *Priori* deſcribit *Nimrodum*, ſucceſſores ejus, *Ninum*, Babylonem urbem, Euphratem, templum *Beli*, turrem Babelis, palatia, hortos penſiles, canales & lacum, mores Babyloniorum, magnificentiam illorum, mollitiem, luxuriam, ignorantiam, aſtrologiam, & medicinam, Babyloniis approbatam. *Libro poſteriori* exponit de *Beleſo*, *Aſſaraddono*, *Nabopolaſſare*, *Nabuchodonoſore* magno, *Evilmerodacho*, *Baltaſare*, & *Nitocri*, ac de ruina Babylonis, a Prophetis olim prænuntiata. De Medis diſſeruit *Libris tribus*, ab origine Medorum exorſus, ad *Darii Medi* uſque mortem. Adjecta eſt *Diſſertatio de Prophetiis*, qua recenſentur Judæorum improbitates, exilium commeritæ, eiſque oppoſitæ Prophetarum minæ, præcipue adverſus Hieroſolymam, quibus innecti ſolent vaticinia de LXX annis exilii, & de reditu Judæorum. Diſſerit tandem politiſſimus ſcriptor de prophetiis, adverſus nationes populi Judaici inſectatrices directis, ac de ipſo, qui in Prophetis fuit, ſpiritu & afflatu. *Tomus III* hiſtoriam Thebanorum & Athenienſium complectitur. Priorum facta & fata Autor ab *Ogygo* & *Cadmo*, *Agenoris* filio, deducit. *Aſterius*, Rex Cretæ, poſtea dictus *Jupiter*, *Europam*, *Cadmi* ſororem, rapuit, uſus navigio, cujus inſigne fuit taurus. *Cadmus* 16 literas Phœnicias intulit Græciæ. Quæ ad fabulas pertinent, in eis Autor *Bannierum* fuit ſecutus, qui ſcripſit *Expoſitionem fabularum* (*Explication des Fables*). Patet id ex rebus *Inus*, *Phryxi*, *Bacchi*,

Pag. 75 ſeq. 81. 304 ſeq. Tom. III. Pag. 3.

Bacchi, Semeles. Fabulis ſubjunguntur hiſtoriæ accuratiores ad *Sullæ* uſque ætatem, qui Bœotiam vaſtavit, & miſeriis extremis
Pag. 58. afflixit. Hiſtoriam Athenienſium accuratiſſime multaque cum induſtria fuiſſe ſcriptam, facile lectori intelligitur. *Libris quatuor*, quibus ea abſolvitur, ſubjuncta apparet *Diſſertatio*
439 ſeq. *de Ludis Olympicis & Olympiadibus.* Exordium deſumit Autor a *Jove, Saturno* patri bellum inferente, præliumque conferente in Elide ſuper monte, qui erat flumini Alpheo proximus, ac poſthæc collis Saturninus dictus fuit. Olympus eum ibi artibus moribuſque imbuit. Exinde *Jupiter* nomen *Olympii* traxit, ac ipſe mons *Olympius* appellatus eſt. Ibi cum Titanibus curſu conflictuque armorum ſeſe exercuit *Jupiter.* Athletæ ſocii erant Curetes Idæi, quorum princeps exſtitit *Hercules* quidam, qui leges ordinemque certaminum ſanciviſſe fertur, ac, eo quod quinque fratribus gaudebat, ſingulis quinque annis certamen celebrari juſſit. Seculo ſequenti *Pelops* ludos Olympicos inſtauravit. Eos, denuo exſtinctos, reſuſcitaverunt *Hercules, Alcmenæ* filius, *Oxylus*, & *Iphytus.* Corona ex olea monitu *Pythiæ* in præmium victoriæ fuit diſtri-
448. buta. *Cyniſca*, filia inclyti Regis *Agis*, Regis Spartæ, prima exſtitit ſui ſexus, quæ curſu in ludis Olympicis certare ac vin-
Tom. IV. cere ſuſtinuit. Diſſertationem Index concludit. *Tomo quarto* differitur de *origine Mythologiæ*, & *hiſtoria temporum incognitorum.* Ludum latrunculorum, *Schachſpiel*, a Sacis, Aſiæ populis, e quibus Parthi fuerint orti, nomen & ortum habere,
Pag. 11. Autor exiſtimat, quod nobis videtur vero abſimile. De *Acmone, Urano*, ejus filio, filia vero *Titæa*, ſeu *Terra*, ac reliquo Deorum Dearumque grege, ita exponitur, ut ad veriſi-
93. militudinem reductæ fuerint haud unæ explanationes. *Inferos* & *Tartarum* Poetarum de Hiſpania expoſuit, credens, Tartarum latere in urbe *Tarteſſo*, & lacum Avernum dici ex vo-
57. ce אַחֲרִית, id eſt, ab *extremis*, ſcilicet terræ habitatæ partibus.
124 ſeq. Diſſertationi ſuccedit *Nota ſuper Sanchoniathone*, in qua ſumma fragmenti, quod apud *Euſebium de Præparatione Evangelica* exſtat, & argumenta, quibus, id eſſe genuinum, comprobatur, in lucem afferuntur. *Theodoretus* & *Suidas* repe-

tunt

tunt illud generatim, judicio interpoſito nullo. *Voſſius*, P. *Thomaſſinus*, P. *Pezronius*, Abbas *Bannierus*, & P. *Turneminius*, magnam fragmenti partem rejecerunt, ſervatis nonnullis duntaxat momentis. *Samuel Bochartus* nihil excepit, ratus, latere in fragmento deformatam creationis ac Patriarcharum hiſtoriam. Syſtema *Bocharti* ab Autore evertitur variis rationibus. Id inprimis urget, quod in fragmento nulla de diluvio univerſali exſtat mentio. Si itaque temporibus poſtdiluvianis complexum illum tribueris progenierum, *Saturni* & *Jovis* ætas ad decimam generationem rejicitur, & ad illud tempus, quo *Uranus*, *Saturnus*, & *Jupiter*, dudum fuerunt cœlitum in ordinem adſcripti, refertur. Quibus perpenſis, Autor tandem declarat, fragmentum illud nequaquam cum Græcis antiquitatibus in concordiam poſſe adduci, niſi violentis admodum argumentis. An *Furmontio* hæc fuerint oppoſita, dicere jam non habemus. De hiſtoria Mycenarum & Argolidis ſelectiſſimus allatus fuit rerum ordo, quem jam relegere, & floſculos inde decerpere, non licet.

Pag. 127. 128. 131.

Erklärte Offenbarung Johannis und vielmehr JEſu Chriſti, ꝛc.

id eſt,

EXPOSITA APOCALYPSIS JOANNIS, SEU POtius Jeſu Chriſti, ex Græco ſermone authentico reviſo in Germanicum converſa, per numeros prophetico recluſa, & omnibus, qui ad opus & verbum Domini attendunt, & eventuris proxime invigilant, oblata a JOANNE ALBERTO BENGELIO.

Stutgardiæ, impenſis Chriſtophori Erhardi, 1740, 8.

Alph. 3 plag. 8.

Si Lectorem compendioſe in notitiam libri hujus ſatis vaſti introducere fas eſt, eum doceamus oportet, Præfatione, translatione nova Apocalypſeos Germanica, introductione exegetica,

egetica, expoſitione breviori, inciſis ſingulis adjecta, tabulæ Apocalypticæ, ejusque chronologicæ, ſpecimine, cui hiſtoria expoſitionum Apocalypticarum ſubnexa eſt, librum omnem contineri. Molitur Pl. Rev. Autor Annotationes in Nov. Teſt. Latinas ſub titulo *Gnomonis*, quas jam in Præfatione §. 4 Lectori commendat. Proluſit hiſce in *Parte XXIII Famæ eccleſiaſticæ*, ac *Parte X Novorum ac antiquorum regni Dei*. Syſtemata expoſitionum Apocalypticarum Autor in ſex ſpecies diviſit. *Timothei Philadelphi* expoſitio ab ipſo vocatur metaphyſica & theoſophica. Eventus hiſtoricos *Apocalypſi* ineſſe prædefinitos, nemo ambigit. Generalia hic ſectatur *Chriſtoph. Matth. Pfaffius*. Alii, potiora eventa ad œconomiæ novæ, ſeu Chriſtocratiæ, manifeſtationem & continuationem, diei extremo contiguam, pertinere, arbitrantur. *Jacobus Kochius* quæſivit in *Apocalypſi* delineationem hiſtoriæ illius eccleſiaſticæ, quam *Reformationis* appellant. D. *Joachimus Langius* eam ingreditur expoſitionem, in qua reſtant eventus præſignificati exſpectatione digni. Alii vaticiniorum ac viſionum ſeriem ſervant chronologicam, negantes, viſionibus pluribus eundem eventum præſignificari. Diem propheticum eſſe annum unum, Autor negat, indignatus fere eis, qui geſta & acta a *Cap. IV* uſque ad finem *XIX* intra $3\frac{1}{2}$ annos concludunt. Hanc hypotheſin paſſim eradicandam ſuſcepit *pag. 104, 150 ſeq. 318, 345, 369, 408, 425, 619, 687 ſeq. 734, 812, 857*, &c. Ipſe expoſitionem ſuam exiſtimat *veram*, *hypotheſios* nomine haud fœdandam. Calculum ſibi videtur ſubduxiſſe chronologicum, prouti in prophetia juſſum fuit, licet illum ab aliis exiſtimet neglectum. Ordinem temporum ſervat medium, ideoque ſe a veritatis arce credit proxime abeſſe. En ejus ſententias cardinales: 1) *Bellua ex mari adſcendens* eſt Papatus, a *Gregorio VII* inchoatus, *Babylon* eſt Roma ac eccleſia, a puritate veteri disjuncta; 2) *Bellua ex abyſſo* eſt Antichriſtus; 3) eis, qui utramque adorant, ingeritur illud *Væ Apoc. XIV, 9-11*. Chiliaſmum illum, qui in pro-
Pag. 945. xime adventura œconomiæ Chriſti luce ac pietate majori ſolet collocari, adeo haud refugit, ut eum amplectatur. Novitatis ſtudium a ſeſe amoliri ſtudet. Uſibus lectorum conſultum

ivit

ivit generali expoſitione. Perſpicuitati litaſſe ſe, credit, & recenſet fontes obſcuritatis. De methodo ſic monet ſua: *Quantopere ii, quibus methodus mathematica curæ eſt, hic ſibi ſatisfactum fuiſſe credant, ignoro. Studui ſolidæ ac connexæ demonſtrationi, licet nomina haud adſcripſerim demonſtrationibus.* De reliquo ſibi perſuaſit Autor, *Apocalypſin* A. 96 literis fuiſſe conſignatam. Tubas quatuor primorum Angelorum collocat in Pag. 1059.
tempus Seculi II, III, IV, & V. *Væ* primum *Cap. IX* ponit in annum 510-589. Silentium, primo & ſecundo *Væ* interjectum, rejicit in annum 589-634. *Væ* ſecundum collocat in anno 634-840. Annum non-chroni ac Regum multorum (*Cap. X, XI,*) figit in anno 800. Intervallum, ſecundo ac tertio *Væ* interpoſitum, reſtringit ad annos 840-947. Dies 1260 mulieris in deſerto (*XII, 6,*) infantem enixæ, enumerat ab A. 864-1521. *Væ* tertium (*XII, 12,*) deducit ab anno 947-1836. Tempora $3\frac{1}{2}$ ſupputat ab anno 1058 uſque ad 1836. Intra hæc ponit belluam, periodis tribus inſignem, (*XIII, 5,*) bellum cum ſanctis ſub finem chroni (*XIII, 7,*) ad annos 1208 & 1209, ac Angelum æterni Evangelii præconem, (*XIV, 6,*) anno 1614 adſtrictum. In anno 1836 collocat interitum belluæ & non-chroni, ac initium millennii, in quo ſatanas ligatus eſt, & ſancti regnant. Hieroſolymam illam novam (*XXI, XXII,*) fini hujus mundi poſtponit, adeoque regno gloriæ inſerendam credit. Addit præterea ſpecimen hiſtoriæ externæ, ad *Apocalypſin* relatæ, hunc in modum: 1062.

Profligantur ac disjiciuntur Judæi per *Adrianum VIII, 7.*

Irrumpunt Gothi ac exteræ gentes in provincias imperii Romani *v. 8.*

Seculum Arianum *v. 10.*

Imperium occidentale tollitur, *Auguſtulo* devicto, *v. 12.*

1063.

Vexantur Judæi in Perſia *IX, 1.*

Muhammedes ac Saraceni *v. 13.*

Controverſia de imaginibus *v. 20.*

Imperium, a *Carolo M.* inſtauratum, *X, 11.*

Seculum infelix *XII, 12.*

Seculum *Hildebrandinum XIII, 1.* 1067.

Potentia Papæ *v. 5.*

Expeditio cruciata contra Waldenſes *v. 7.*

Potentia Papæ in nationes univerſas *v. 7.*
Adoratio *v. 8.*
Reformatio *v. 9.*
Doctores Evangelici *XIV, 6, 8.*

Inter $3\frac{1}{2}$ tempora, quæ deſcribuntur *XII, 14*, durationem belluæ una cum tribus intervallis, *XVII, 8*, recenſitis, ita judicat interjiciendam:

a. A. 1058 cœperunt tempora $3\frac{1}{2}$.
b. A. 1077 ſurrexit bellua ex mari, ac cœperunt ſeptem ejus capita.
c. A. 1143 belluæ datur poteſtas. Menſes ejus 42 & numerus cœperunt cum *Cœleſtino II.*
d. In A. 1140 ſtatus præſens.
e. A. 1744 Papatus *Hildebrandinus* labat.
f. A. 1810 Potentia belluæ, ejus 42 menſes, & ejus numerus, deſinit.
g. A. 1834 ſurget bellua ex abyſſo.
h. A. 1836 exitus durationis & belluæ & $3\frac{1}{2}$ temporum, &c.

Si annum, quo *Apocalypſeos* liber literis fuit conſignatus, ſcopum Chriſti, hieroglyphica ætati *Joannis* familiariſſima, extra dubitationem collocaſſet, & ſolicite introſpexiſſet, atque viſionum ordinem, quem eſſe chronologicum credit, ad morem Prophetis uſitatum expendiſſet, fortaſſe calculos aliter ſubduxiſſet. Miramur ſane, cur menſium illorum 42, dierum 1260, & $3\frac{1}{2}$ temporum, hieroglyphicon ex Theologia Judaica veteri ſtiloque Judaico haud in lucem produxerit. Cur per urbem illam magnam, ad quam Dominus noſter cruci affixus eſt, noluerit intelligere Hieroſolymam *Tito* priorem in *XI, 8*, rationem certe videmus nullam. Urbs illa haud poterat luculentius de-
Pag. 537. ſignari. Ipſe potius ſuſpicatur, eam amplificatum iri, a Judæis ac gentibus, eo confluxuris, augendam. Angelus interpres *XVII, 10*, plane & indubie tradit, ſeptem capita belluæ eſſe ſeptem Reges, ſedem in loco Septimontii habentes, ac jam quinque eorum tunc temporis cecidiſſe. Noſter vero, ea ne tunc quidem exſtitiſſe, credidit, ad *primum Caput* referens Pontifices Romanos inde ab A. 1077, ſeu a *Gregorio VII*, uſque ad *Cœleſtinum V* A. 1294; ad *Caput ſecundum* rejiciens

Ponti-

Pontifices ab A. 1294, ſeu *Bonifacio VIII*, uſque ad *Pium II* A. 1464; ad *Caput tertium* referens Papas a *Paulo II* uſque ad *Leonem XI* A. 1605; ad *Caput quartum* enumerans Pontifices inde a *Paulo V* uſque ad tempus 1744; ad *Caput quintum* rejiciens reliquos, quos ad annum uſque 1836 ſuperfuturos credit. Numerum belluæ, qui eſt hominis, habet pro chronologicæ ſucceſſionis intervallo, licet jam *Irenæus* a diſcipulis *Joannis* traditam acceperit expoſitionem hujus numeri, nempe vocem Λατεῖνος. Terminum excidii, Pontificatui imminentis ex ipſius opinione ad annum 1836, ex ſuppoſitis Sibyllæ verſiculis depromſit. In horum enim libro primo traditur, nomini Ἰησοῦς ineſſe 888; in libro autem octavo docetur, Romæ fatum eſſe adventurum, quamprimum ipſa annos 948, qui numerus voci PΩMH ineſt, ſit completura. Ipſe vero addidit numeros 888 & 948, indeque conflavit annum 1836. An methodo mathematica e firmis principiis per validas & ſolidas demonſtrationes hunc annum excidii ea ratione potuerit determinare, liceat dubitare, donec argumenta, robore præſtantiori inſignia, in medium afferantur. De *Malachiæ* vaticinio, quo Pontifices Romani creduntur enarrati, ita egit Autor, ut eis haud omnem demat fidem, exordiri illa a *Cœleſtino II* arbitratus, nec, Antipapas inde excludendos, exiſtimans. Videtur ex eo etiam aliquid præſidii eruiſſe, quod ad excidium illud, A. 1836 futurum, facere videtur. Singula huc transferre haud licet. De metaphraſi ſtrictim dicendum. Hinc inde ea in illam fuerunt ex textu Autoris Græco inſerta, quæ ſuam autoritatem non poſſunt tueri. Dabimus ſpecimina. *Inciſum viceſimum Capitis ſecundi* Autor ſic ediderat in Græco: ὅτι ἀφεῖς τὴν γυναῖκα Ἰεζάβελ, ἡ λέγουσα ἑαυτὴν προφῆτιν καὶ διδάσκει καὶ πλανᾷ τοὺς ἐμοὺς δούλους. Nec ab hiſce diſceſſit in vernacula verſione. At ἀφεῖς Græce haud dicitur, ſed ἀφῇς, quod etiam ibi *Aretas* habet. Conf. *J. C. Wolfii Curas criticas & philologicas in Apoc. II, 20, pag. 466.* Cl. Autor *Alexandrinum* Codicem in *VI, 11*, ſecutus fuit, cujus tamen lectionem merito notaverat *Joannes Millius* in *Prolegom.* §. *1003*. Ad *VIII, 7*, confer *J. C. Wolfii* cogitata *pag. 511 ſeq.* Aquilam exclamantem & dicentem Autor denuo exhibuit

Pag. 1136.

1137.

1141.

in *VIII, 13*, cum tamen vox ἀετῷ pro ἀγγέλῳ merito ſit ſuſpecta, eo quod Deus aquila haud dicitur alias unquam pro interprete ſuo uſus, nec aquilæ alibi angelis interpretibus miſcentur. Conf. *Wolfium* eundem *pag. 513 ſeq.* Omittimus alia. Diligentiam Pl. Rev. Autoris, ejuſque ſcopum, qua ſalutarem, prædicare haud intermittimus. De ipſa vero ejus Apocalyptica hypotheſi judicium nunc nullum interponimus, ne moleſti ſimus Autori, quem ob varia in Philologiam ſacram merita plauſu omnium digniſſimum judicamus. Proxime fortaſſis aliquis noſtrum ſignificabit, quid ipſi de *Apocalypſi*, ejuſque ſcopo ac ſenſu, videatur eſſe ſtatuendum.

M. JOANNIS CHRISTIANI MEHLHORNI, ECCLES. Gelenavienſis, gründliche Erklärung der heiligen Schrifft altes Teſtaments, ꝛc.
id eſt,
SOLIDA EXPOSITIO LITERARUM V. T. divinarum, quæ ex plenioribus epitomis Diſſertationum ſelectiorum, in MENTHENII & IKENII Theſauris alibique legi ſolitarum, ac ex obſervationibus Virorum doctorum, collecta, ac additionibus hinc inde locupletata fuit.
Tomus II.
Lipſiæ, ſumtibus Jo. Chriſtiani Martini, 1739, fol.
Alph. 7 plag. 19.

Utiliſſimæ hujus Collectionis *Tomus II* primordia capit a *Capite Geneſios nono*, ac in *triceſimi ſeptimi* fine ſubſiſtit. Non ſcopi eſt noſtri, ex epitomis ſingulis ſingulas denuo epitomas dare. Oculos tamen circumferre lubet per hoc viridarium, atque hinc inde flores decerpere, & raritate &
Pag. 2. uſu præſtabiles. Edendi carnes datam a Deo poteſtatem, antediluvianis cognitam & uſitatam, confirmari *Gen. IX, 3, Salomo Geſnerus* oſtendit, cauſatus, vires hominum, ſenſim imminutas, alimento carnium indiguiſſe, easque ex animantium, hominibus ſalubrium, id eſt, mundorum, genere fuiſſe deſumendas. Interdictum de vitando ſanguine inter cibos eſſe recentius,

tius, & *Moſaicæ* œconomiæ partem, *Lev. VII, 26*, credit, ea-
propter in Nov. Teſt. abolitum. Iris eſt ſignum fœderis Chri-
ſtum inter & homines, *Gen. IX, 6, Ezech. I, v. ult.* Ante di-
luvium exſtitiſſe iridem, *Geſnerus* negat, cauſam interſerens,
Deum copioſe de ea, tanquam re nova, edidiſſe decretum. Vi- Pag. 33.
tem & vinum diluvium antiquitate ſuperare, idem comprobat
ex *Matth. XXIV, 38*, & *Pſ. CIV.* De ſeptem præceptis *Noachi* 53.
Jo. Friſchmuthus, Jo. Georg. Rœſerus, M. *Gerh. Herm. Mencke-*
nius, triumviri lectiſſimi, diſſeruerunt, quorum cogitata hic 60.
leguntur in compendium miſſa. De creophagia antediluvia- 66.
norum commentati fuerunt *Immanuel Weberus* & *Jo. Andr.*
Dantzius. Georg. Mœbius de Sanguine vetito ad Gen. IX,
3, 4, expoſuit, ratus, Noachidis eſu ſanguinis interdictum
fuiſſe. *De peccatis & pœnis brutorum* expoſuit ad *inciſum* 75.
quintum Jo. Frid. Mayerus. Per carnem omnem *Gen. VI, 12*, 85.
eſſe feras & animantia intelligenda, negat, nec largitur, a bru-
tis animalibus peccata committi poſſe. Reliquias imaginis di-
vinæ eſſe munimentum ſecuritatis humanæ, oſtenſum ivit *Ja-* 94.
cobus Henningius. Poſterius hemiſtichium *inciſi ſexti* expo- 101.
ſuit *Frid. Ern. Meiſs.* De natura fœderis *Noachici* diſſeruit
Campegius Vitringa, atque in ea typum eccleſiæ Nov. Teſt.
quæſivit ob *Apoc. IV, 3*, & ſimilitudinem typi ac antitypi. *Va-* 105.
lentinus Friderici diſputavit de Iride, ſigno fœderis æterni, cum
creaturis omnibus animantibus initi, ratus, iridem jam ante dilu-
vium apparuiſſe, poſtea vero demum in ſignum transiiſſe, divi- 111.
nitus conſtitutum. *De Chamo maledicto* noſtras olim *Ge. Philip-*
pus Olearius ita expoſuit, ut in recepta acquieverit opinione, 132.
eamque contra *Hermannum van der Hardt* ac *B. H. Witterum*
defenderit. Sententiæ *Hardtianæ* examen & cenſuram quo-
que ſuſcepit *Caſpar Calvœrius* in *Gloria Moſis*, unde potiſſima
argumenta huc fuerunt translata. *De prophetia Noachi Fran-* 169.
ciſcus Fabricius ad *Gen. IX, 25, 26, 27*, expoſuit. De habitatio-
ne *Japheti* in tabernaculis *Semi* diſſeruit *Abrahamus Calovius.*
De originibus gentium ad *Gen. X* commentati fuerunt *Salomo*
Geſnerus, *Heideggerus*, *Matthæus Hillerus*, aliique. De In-
ſulis gentium ad *v. 5* conſulendus eſt *Ægidius Strauchius.* De
Chamo, ſcientiarum autore, expoſuit *Guſtavus Peringer Lillie-*
blad,

blad, Suecus; de populis ex *Chamo* oriundis *Heideggerus*; de *Nimrodo*, Monarcha primo, *Jo. Andr. Habichhorſtius*; de *Nimrodo*, forti venatore, *Jo. Mich. Langius* & *Jo. Georg. Spahnius*. De Philiſtæo exule commentatus fuit ad *Gen. X, 13, 14*, *Matthæus Hillerus*, errans in eo, quod Caphthorim habet pro Cappadocibus Aſiæ. *Samuelis Bocharti* hic potius opinio eſt ſequenda, quippe probabilior, cujus *Phaleg* ad *Gen. X* &
Pag. 204. *Witteri* Commentarius ſuo jure conſuluntur. De progenie Semitarum diſſeruit *Heideggerus*. In *Caput XI* exſtat Diſſerta-
209. tio *Sal. Geſneri*. De ortu linguarum contra *Hermannum van der Hardt* diſputavit *Caſpar Calvœr*. Lubet hic conferre *Vi-*
234. *tringam*, qui medio tutiſſimus ivit. De lingua protoplaſtorum, in linguarum confuſione adhuc inviolata, diſſeruit *Auguſtus Pfeifferus*. Linguam primam eadem ratione expoſuit
240. *Ern. Chriſtianus Schrœderus*. De turri Babel dixit *Jo. Joachimus Zentgraſius*; de confuſione linguarum Babylonica
268. *Georg. Dav. Ziegra*; de miſtione linguarum *Jo. Andr. Quenſtedt*; de gentium diſperſione *Heideggerus*, nec non de
295. Patriarchis Chaldæis. Autor Anonymus de *Sarah*, *Abrahami* uxore, expoſuit. De Ur Chaldæorum diſſeruit *Chriſtianus Wagnerus*, quam non ad Euphratem, ſed in Syria Chalybonitica, putamus figendam, Chaldæorum veterum ſede. *Sal.*
307. *Geſnerus* integrum *Caput XII* illuſtravit; *Jo. Henr. Ruſſius Abrahami* evocationem ex Ur; de promiſſione *Abrahæ* facta, hujuſque juſtificatione, *Jac. Heerbrandus*; de Chriſto ad *Gen. XII, 3*, *Sebaſtianus Schmidius*; de *Abrahami* itinere in Cananæam
337. Anonymus. De loco Charan conferri poteſt Cel. *Jo. Chriſtoph. Harenbergi* Commentatio, hiſce *Actis A. 1740 Menſ. Martio* in-
341. ſerta. Elon Moreh, ſeu Mamre, eſt planities ad Mabartham, ſeu Mamortham, id eſt, Sichemum, prouti *Adrichomius* jam perſpe-
346. xit. Vocem *Elon Henricus Klauſingius* exponit per planitiem, quercubus conſitam. אילום ſemper eſſe quercus, liceat negare. Sæpius notantur ea voce *primores*, ex אוּל *primo*, apud Arabas reſiduo. Unde אולי הָאָרֶץ *2 Reg. XXIV, 15*, ſunt *primores regionis*. Arietes quoque vocantur אילים, quia ſunt *primores* & *duces* gregis. Arietum ductorum ſymbolo olim venerunt magiſtratus ſummi ac Reges. נְבִיאֵלִים.

אֵלוֹן vocantur *Pſ. XXIX, 1, filii procerum.* Elon eſt tractus campeſtris, Αὐλὼν apud *Athenæum Dipnoſ. Lib. V pag. 189, Dionyſium Byzantinum de Thracio Boſporo pag. 7 Vol. III Jo. Hudſoni,* & *Judith VII, 7,* nec non *Euſebium* & *Hieronymum de Locis hebraicis.* Conf. *Relandi Palæſtinam I, 55, pag. 364.* At tela eſt pertexenda. De *Abrahamo,* matrimonium diſſimulante, expoſuit *Chriſtianus Carolus Stempel,* eumque gemini peccati (falſiloquii) incuſat. Ad *plagas magnas Pharaonis Gen. XII, 17 ſeq.* propius intuendas ſeſe accinxit *Jo. Zach. Hilligerus. Caput* totum *XIII* ediſſeruit *Salomo Geſnerus,* nec non *XIV.* Quinque Reges Sodomitis graves ex Syria debuiſſet arceſſere. Ipſos Babylone & ex Perſia advenisſe, exiſtimat. *Melchiſedecum* miſſatico ſacrificio peracto eſſe illuſtrem, argumentis haud unis inductus, negat. Quicquid *Heideggerus* de bello Pentapolitano & expeditione *Abrahami* expoſuit, hic denuo legitur compendioſe. Mirum ſane, Diſſertationem *Chriſtophori Cellarii* hic in cenſum haud veniſſe. *Guil. Wilckii* de *Asphaltite* ad *v. 3* collectanea huc appoſita fuerunt, quibus antecellunt ea, quæ *Hadrianus Relandus* habet in Palæſtina. *Matth. Hillerus* ad *v. 5* de antiquiſſima Gigantum ſede, eorundemque ſedibus, egit. *Rephaim* fuiſſe gigantes, merito negatur. Ipſorum nomen deſignare *mortuos,* explodituri jure eodem. Dicuntur ipſi a progenitore quodam *Rapha,* unde בְּנֵי רָפָא vocantur. Vocem שָׁוֵה eſſe incognitam, credidit *Hillerus.* At ſubeſt notio *ſpeculæ,* ſeu *turris.* De loco Dan ad *Gen. XIV, 14,* adverſus *Spinozam* diſſeruit *Chriſtophorus Wollius,* ratus, alterum alveum initii Jordanis vocatum fuiſſe Dan. *Melchiſedecus,* tam ratione hiſtoriæ, quam figuræ, controverſiſſimus, exercuit *Andr. Dan. Habichhurſtium.* Vocem ἀγενεαλόγητος, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, recte is expoſuit de defectu genealogiæ Leviticæ. *Melchiſedecus* ab injuria *Petri Juriæi* defenſus prodiit ex officina *Jo. Chriſtophori Wichmannshauſen. Melchiſedecum* fuiſſe *Chamum,* finxiſſe *Juriæum,* conſtat. De *Melchiſedeco,* ab *Henrico Hulſio* minus feliciter in *Henocho* detecto, *Jo. Herm. ab Elswich* egit. *Melchiſedecum* vivum in cœlos fuiſſe ſubvectum, *Petri Zornii* debilis eſt conjectura, a Collectore rejecta. *Caput XV* denuo univerſum expli-

Pag. 348. 361. 376. 382. 399. 402. 405. 436. 446.

explicavit *Salomo Geſnerus*. De clypeo & magna valde mercede *Abrahami* ad *v. 1* diſſeruit *Adamus Rechenbergius*. Ad *v. 2-5* Pl. Rev. Collector de fide *Abrahami* divinitus confir-
Pag. 465. mata commentatus fuit. De patre omnium credentium, *Abrahamo*, juſtitia imputativa coram Deo juſtificato, expoſuit *Samuel Langius*. De juſtificatione afferuntur ad *XV, 6*, cogita-
480. ta *Sebaſtiani Schmidii*. Vindicias promiſſionum, de Meſſia *Abrahamo* factarum, edidit adverſus *Schmidium*, Pentateuchi
489. vernaculum interpretem, *Jo. Georg. Walchius*. Fœdus Dei cum *Abrahamo* ſymbolicum illuſtravit *Valentinus Veltheimius*. *Godofredus Jüngſt* de ſanctione fœderis Dei cum *Abrahamo*
509. ſymbolica itidem expoſuit. De fœderibus veterum, per diſſectionem animalium factis, diſſeruit *Jo. Dan. Jacobi* ad *v. 10*. *Jo. Val. Stegmayer* egit de *Abrahamo*, peregrinante cum femine ſuo, ad *v. 13*. Hic annos illos 400 famoſos, *Gen. XV, 13*,
520. & *Exod. XII, 40, 41*, memoratos, ſupputat ab *Iſaaci* natalibus, eoſque finit exitu Iſraelitarum ex Ægypto. Intexuit Pl. Rev. Collector cogitata de felicitate promiſſa *Abrahamo* morituro.
527. De menſura peccatorum impleta *Jo. Georg. Neumannus* diſſe-
534. ruit ad *v. 16*. Ad *v. 18* apparet *Joannis Oldermanni* Diſſertatio *de fluvio Phrath in limite terræ promiſſionis ſeptentrionalis*,
542. quem pro Pſeudo-Eleuthero aut Oronte habet. Sententiam poſteriorem in Geographia ſacra ſtabilire, ac unice vindicare, voluit. At deſtinationes mors inopinata intercepit. Anonymus de decem populis ad *v. 19, 20, 21*, expoſuit. De ſedibus ipſorum conſulendus eſt *Relandus*. *Caput XVI* integrum denuo
551. illuſtravit *Salomo Geſnerus*. De *Hagare* & *Iſmaele* repetuntur hic cogitata *Heideggeri*. De moribus *Iſmaelis* ad *v. 12* meditatio Sinceri Piſtophili (*Oederi*) huc fuit translata. Ad *Cap. XVII Geſneri* Commentarius ſuccedit. *Jo. Winckelmannus*
576. expoſuit de fœdere Dei cum *Abrahamo*; *Deylingius* de vocibus אל שדי ad *v. 1*; *Anonymus* de *Abrahæ* nomine immuta-
600. to ad *v. 5*. Omittimus reliqua. Demorſos ſapit ungues Diſſ. *Zachariæ Grapii* de eo, an circumciſio ab Ægyptiis ad *Abrahamum* fuerit derivata. De hoſpitalitate *Abrahami* ex pro-
627. feſſo Anonymus diſſeruit. *Chriſtophori Cellarii* Diſſ. de Excidio Sodomæ legi profecto digna eſt. *Carol. Gottl. Sperbachii* obſervationes philologicæ paſſim ad hos quoque corym-

bos

bes fuerunt relatæ, *Laur. Schmidio* oppositæ, qui refutationi- Pag. 687.
bus aliorum in modum *Herostrati* sibi nomen acquisivit, vix
dignus, qui refellatur, eo quod a præsidiis interpreti propriis
nudus & linguarum orientalium haud satis fuit peritus. Singu- 716.
lare aliquid habet sententia *Christoph. Aug. Heumanni* de fato
uxoris Lothi non miraculoso. De statua salis disputavit *Caspar*
Calvœr contra *Hermannum von der Hardt*, ac eodem gladio pu-
gnavit contra Cel. *Heumannum* ac *Joannem Clericum*, quo omnes
S. Rev. *Christophorus Wollius* revincere aggressus est. De incestu 728.
Lothi egit Anonymus. De pulchritudine *Sarœ* 90 annos natæ 768.
Salomo Deylingius egregie fuit commentatus ad *Gen. XX, 2. Sper-*
bachii expositio de loco difficillimo *v.* ℵ nobis videtur, quantum
ad postrema, violentiam spirare. Laudavimus suo loco sen-
tentiam *Bostoni*. Obiter monere liceat ad *Gen. XXII, 2*, immé-
rito ibi jussum Dei ad *Abrahamum* ita videri directum, quasi
hic jussus fuerit immolare *Isaacum* in holocaustum. Verba
sunt generaliora & ita explicabilia, nec tamen ex destinatione
Dei: הַעֲלֵהוּ שָׁם לְעֹלָה, *in altum adduc illum ad holo-*
caustum. Haud additur, undenam illud esset sumendum. Ca-
vendum sane, ne, jussis Dei falsiloquia inesse posse, fingamus.
Et hæc est sententia *Jo. Frischmuthi* quoque *pag. 312. Terram*
Morijah a monte Morijah fuisse diversissimam, patet tum ex
intervallo tridui, tum ex silentio scriptorum. *Moreh* & *Mo-*
riah haud videntur dissidere. Moreh autem fuit *Mabartha*,
Mamortha, & *Sichem*, prope quam satis montium erat. *Jo.*
Rud. Osiander in Diss. *de Tentatione Abrahami* nihilo mi- 839.
nus per *terram Moriah* montem, templo postea consecratum,
designatum credidit. Eandem inflavit tibiam *Michael Lie-*
bentantz in Diss. *de Terra Morijah & monte visionis Dei*.
Vim promissionis divinæ *XXII, 18*, solide vindicavit Ven. *Jo.* 850.
Georg. Walchius adversus *Laurentii Schmidii* interpretationem. 856.
Quantum ad Dissertationem *Jo. Christoph. Wichmannshau-* 875.
senii de Chebrone, Gigantum domicilio, ad *Gen. XXIII, 2*, attinet,
procul dubio B. Autor confudit Chebronem, Sichemo ad-
jacentem, cum australi. Non prope hanc, sed illam juxta
Sichemum, ipso *Stephano* teste, *Sarah* & Patriarchæ fuerunt

ſepulti. Utrique nomen priſcum *Arba* adhæſit, & communem conditorem. Niphilæi borealem incoluere *Num. XIII, 22, 33*, viri inconditæ ac extraordinariæ ſtaturæ. Geraram in hiſtoria *Abrahami* & *Iſaaci* eſſe locum prope mare haud procul a Cades, Rhinocoruram ſcilicet, nemo huc uſque obſervavit. *Iſmaelem* æterna ſalute donatum eſſe, *Salomo Geſnerus*
Pag. 935. colligit ex *Gen. XXV, 17.* Verba *v. 18 Heideggerus* per ellipſin
946. vocis גֹּרַל exponit: *e regione omnium fratrum ſuorum cecidit* ſors habitationis ejus. Curioſa eſt M. *Nicolai Benedicti Paſcha* Diſſertatio *de Quæſtione: an Eſau fuerit monſtrum?* Erudita eſt *Jo. Guil. Bateri* tractatio *de Odore veſtium Eſavi, ad Gen.*
1015. *XXVII, 15, 27.* Ipſum vero odorem gratiſſimum ex itinere venatico eis inhæſiſſe, Autori haud accredimus, rati, Palæſtinos aromata ac odores veſtibus indidiſſe ad autoritatem ſibi conciliandam, ac inde eas longe lateque vapores ſparſiſſe jucundos. Dudaim fuiſſe flores fructusque ſilveſtres, hodie ignotos, exiſtimavit *Mich. Liebentanz*, mandragoras ſubeſſe tradidit *Jac. Thomaſius*, negavit id rurſus *Balthaſar Raithius*, denuo affirmavit *Philippus Groſſgebauerus.* Accedimus *Jobo Ludolpho* & *Joanni Simon* in *Arcanis formarum nominum Hebrææ linguæ P. II pag. 678 ſeq.* qui deſignatum putant fructum arboris *Mauz*, ſeu fi-
1167. cus Indicæ, a *Cornelio Brun* delineatum. Cur ita ſentiamus, rationes ſunt in promtu. *Teraphim* fuere imagines Deorum
1181. commentitiorum, judice *Jo. Mich. Dilherro* & *Conſtantino Ziegra*; figuræ larium, judice *Aug. Pfeiffero*; imagines fati-
1225. dicæ, ex ſententia *Jo. Chriſtophori Wichmannshauſenii.* Pl. Rev. *Jeremiæ Friderici Deus Patriarchæ Jacobi colluctator, ab exceptionibus Joannis Clerici vindicatus*, ex officina Phidiæ pro-
1237. diit. Luctam *Jacobi* cum Angelo *Campegius Vitringa*, filius, erudite expoſuit, oſtendens, כַּף יֶרֶךְ eſſe *cavum coxæ, acetabulum, pyxidem, cotylam* Medicorum, & גִּיד הַנָּשֶׁה eſſe
1239. *nervum conjunctivum*, ultra acetabulum progredientem. Addidit Collector, coxam *Jacobi* nec fuiſſe luxatam, nec ſubluxatam, ſed ligamentum arctius fuiſſe acetabulo appreſſum. *Vitringa* ſolide comprobavit, colluctatorem *Jacobi* haud fuiſſe cacodæmonem, ſed ipſum Dei filium. Legatum *Eſavi* deſignari

gnari maluit *Hermannus von der Hardt*, quem *Jo. Henr. a Sce-*
ten refellit. *Chriſtoph. Aug. Heumannus* putat, in eo con- Pag. 1245.
ſiſtiſſe colluctationem, ut filium Dei abiturum *Jacobus* preci-
bus retentare ſtuduerit. At certamen acceſſit, quo ligamen-
tum cotylæ vim quandam amiſit. Voci קְשִׂיטָה ineſſe notio- 1248.
nem *numi argentei, qui ſextam denarii partem æquet*, ſibi 1257.
perſuadet Pl. Rev. Collector. *Valentinus Alberti*, *de turri*
Eder ad *Gen. XXXV*, *21*, commentatus, demonſtravit potius,
quid alii de ea ſenſerint, quam quid ſit ſentiendum. De *an-* 1313.
tiquiſſima Idumæorum hiſtoria ad Gen. XXXVI bene meruit
Chriſt. Benedictus Michaelis. Hiobum fuiſſe *Jobabum*, de quo
ſit mentio *XXXVI*, *33*, negavit ſolide S. Rev. *Deylingius*. Epi- 1356.
tome Diſſert. *Wichmannshauſenii de Laceratione veſtium* ad
Gen. XXXVII, *29*, *34*, hic fuit relata. *Sebaſtianus Schmidius*
vocem שְׁאוֹל *de ſtatu ſeparatarum animarum, per peccatum*
ortо, expoſuit. Et hæc quidem ſunt potiora *Tomi* hujus *II* 1394.
momenta. Ut omitteremus expoſitiones nonnullas, nec in-
ſertas paſſim bene multas Pl. Rev. Epitomatoris tractationes,
ſatis exaſciatas, attingeremus, in cauſa fuit inſtitutum noſtrum
& æquitas deſiderii, quo ferimur in Lectores ad Pl. Rev. *Melle-*
hornii vireta dimittendos.

DISSERTATION THEOLOGIQUE ET critique, &c.

id eſt,

DISSERTATIO THEOLOGICO-CRITICA, IN qua ex variis S. Scripturarum locis probatum itur, quod anima Jeſu Chriſti intelligentia quædam pura & glorioſa in cœlo fuerit, priuſquam in utero B. Virginis Mariæ cum humano corpore conjungeretur.

Londini, apud Henr. Crouch, 1739, 8.
Plag. 9½.

Exiguæ molis hæc eſt Diſſertatio, ſed magnam illa maliciam prodit hominis, qui literis eam mandavit. Index men-

titur, *Londini* hanc formis deſcriptam eſſe; quanquam iſta quidem urbs fœcunda monſtroſorum ingenii fœtuum parens & liberalis obſtetrix omni fuerit tempore. Sed *Hagæ Comitum* libellus ille typis exſcriptus fuit, ut *Sam. Crellius* in literis, ad S. Rev. *Joach. Langium*, Theologum Halenſem, datis, præ ſe tulit ac teſtatus eſt. Autor vero lucifugus eſſe, & in tenebris malæ cauſæ ſervire, voluit. Famoſus ille interpres *Wertheimenſis* eidem, quæ hic proponitur, opinioni faviſſe videtur; certe veſtigia ejus in noſtra vernacula, quam confecit, librorum *Moſaicorum* converſione perſpeximus, niſi noſtra nos fallit, qua ducimur, conjectura. Rem verſio Novi Teſtamenti, ſi quam parare & in lucem protrahere potuiſſet, certius doctura fuiſſet. Sic vero, non adverſante fortaſſis Minerva, ſuſpicari poſſemus, vel hunc ipſum hominem, vel aliquem ejus amicum, libellum iſtum, tanquam præcurſorem, emiſiſſe, ut audiret, quid, eum legentes, viri dicerent eruditi. Quodſi hæc nos fallit opinio, quam ſine tripode concepimus; in eo tamen haud fallimur, ignotum Autorem ex *Fauſti Socini* unum eſſe familia. De eo enim non multum nos laboramus, quod in Præfatione
Pag. 136. hanc a ſe deprecetur contumeliam. Nec novus eſt fumus, quem obſcurus vendit homo, quippe quem pleno jamjam ore olim vendiderunt *Apollinariſtæ*, & nuper *Guil. Whiſtonus*, *Eduardus Fowlerus*, *Rob. Flemingius*, & *Thomas Bennetus*, clariſſimi Magnæ Britanniæ viri. Vid. *Act. Erud. Supplem. Tom. IV Sect. II pag. 49* & *pag. 409 ſeq.* Sententia huc redit: anima Chriſti, ante creationem terræ, in cœlo præexſtitit, tum vero, dicto tempore, in corpus ejus, quod ex Virgine *Maria* aſſumſit, de cœlo deſcendit. Fuit illa initio *pura intelligentia*, *glorioſus ſpiritus*, uno verbo, *Angelus*, *natura angelica*,
57. *eaque excellentiſſima*. Inficeta eſt & omnis ſalis vacua tractan-
61 ſeq. di ratio, quam hic perſpicimus. Autor fabulam, quam ſibi finxit, ita proponit, ac ſi Pythius Apollo eſſet, qui ex tripode verſus recitat. Nam non ornat eam, ſed nudam exhibet, ſine ulla ingenii ac veritatis ſpecie. Demonſtrat ſine robore. Ait, quæ cupit, ſine ulla argumentatione; negat, quæ vult, præciſe & ſine ulla exceptione, ſed idoneæ rationes fruſtra

quæ-

quæruntur. Suam ita curatur Helenam, ut, majori navata opera, genuinam Trinitatis explicationem prorſus evertat & conficiat. Nec Philoſophi, nec eruditi interpretis, ſatisfecit officio. Immiſcet nonnulla ex hiſtoria civitatis ſacræ, ſed prolataria parumque exquiſita. *Scherendfeldium* in locum *Schwenckfeldii* ſufficit, & cum hoc, atque item *Marcione*, *Apollinarem*, re male putata, conſociat. Quod ethnici quidam Philoſophi, aliique fanatici homines, de προυπαρξει animæ omnis humanæ, inprimis de ſpiritibus heroum, ſomniarunt, iſtud Autor avidiſſime arripuit, in ſanctiores literas intulit, & ad Servatoris animam vel invitiſſimam traxit. Verum ita ſe gerit homo ubique, ac ſi ſacræ paginæ ſine hoc figmento in ænigma evaderent. Tres commemorat cauſas, quæ ipſum ad hoc dogma impulerint, quavis pluma leviores. *Una* eſt: multi exſtant loci, qui hac ſuppoſitione explicari nequeunt. *Altera*: multi ſunt loci, quorum enodatio, hac ſumta hypotheſi, expeditior redditur. *Tertia*: difficultates, quæ opus redemtionis premunt, hac ratione facillime de medio tolluntur. Jam videbimus, ut cauſam ſuam egerit patronus; cujus nos nomen fugit. Nomen quidem celare potuit, ſed hoc non potuit non declarare, puram ſe minime habere intelligentiam, cum Chriſti animam, quanquam puram aliquam intelligentiam, in ſanctiſſimis tabulis non tantum quæſiverit, ſed & invenerit. Dicta, quæ hanc præexiſtentiam animæ Domini ſupponere dicuntur, hæc ſunt: *Jo. XVII, 5, 2 Cor. VIII, 9, & Phil. II, 6, 7, 8.* Sed, ad prius oraculum *Jo. XVII, 5*, quod attinet, in ejus expoſitione vitium admiſit homo, quod *principium petere* artis ratiocinandi vocant magiſtri. De eo enim quæritur, num gloriam, quam Chriſtus ante orbem habuit, præexiſtens ejus anima habuerit, an vero divina natura. Litem dirimit ipſe S. *Joannes I, 1.* In quo loco tria leguntur: 1) Chriſtus erat jamjam, cum aliquid inciperet eſſe. Ergo æternus fuit. 2) Chriſtus erat ab æterno apud *Patrem*. 3) Chriſtus eſt Deus. Itaque ſenſus loci controverſi non controverſus hic eſt: ſecundum divinam naturam Chriſtus apud Patrem gloriam ante orbem, hoc eſt, æternam, habuit. In

Pag. 108. 5. 6 ſeq.

dictis 2 *Cor. VIII, 9,* & *Phil. II, 6, 7, 8,* nihil eſt, quod ullam divinitatis mutationem in ſe contineat, quoniam de divina Chriſti natura nullum hic veſtigium exſtat. Natura enim humana judicatur, ſecundum quam Chriſtus dicitur ἐπτώχευσε, πλούσιος ὢν, *ut dives eſſet, pauper tamen evaſit.* Sententia hæc eſt: ut haberet Dominus, ſecundum humanitatem, omnem majeſtatem divinam cum carne communicatam; ejus tamen plenario uſu in his terris ſuapte ſponte ſeſe abdicavit. Idem ſenſus eſt in phraſi, ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων κ. τ. λ. Ariani & Sociniani homines univerſum dogmatis Chriſtiani nexum nunquam meditati ſunt. Hinc, ut in proverbio eſt, etſi humilius dictum, ſcopas nobis videntur diſſolvere. Accedimus ad locos, qui multum lucis ex iſta fictione capere cenſentur. Sunt vero hi duo: *Jo. VI, 62,* & *Jo. VIII, 58.* Sed iterum petit principium Vir, qui *Diſſertationem Theologico Criticam* ſine interiori Theologiæ & criticæ artis notitia compilavit. Nam, ſi ſumis, quod tota revelationis a Deo datæ connexio pariter ac præſtantia requirit, Chriſtum verum eſſe Deum, bina hæc dicta ipſa ſolis luce clarius ſplendebunt. Sexcenties hanc ſacroſanctam veritatem *Socini* amicis doctores inculcarunt recte ſentientes. Sed malunt in tenebris vivere homines talpa cæcioresl Quodſi hæc valeret ratio: hic ſenſus verus eſt, quia meus eſt; nonne tandem tot S. Scripturæ ſenſus, quot capita, in lucem prodituri eſſent? An proprium S. Scripturæ ſyſtema iſtam figit ac determinat multitudinem, dum Filio Dei veram tribuit divinitatem? Ex quo fœcundo principio reliqua, tanquam corollaria, manant. Idem ſyſtema declarat, in Chriſto veram humanam inveniri naturam, quæ ejusmodi ſit, ut duplicem receperit conditionem, unam humilem, & alteram glorioſam. Hoc principium, recte, ut S. Scripturæ nexus requirit, intellectum a multis, quæ pertinent illuc, oraculis tenebras pellet.

Sed novus Arianus ſuo ipſe vitio caligat in ſole. Meta etenim, quam in hac conſcribenda Diſſertatione animo deſignavit, eo valuit, ut veram Servatoris divinitatem e ſacris tabulis proſcriptam iret. In hujus autem infeliciter proſcriptæ

locum

locum animam hominis Chriſti vult ſubſtitui præexiſtentem, & pro Angelica quadam natura habendam. Hinc æternam Filii Dei generationem inter notiones refert, quæ inter ſe repugnant. Locutiones ſacras, in quibus Chriſtus Filius Dei ὁ μονογενὴς, ὁ πρωτότοκος item πάσης κτίσεως, dicitur, *Arii* exemplo exponit, vel, ſi mavis, torquet. Nomen Θεὸς improprie Chriſto aptari, non dubitanter, ſed magna cum fiducia, pronuntiat. Hoc ille conſilio bina ſibi petit principia dari, quibus nihil uſquam infirmius reperitur. Unum eſt lex *exegetica*, quam rogat: nomina אלהים & Θεὸς per ſe non denotant *ſummum Deum*, ſed primum *magiſtratibus*, deinde *idolis*, ac denique *Angelis*, attribuuntur. Ex qua concludit: Ergo Jeſus, propter animam ſuam præexiſtentem, quæ Angelica eſt natura, *Deus* dicitur. At enim vero vel hoc novo ſpecimine Socinianus delaravit Autor, ſe in Philoſophia totum alienum eſſe. Nos, qui veritati favemus, eum ex hac edocebimus meliora. Nomen, quod alicui rei vel perſonæ tribuitur, vel ejus exprimit *eſſentiam*, vel ab ejus *accidentibus* petitum eſt. Atque ejuſmodi nomen, quod ipſam eſſentiam exprimit, illi ſoli, cujus eſſentia eſt, convenire debet. Sic *homo* denotat eſſentiam hominis ſolius phyſicam & moralem. Ergo hoc nomen in aliam rem, quæ homo haud eſt, *proprie* cadere nequit. Circulus nomen ſuum a figura nactus eſt propria. Ergo punctum, in circulo fixum, circulus proprie vocabitur a nemine. Ita & vocabulum *Deus*, quod Græci Θεὸς & Hebræi אלהים vertunt, eſſentiam Deo debitam exprimit metaphyſicam, hoc eſt, eius, cui tota divinitatis notio uni ac *proprie*, eamque ob cauſam *primario*, competit. Hinc, qui, præter Deum, hoc ornantur nomine, *improprie* & *ſecundario* illud adſciſcunt. Namque eſſentia divina rei creatæ nulli vere attribui poteſt. Itaque *magiſtratus*, *idola*, & *Angeli*, non propter *eſſentiam* ſuam, ſed ratione *accidentium* habita, *Dei* nomine cohoneſtantur. *Magiſtratus* vices Dei his in terris gerunt. Hinc dicuntur *Dii*. *Idola* ſunt Θεοὶ *Dii*, non φύσει. Ergo etiam propter Θεὸν illam *Dii* audiunt. *Angeli* denique ſunt eximiæ res creatæ, ob eamque cauſam ſingulari honero

Pag. 72. 71 ſeq. 113. 57.

honore digni ac veneratione. Atque idcirco improprium *Deorum* nomen retulerunt. Vides igitur, falſam eſſe legem, quam tulit Socinianus ſcriptor. Quare falſum etiam erit, quod inde concludit, Jeſum, ob angelicam præexiſtentis animæ ſuæ naturam, *Deum* dictum eſſe. *Tria* hic occurrunt, quæ nondum firmiter demonſtravit, neque unquam demonſtrare poterit: 1) *Mariam* ſolum Chriſti corpus in lucem edidiſſe; 2) animam Chriſti præexſtitiſſe ante conditum orbem; 3) Chriſtum ob angelicam animæ ſuæ naturam *Deum* vocari. *Primum* illud ne ſpeciem quidem veritatis ullam habere, reperimus. *Maria* enim *hominem* enixa eſt, hoc eſt, ejusmodi individuum, quod & humano corpore, & humana anima, præditum erat. Ergo anima Chriſti non poteſt angelicæ naturæ eſſe. Quid? quod S. *Paulus* diſertis negavit verbis, *Chriſtum angelos aſſumſiſſe*, *Hebr. II, 16.* *Alterum* itidem a vero alienum eſt. Nam, ſi anima Chriſti ante orbem exſtitit creatum, æterna fuit. Ergo anima Chriſti Deus ipſe fuit, qui ſolus æternus eſt, *Eſ. XLIV, 6*, id quod abſurdum. Nec vero *tertium* in S. Scriptura ſcriptum exſtat. Hoc autem illa decernit clariſſimis verbis: Chriſtus eſt filius Dei proprius. Ergo eſt ejusdem eſſentiæ, quam Deus Pater habet. Ergo & verus Deus, *Jo. I, 1.* Ex quo perſpicuum eſt, *Chriſtum* ob *eſſentiam naturæ* ſuæ *divinæ vere* ac *proprie Deum* nominari, hoc eſt, unam ex perſonis divinis, quæ in communionem unius eſſentiæ divinæ veniunt. Quod *Chriſtus Hebr. II, 9*, βραχύτι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένος, *ad breve tempus angelis inferior factus*, dicitur, id quidem argumento haud eſt, præexiſtentem ejus animam angelicam fuiſſe naturam. Nuſquam enim legimus, eum, *ante nativitatem*, Angelum lucis exſtitiſſe, ut, *per nativitatem*, hoc eſt, corporis humani aſſumtionem, ipſum Angelis inferiorem evaſiſſe, inde concludi poſſit. Sed *modus* a S. *Paulo* aliter explicatur. Namque dicitur ab eo Jeſus, poſt mortis perpeſſionem, gloria & honore coronatus. Ex quo ſequitur, ut iſta ἠλάττωσις in ipſa mortis perpeſſione contigerit. Jam vero ex hiſtoria paſſionis *bina* diſcimus momenta; *unum*: Jeſus, qui paſſus eſt, integer fuit homo, id eſt, anima ratione utente & organico

organico corpore præditus. *Alterum:* Idem Jesus, ut verus Deus esset, divinæ tamen majestatis continuò usu, in extrema potissimum passione, sese abdicavit, dum vel angeli cujusdam egnit confirmatione. Hæc profecto ratio nulla est: Jesus, in extrema mortis perpessione, ad breve tempus inferior angelis evasit. Ergo anima Christi angelus fuit.

Plura dictis addere nihil attinet, præter hoc, *Dissertationem* illam, recitatam a *Laur. Hagemanno*, V. D. M. Hanoverano, ex Gallico Latine conversam, & cum Stricturis aliquot *Thomæ Tennisonii Commentationi de Apparitionibus Dei*, Latine itidem editæ, adjunctam esse.

JUSTI HENNINGII BOEHMERI, JCTI, Potent. Regi Boruss. a Consil. Int. Directoris Regiæ Fridericianæ, ejusdemque Professoris Jur. Ordin. Institutiones Juris Canonici, tum Ecclesiastici, tum Pontificii, ad methodum Decretalium, nec non ad fora Catholicorum atque Protestantium, compositæ; adjecto duplici Indice.

Halæ Magdeburgicæ, impensis Orphanotrophei, 1738, 8 maj. Alph. 2 plag. 5½.

Qui cognitum perspectumque habent, quantum vigiliarum jam per lustra complura Pontificiorum legibus illustrandis consecraverit Illustris *Bœhmerus*, & quantam in iisdem interpretandis sive doctrinam, sive ingenii dexteritatem, ostenderit, illi non poterunt non de his Juris Canonici Institutionibus optima quæque sibi polliceri. Et sunt illæ profecto tam diligenter, tamque accommodate ad usum eorum, qui hæc Jura nosse capiunt, concinnatæ, ut minime sit dubitandum, Celeberrimum Autorem gloriam, tot aliis in hac Juris disciplina laboribus partam, adauxisse mirifice, novumque meritis suis decus addidisse. Non enim id sibi datum negotii existimavit, ut in his, quæ majus illud, & incomparabile plane, *Juris ecclesiastici* Opus complectitur, subsisteret tantum, &, quæ tradiderat ibidem fusius, in compendium redigeret, sed ad ipsum potius Juris Canonici textum respiciens, ex his fontibus hortos irrigavit

ſuos. Nec tamen potuit fieri, quin intra tempus illud, quo *Jus* prodiit *eccleſiaſticum*, complura obſervaret Illuſtris Autor, quæ ipſe neglexerat antea, aut quæ nunc paulo accuratius ſcripta vellet; ideoque prætermiſſa olim ſupplevit in his *Inſtitutionibus*, nonnulla curis poſterioribus correxit, quædam etiam, ubi id neceſſitas exigeret, ex majori Opere adjecit, ut lucem exinde, quæ in Compendio dicta ſunt, acciperent. Et hac ratione, nobis non monentibus, videt unusquiſque, appendicis quaſi loco has eſſe Inſtitutiones ad Juris eccleſiaſtici Volumina. Ad ordinem tractandi quod ſpectat, eundem ſibi elegit Celeberrimus *Bœhmerus*, qui *Raymundo* olim in compilatione Decretalium placuit, quemque compilationes, poſtea ſecutæ, retinuerunt. Hanc ipſam enim methodum ſecundum ſyſtema papale reipublicæ eccleſiaſticæ compoſitam, iisque inſtructam argumentis, cenſet, quæ Pontifex ad ſuam ſolicitudinem traxit, ut non dubitaverit amplecti eandem, & omnibus aliis arbitrariis præferre. Quatuor potiſſimum rationibus eam in rem utitur Vir præſtantiſſimus. Primo enim illi, qui aliam, connectendi hanc doctrinam, viam ſecuti ſunt, deprehenderunt, ſecundum ſchema reipublicæ eccleſiaſticæ eam eſſe ineundam, adeoque in pleriſque acquieverunt in methodo *Raymundiana*, nonnulloſque tantum Titulos addiderunt, qui tamen Decretalium Titulis facili negotio, & ordine convenienti, adjungi poſſunt. Porro, cum Canonum ſancita ſecundum ſyſtema Decretalium explicanda ſint, tutiùs in Titulorum nexu, a *Raymundo* adornato, ſubſiſtunt, ut in evolvendis Decretalium textibus diſcentium manus reddantur expeditiores, neque illis ſemper confugere ad Indicem neceſſe ſit. Tum Decretalium ordo Romanæ curiæ, & Scriptoribus Pontificiis, in deliciis fuit, iidemque *Raymundi* ordinem rudi indigeſtæque *Gratiani* moli prætulerunt. Denique Illuſtris Autor methodum *Raymundianam* ad reipublicæ eccleſiaſticæ ſyſtema tam compoſitam animadvertit, ut ſine labore difficili Juris Canonici elementa ad illam concinnari, quæque deſunt eidem, aliunde ſuo loco addi, potuerint. Ex his tamen nemo ſuſpicetur, adeo *Raymundi* ordine captum eſſe Celeberrimum

Bœhme-

Bœhmerum, ut, nullos in eo nævos, ἀτοπίαν nullam, ipſius ſe obtuliſſe oculis, contendat. Talia ſane obſervavit nonnunquam, quæ electam ejusdem methodum turbant, ſed non defuit huic morbo medicina, quod in Præfatione quibusdam exemplis ſatis luculenter oſtendit. Nos gratulamur ſeculo noſtro tantum Virum, totque in Jura Canonicum & eccleſiaſticum meritis illuſtrem, Deum precati, ut quam diutiſſime rebus ſupereſſe humanis jubeat venerabilem Senem, cujus *Inſtitutiones Juris Canonici* cum reliquis ejusdem Operibus ætatem ferent, & Autoris ſui memoriam ſanctam conſervabunt apud ſeram, ſi talis unquam futura eſt, poſteritatem.

CHRISTIANI GOTTLIEB RICCI REPERTORium locupletiſſimum in JOANNIS FRIDERICI PFEFFINGERI, Reg. Magn. Britan. quondam Conſiliarii, Corpus Juris Publici, id eſt, Vitriarium illuſtratum univerſum, in commodiorem ac pleniorem Operis hujus plane eximii atque præclare elaborati uſum, ordine alphabetico adornatum.

Gothæ, apud Chriſtianum Mevium, 1741, 4.

Alph. 4.

Communi fere applauſu a ſapientibus rerum æſtimatoribus excepti ſunt Commentarii *Pfeffingeriani* in *Vitriarium*, & nos quoque in *Actis* noſtris *A. 1726 Menſe Aprili pag. 174*, & *A. 1731 Menſ. Jul. pag. 333*, ut & in *Supplementis Tom. VI Sect. III pag. 111*, & *Tom. IX Sect. I pag. 44*, juſtas eisdem laudes tribuimus. Sive enim legat Lector amplam optimorum Autorum, qui quasvis materias, ad cognitionem & illuſtrationem Jurisprudentiæ publicæ facientes, huc uſque ſcriptis ſuis varii generis illuſtrarunt, recenſionem; ſive multitudinem & gravitatem perpendat theſium, ex interioribus antiquitatum & hiſtoriarum receſſibus evolutarum, optimo ordine propoſitarum, & maturo judicio deciſarum; ſemper habebit, in

quo operam & laborem *Pfeffingeri*, unius, ejusdemque aliis negotiis distracti, hominis vires fere superantem, magni faciat & admiretur. Sed uno quasi ore desiderarunt huc usque Jurisprudentiæ publicæ guari, quod eximium hoc omnibusque sui generis anteponendum Opus Indice satis locuplete & ad usum Lectorum accommodato haud fuerit instructum. Indices enim *Tomo I, II, & IV*, adjecti non sufficiunt ad id, ut materiæ, sæpe disjectæ, vel alieno plane loco interdum insperſæ, reperiri possent, nisi longa & tædiosa evolutio & revolutio adhiberetur; multæ vero & notatu dignissimæ theses plane fuerant omissæ. Non aliud ergo defectui huic dari poterat remedium, nisi ut quilibet sibi mellificaret, & dispersos flores magno labore in succum & sanguinem converteret. Idem incommodum expertus est Cl. *Riccius*, qui generale in universum *Pfeffingerianum* Opus Repertorium sibi tantum concinnare ab initio constituit, & assidue id operis fuit persecutus. Labor prima sane specie molestus, tractatu durus, eventu vero lætus. Omnes in hoc consentient, qui eundem forsan cum eo meditati sunt laborem. Sed optime perspexit ipse, nullum unquam in rem communem literariam redundaturum esse usum, si quisque sibi tantum se natum esse putaret. Malevolorum sane & lividorum notam merito incurreret, qui, museo omnibus repagulis occluso, sibi tantum viveret, inventa vero & collecta, in abditissimis latebris repositа, muribus, gliribus, putredinique, quasi commendaret. Bonum ergo factum, quod Cl. Autor laborem susceptum, continuatum, & feliciter ad finem perductum, publici usus facere, liberaliter tandem decrevit, quo ipso totum Opus *Pfeffingerianum* multo gratius atque utilius reddidit, & molestias lecta reperiendi penitus sustulit. Ordine alphabetico totum pertexuit laborem; omnes vero quatuor Indices, *Tomo I, II, & IV*, adjectos, in unum, eumque universalem, mutavit, & duplo longe locupletiorem simul confecit. Præterea, cum utilissimas materias, in *Libro IV* a *pag. 279* usque ad *pag. 736* a *Pfeffingero* traditas, in Indice *Tomi IV* plane prætermissas deprehenderit, hunc quoque defectum optima diligentia supplevit, & tanquam spicilegium ipsi messi addidit.

DISSER-

DISSERTATION SUR L' HYDROPISIE de Poitrine, &c.

hoc eſt,

DISSERTATIO DE HYDROPE PECTORIS, IN qua cumprimis data opera probabitur, paracentheſin huic morbo ſemper convenire, & quibusdam in caſibus ad morbum radicitus exſtirpandum idoneam eſſe; Autore BERGERO, Medico Regio, & Decano Facult. Palens.

Pariſiis, apud Jac. Guerinum, 1736, 12.

Plag. 5.

Queritur Doctiſſ. Autor, hydropem pectoris fere neglectum, neque adhuc ſatis exacte explicitum eſſe. Quamobrem ipſe id negotii, nec infauſto ſucceſſu, ſuſcepit, eo tamen potiſſimum conſilio, ut paracenthi pectoris majorem fiduciam conciliaret. Hydrops pectoris, a cujus deſcriptione orditur, Sect. I. vel collectionem ſeri in ipſo pectoris, proprie ita dicti, cavo denotat, & hydrops pectoris ſpeciatim appellatur, vel in mediaſtino, aut pleura, aut pericardio, conſiſtit. Poſtremam ſpeciem, utpote ſibi nondum obſervatam, Noſter plane prætermittit; reliquarum autem hiſtoriam & ſymptomata perſequitur. Pleuræ hydropem nemo adhuc deſcripſit. Quod autem eodem modo, quo hydrops ſaccatus peritonæi, deſcribi is poſſit, nemo facile dubitat. Noſter eundem ſemel re vera obſervavit. Quoniam autem dubius & anceps, hydropsne, an abſceſſus, eſſet, initio fuit, totam morbi hiſtoriam longius recitat, ut ipſe videat Lector, an non cauſam hujus hæſitationis habuerit ſatis gravem. Inciſione tandem per ſcalpellum facta ſerum prodiit, homineque iſto poſt aliquot menſes demortuo, duplicaturam pleuræ a ſe admodum toto fere ambitu divulſam repererunt. Diſtinguitur hæc hydropis ſpecies a reliquo pectoris hydrope difficultate reſpirandi, ſenſim ſenſimque & ſine ſenſu aucta, exacerbatione morbi, decubitu in latere affecto, tuſſi ſicca, inflatione in exteriori pectore ſine notabili tumore, & ſine ali-

Sect. II. quo prægreſſæ inflammationis ſigno. Quando autem de modo quæritur, quo aquæ in pectoris cavum profundantur, hydrops pectoris nunc fit a ſero, quando, intercepto ſanguinis circulo, obſtructa vaſa intumeſcunt, motuque ſanguinis imminuto partes ſeroſæ ſeceduut, & per tenuium in vaſis ſanguiferis tunicarum poros penetrantes, in pectoris cavum delabuntur; nunc autem a lympha, quæ perruptis vaſis lymphaticis exundat. III. Ad cauſas quod attinet, ordinarie hanc vaſorum lymphaticorum rupturam efficiunt ſpiſſa & viſcida lympha, infarctus & obſtructio vaſorum vel glandularum lymphaticarum; ſanguinis vero circulum remorando, ad hydropem contribuit maxime ſanguis ſpiſſus & viſcidus, qui tamen ut potiſſimum in pectore in curſu ſuo impediatur, in culpa eſt compreſſio vaſorum ſanguinis ab abſceſſu vel inſignioribus tuberculis, & reſpiratio, alterationem vehementem & diuturnam vel a veſiculis pulmonalibus compreſſis, vel ab intercepto aeris per bronchia ingreſſu, vel a pulmonum reniſu fortiori, IV. quam ut ab aere dilatari queant, perpeſſa. Ad curandum hydropem fluidum in vias naturales revocetur, & per idoneos exitus reducatur. Commendari ſolent eo fine diuretica, quæ egregiam ſane opem ferunt, ſimulque humores attenuant, item hydragoga fortiora, quæ ipſe Autor initio adhibuit, poſtea autem uſu cognovit, maxime ea eſſe damnoſa, quod ſanguinem, exſiccant, partes ipſius præcipue ſpirituoſas & balſamicas ſubtrahunt, vires exhauriunt, mortemque accelerant. Melior itaque evacuandi ſeri ratio in paracentheſi conſiſtit, quæ non ſolum remedium, ut vocant, palliativum eſt, ſed quibusdam in caſibus radicitus morbum tollit. Aliquando enim hydrops pectoris oritur ex obſtructione & infarctu glandularum, expectorationi deſtinatarum. Hic, quamdiu aquarum profuſio adeſt, medicamentorum vim eludit, nec ſe diſcuti ſinit, quod derivatis aquis faciliori negotio ſuccedit. Quid? quod certis in caſibus adhuc evidentius & proxime ad tollendas ejusmodi pectoris obſtructiones ſociam ferat operam, dum, poſteaquam vix aquæ per artem eductæ manarunt, omnia reſpirationis organa conjunctis viribus ad ſuperandum hoſtem validiori motu agitantur, diaphragma majori

virtute

virtute contrahitur, aer graviori impetu in veſiculas pulmonales irruit, & reciprocus pulmonum motus validius perennat. Utique vero ea operatio certis in caſibus, e. g. inveteratis obſtructionibus, gravi induratione pulmonum, ſcirrhoſis tumoribus glandularum lymphaticarum, irrita vel prorſus noxia foret. Interim nunquam eam differre oportet, quoniam, quo magis procraſtinatur, eo magis ſpiſſus lentuſque redditur ſanguis, & præſtantiores ſuas partes amittit. Multæ hic præceptiones cautioneſque de modo inſtituendi paracentheſin annectuntur. Peracta ea, ad avertendas aquoſas inundationes, ne redeant, congruenti remediorum internorum uſu infarctus & obſtructio tollantur, evacuationes ſuppreſſæ reſtituantur, & ſerum, in ſanguine jam ſupernatans, a pectore ad alia emunctoria revocetur. In adjecta *Obſervatione prima* enarratur hydrops pectoris, per paracentheſin e fundamento, ut vocant, perſanatus, ut nulla prorſus in pectore feroſa colluvies reſtiterit. In *altera* & *tertia* autem memorantur exempla hydrope pectoris demortuorum, qui a levibus & tantum incipientibus obſtructionibus in hominibus robuſtis poſt catarrhos & expectorationem non rite ſuccedentem ortus erat, & in quo Autor, ſi paracentheſis, a ſe commendata, eſſet inſtituta, curationem cauſarum facile, novo medicationis per paracentheſin radicalis exemplo, perficiendam, adeoque vitam ægrotantium conſervandam fuiſſe, ſibi perſuadet.

L' ORIGINE ANCIENNE DE LA PHYSIQUE nouvelle, &c.
hoc eſt,
ORIGO ANTIQUA PHYSICÆ NOVÆ, QUA per Epiſtolas oſtenditur, quid Phyſica recentior commune habeat cum veteri, quantum eandem perfectione ſuperet, & quibus mediis in illum perfectionis gradum elevata fuerit; Autore Patre REGNAULTO, *e Societate Jeſu.*
Tomi III.
Pariſiis, 1734, 12 maj.

Tom. I Alph. 1 plag. 12, ita ut dimidia pars plagularum octo foliis, altera autem dimidia pars quatuor foliis conſtet, Tom. II Alph. 1 plag. 14, eadem plagularum diverſitate, Tom. III Alph. 1 plag. 10, eodem genere plagularum.

Inter Phyſicos alii plus, quam par eſt, antiquioribus tribuunt, alii vero recentioribus ita palmam adjudicant, ut nimis contemtim & abjecte de veterum cognitione phyſica ſentire videantur. Limites igitur æqua lege poſiturus eruditiſſimus Autor, libro hoc demonſtrare laborat, multa doctrinæ naturalis capita, quæ recentiores velut a ſe excogitata ſibi vindicant, jam in veterum reperiri monumentis; multa tamen etiam a recentioribus vere eſſe detecta, quæ antiquiores ignoraverint; ſimulque vias illas perſequitur, per quas recentiores ad novas veritates inveniendas proceſſerunt. Quoniam vero metuit, ne tractatio hujus argumenti nimis dogmatica tædium lectoribus ſit excitatura; alia methodo, eaque jucundiori, uti decrevit. Equidem Phyſicam recentiorem haud ita pridem Dialogorum forma explanavit. Hæc tamen methodus non admodum opportuna videbatur in hoc argumento, quoniam multorum Autorum verba erant recitanda, ſecus atque in colloquutione familiari commode fieri ſolet. Per Epiſtolas igitur in utramque partem diſputatur, quoniam eo temporis intervallo, quod ante intercedit, quam denuo reſcribitur, varios Autores pervolvere licet. *Ariſtus* itaque & *Eudoxus*, qui olim de Phyſica recentiori locuti inter ſe, quorumque Dialogi primum Pariſiis A. 1729 editi, poſtea, Anglice verſi, Londini A. 1731 excuſi, Pariſiis vero A. 1732, eodemque anno non minus, quam 1733, Amſtelodami, denuo repetiti, atque a nobis etiam in his *Actis* haud ſemel laudati, magnoque ſemper applauſu excepti fuerunt, literarum commercium inter ſe inſtituunt, quod ex ipſius Autoris mente pro Dialogorum continuatione haberi commode queat. *Ariſtus*, in lectione Phyſicorum veterum non æque verſatus, ſolos recentiores habet in aliquo pretio, & laudat, neque a præjudicatis opinionibus prorſus immunis eſt, magno tamen diſcendi deſiderio tenetur, &, meliora edoctus, facile ſententiam mutat. *Eudoxus*, qui in perquirendis antiquis pariter ac novis ſcriptoribus phyſicis

fuit

fuit aſſiduus, ſimulque ab opinionibus præconceptis liber, veterum ſcientiam naturalem non contemnendam nimis, neque etiam recentiorum præter meritum nimis extollendam eſſe, aſſeverat. Quem utrumque characterem huic diſquiſitioni optime convenire, Autor arbitratur. *Ariſtus* itaque, in ſeceſſu ſuo admodum amœnō, ubi plurima licebat curioſe obſervare, collocatus, *Eudoxum* invitat, ut, relicta Lutetia Pariſiorum, in eundem ſeceſſum concedat, quo commode in ſolitudine uterque inter ſe philoſophentur. Utque ipſum eo magis alliciat, amœnitates ejus regionis belle admodum velut ante oculos ei ponit, utpote admodum idoneas, quæ Phyſicum capiant, retineantque. Aperit ſimul mentem ſuam, quonam naturalis doctrinæ genere potiſſimum delectetur, docetque, recentiores unice a ſe amari, antiquos in nullo pretio haberi. *Eudoxus*, qui Lutetia diſcedere nequit, init cum *Ariſto* literarum commercium. Laudat Phyſicam, propenſionemque Phyſici junioris, ſimul vero ipſius præconceptas opiniones notat, & monet, Phyſicam recentiorem longe eſſe antiquiorem, quam ipſe crederet, idque, ſi retro ad ipſam ejus originem eundum eſſet, planum manifeſtumque fore, hocque labore percurſum iri non contemnendam hiſtoriæ mentis humanæ partem. Placet *Ariſto* hæc conditio retro eundi uſque ad ultimas Phyſices origines. Ne autem in regionibus veterum a via aberret, *Eudoxum* rogat, ut ducem ſe præbeat itineris. Is itaque *Ariſtum* comitatur per omnes illos tractus, per quos Phyſica inceſſit, antequam pedetentim ad nos veniret, inde a ſuperiori Seculo uſque ad natales Phyſices, ſive Secula maxime remota. Ut vero in ipſa expoſitione eo magis pateret ſive convenientia, ſive diverſitas, quæ inter veteres ac recentiores intercederet, Phyſicorum veterum æque ac recentium ſæpenumero mentionem eſſe faciendam obſervat, & propterea principum ex iis ideam, characteres, ſucceſſiones, ætateſque, præmittere inſtituit. In quorum numero hic commemorantur *Thales*, *Pythagoras*, *Anaximander*, *Anaximenes*, *Empedocles*, *Xenophon*, *Leucippus*, *Democritus*, *Plato*, *Ariſtoteles*, *Theophraſtus*, *Epicurus*, *Chryſippus*, *Lucretius*, *Plutarchus*, *Seneca*, *Plinius*, *Dioge-*

Tom. I Epiſt. 1.

2.

3.

4.

5.

Diogenes Laertius, *Averroes*, *Avicenna*, *Albertus Magnus*,
Epiſt. 6. *Cardanus*, *Gaſſendus*, *Carteſius*, *Kircherus*, &c. *Ariſtus*, etſi
lætatur, ſe nunc perſpexiſſe, quo ordine, quove Seculo, quilibet Phyſicorum præcipuorum collocari debeat, neutiquam tamen ſibi perſuadere poteſt, in recentiorem Phyſicam multa eſſe velut translata ex antiquiori. Quapropter velut in imagine quadam primas lineas Phyſicæ recentioris exhibet, atque *Eudoxum* provocat, ut vires ingenii periclitetur, num quid
7. ſimile in veteri Phyſica reperiri queat. *Eudoxus*, provocatione hac parum turbatus, percurrit cum *Ariſto* ſingulas Phyſicæ recentioris partes ſecundum eum ordinem, quem *Ariſtus* in imagine jam dicta ſecutus erat, oſtenſurus, quid Phyſica recentior veteri in acceptis ferat. Totus itaque in eo eſt, ut, eundo per quælibet Phyſices capita, teſtimoniis cumulate conductis, manifeſto evincatur, & oculis velut exponatur, quo conſenſu, quave doctrinæ concordia, veteres & recentiores inter ſe convenerint, ratione principiorum corporis, poroſitatis, materiæ, formæ, vacui, motus, ejuſque uſus, ſphæræ, terræ, mineralium, magnetis, gravitatis aeris, hydroſtaticæ, ignis, caloris, fermentationum, ignis ſubterranei, aquæ, maris, ejus-
8. que fluxus & refluxus, originis fontium, mechaniſmi, motuſque corporis humani, originis nervorum, principii motus,
9. circulationis ſanguinis, ſenſuum, luminis, colorum, anima-
Tom. II lium, plantarum, & meteororum, planetarum, aſtrorum, ſy-
Epiſt. 10. ſtematum mundi, eclipſium, & cometarum; item ratione au-
11. toris naturæ, & originis hujus univerſi, quam antiquiſſimis jam temporibus a Deo, infinitæ ſapientiæ conditore, deduxe-
12. runt; denique ratione modi mentem ſuam explicandi, & communis plauſus favorisque, ſive quod eadem diligentia & accuratione veteres de argumentis phyſicis diſputent, quam recentiores, atque Philoſophia naturalis priſcis temporibus non minus, quam noſtris, in deliciis fere omnium, atque excellentibus quibusvis ingeniis virisque etiam principibus fuerit
13. ad palatum. *Ariſtus*, in admirationem earum rerum velut raptus, denuo tamen renovat velut & repetit hypotheſin *Carteſii*, ratus, de hac vel nihil, vel non multum, in Phyſica veteri

teri repertum iri. *Eudoxus* vero & *Carteſianæ* hypotheſeos, Epiſt. 14.
methodique, ab illo adhibitæ, prima velut ſemina diverſis in locis veterum diſperſa oſtendit, ita ut tandem in laudes *Ariſtotelis* effundatur. 15.
Ariſtus, quod ægre fert, veteribus tribui, 16.
quæ recentiorum eſſe putarat, accuſat *Eudoxum*, quod prodere videatur præſtantiam, ἕξιν, & commoda Phyſices recentioris, tantum ut antiquæ gloriam reparet & inſtauret.
Hic itaque, ut animus *Ariſti*, commotus quodammodo, ſe- 17.
detur, reſcribit tandem, Phyſicam recentiorem, quamvis multa habeat cum veteri communia, permulta tamen etiam habere ſibi propria. Denuo igitur & eodem ordine ſingula Phyſicæ capita perſecutus, comparatione inter utramque, veterem & novam, inſtituta, hujus vel ſexcentas prærogativas enarrat, quæ in illa deſiderantur. Quorſum exempli cauſa referas, quod veteres corpora intellexerunt quidem certis motuum legibus eſſe obnoxia, recentiores vero has leges determinarunt; quod veteres cognoverunt directionem, attractionem, communicationem, & declinationem magnetis, recentiores vero magis inclinationes vorticesque ejusdem, & cauſas tam admirabilium effectuum, perſpexerunt; veteres maris fluxum refluxumque lunæ adſcripſerunt, recentiores vero detexerunt, quomodo luna fluxum illum efficiat; atque ita etiam in reliquis. Permulta ſcilicet cognitionis phyſicæ recentioris, & veritatum, poſtea inventarum, prima rudimenta diſtracta & diſjecta eſſe, docet *Eudoxus* per diverſa diverſæ ætatis opera; ſemina materiarum, ſyſtematis *Carteſiani*, hinc inde diſperſa, & tantum ingenii præſtantioris ope colligenda, imo re vera jam collecta eſſe; *Ariſtotelem* cognoviſſe effectus ſenſibiles, ſeu phænomena, a recentioribus autem eorum cauſas ſecretas & abſconditas erutas fuiſſe. Poſtquam ita gradum perfectionis, quo recentiores præ veteribus eminere intelliguntur, commonſtravit, *Ariſtus*, cognito eo, fatetur, judicium 18.
Eudoxi eſſe ſanum, & rationi conforme, ſe vero præconceptis opinionibus fuiſſe circumventum. Nobili autem diſcendi ardore excitatus, quærit ex *Eudoxo*, quibus mediis recentior Phyſica in ſublimiorem illum gradum fuerit ſublata. *Eu-* Tom. III.

Epiſt. 19. *doxus*, deſiderio huic ſatisfacturus, id factum eſſe, reſpondet, per examen comparationemque opinionum verarum & falſarum; 20. per culturam, diſquiſitionem, & perveſtigationem Phyſicæ, in natura ipſa magis, quam in monumentis ſcriptorum phyſicorum; 21. per methodum magis congruentem & idoneam; per obſervationes & experimenta; per inſtrumenta nova; per conſtitutiones Academiarum & Societatum literariarum; per Ephemerides literarias. Quibus omnibus ita convincitur *Ariſtus*, ut veritati non amplius obluctetur, ſed ſuas quibuslibet laudes pro meritorum dignitate tribuat, cum Philoſophis cujuscunque ævi, tum Phyſicæ ipſi, cujus beneficio mens velut per gradus ad ſummum naturæ conditorem, autoremque ſuum, extollitur.

PETRI VON HAVEN, M. PH. COMMENTATIO analytica in Epiſtolam Pauli ad Titum, cum Præfatione SIGISMUNDI JACOBI BAUMGARTEN, S. S. Theol. Doct. & Profeſſ. Publ. Ordin. in Academ. Fridericiana.

Halæ Magdeburgicæ, ſumtibus Caroli Hermanni Hemmerde, 1742, 4.

Alph. 1 plag. 1.

Laudabili, noſtrisque temporibus, quæ communi præcipitandorum ſtudiorum vitio laborant, inuſitato, exemplo Clariſſ. *Petrus von Haven*, poſtquam literas ſacras in Academiis & patria Hafnienſi & Julia diligenter tractaverat, aliaſque ſuperaverat peregrinationes, Halam conceſſit, interpretationi inprimis ſacrarum literarum operam daturus. Ut vero publicis ingeniorum arbitris in patria rationes temporis peregre non male collocati redderet, hanc edidit *Commentationem*, quæ & introductionem & expoſitionem *Epiſtolæ, ad Titum* datæ, repræſentat. Summa in partes, & corpus in articulos eſt diſtributum. Voces rariores curate enucleantur, & ad notiones certas adſtringuntur. Doctrinæ & theticæ & morales ſuccincte exponuntur. Obſervationes ubique regnant immiſtæ,

immiſtæ, quæ conſectariorum vel animadverſionum ſunt loco. Senſus literalis examen & determinatio facit proram & puppim. Præfationis Autor, non ſine honore appellandus, edisſerit exercitationes potiores, quibus facultas interpretandi libros divinitus ſcriptos comparatur, ac deinde hiſtoriam occaſionemque Commentationis hujus, quam indicavimus, enarrat. Eos inprimis monitos vult de re ſua rectius agenda, qui, adminiculorum præſidiorumque interpretationis comparandorum ſatis ſtudioſi, ipſum illorum uſum & exercitationem negligunt, atque id agunt, ut, ita inſtructi, interpretes tamen nunquam evadant. Hiſce, qua ſit incedendum, viam commonſtrat, præceptioneſque inſtillat ſequentes: 1) Nemo, niſi neceſſaria & ſufficienti præparatione inſtructus, ad rem tantam accedat; 2) ordine eſt progrediendum, id eſt, a facilioribus ad difficiliora; 3) lente feſtinandum; 4) modeſte & verecunde agendum citra confidentiæ diffidentisque animi nævos; 5) propria diligentia ab aliena ope haud eſt divellenda; 6) interpretis eſt, flagrantiſſimo cognitionis doctrinarum, divinitus in literas relatarum, ardore eſſe animatum. Ad exercitationem ipſam requirit 1) uſum interpretationum alienarum, aut auſcultatione vivorum interpretum, aut lectione interpretationis ſcriptæ, abſolvendum; 2) ſtudium proprium, ad quod recte impendendum ſubſidia nonnulla commendat. Quantis vero luminibus illuſtraretur eccleſia, ſi doctores ejus ad hoſce modulos facti fuiſſent interpretes! Utinam gens poſtillantium eſſet rara avis! Juvat nunc ex ipſo Commentario nonnihil dapium apponere. Ἐπίγνωσιν ἀληθείας ſic expoſuit interpres novus: Ἐπίγνωσις *idem eſt ac* ἔλεγχος Hebr. Pag. 9.
XI, 1, *convictio certa & fiducialis* Eph. I, 17, IV, 13, Col. II, 2, III, 10. *Convictio vero ſit vel per ratiocinium, vel per ſenſus, vel de rebus, quæ ſenſibus haud obviæ, per infallibile teſtimonium alterius, quæ ultima convictio æque certa & viva eſt, ac priores, de qua ultima hoc loco loquitur Apoſtolus.* Per χρόνους αἰωνίους intelligit *ſecula* Vet. Teſtamenti, quorum initium haud accurate poſſit definiri. Ex *Cap. I v. 5* demonſtrat divinam originem inſtituti de certo quodam doctore, certæ cuique eccleſiæ

12.

23.

Pag. 26. cleſiæ minori præficiendo. Clericorum conjugia defendit ex *I, 6.* Presbyteros dici Epiſcopos, nec ullam inter eos initio fuiſſe differentiam, ex *v. 7* it demonſtratum. In ſignificatus
43. vocum exquiſite penetrat, eoſque diſtribuit in partes ſuas. Vocis ἐλέγχειν uſum egregie definit. Fabulas Gnoſticorum, e fabulis Judæorum cabbaliſticis manantes, per μύθους Ἰουδαικοὺς
58. ad *v. 14* deſignari exiſtimat. Πίστιν, memoratam *II, 10*, exponit per *fidelitatem*, quæ ſit perpetuus conatus, vires ſuas ad
89. officia ſua præſtanda, quantum fieri poteſt, adhibendi. Omittimus enucleationem vocum περιούσιος, ἀπειθὴς, ζυγητὸς, παλιγγενεσία, &c. Optamus ex animo, ut, exemplum Viri hujus Clariſſimi a quamplurimis imitatione exprimi, propediem intelligamus.

THEOLOGIA NATURALIS, EX MOTU CORporum demonſtrativa methodo evicta, cum Præfatione JO. PETR. REUSCHII, Prof. Phil. Ord. Jen. Autore GUST. EICHFELD, Cellenſi.

Jenæ & Lipſiæ, impenſis Chriſt. Frid. Gollneri, 1744, 8.

Plag. 21.

Gratulamur ſeculo noſtro, quo mira & uberrima ſeges doctrinarum, pietatem adjuvantium & confirmantium, ſolide feliciterque ſuccreſcit. Inter libros, ad hanc claſſem referendos, hoc ipſum quoque ſcriptum ſibi vindicat locum. Præfationis Cel. Autor, dari ſimplicia ſeu monadas, oſtendit, eorumque naturam illuſtrat. Evincere ſtudet, elementum ejuſmodi ita eſſe comparatum, ut occupet punctum, vimque exſerat, ope cujus arceat ab illo puncto alias ſubſtantias quascunque, & a quacunque plaga accedentes ad illud punctum, ut adeo, ratione loci, extra ſubſtantias reliquas poſitum intelligatur. Elementum unum contingere alterum aut aliam ſubſtantiam, dici poſſe largitur, ſi genetatim vocare velis contactum, cum ſubſtantia ſic præſens fiat alteri ſubſtantiæ, ut nulla ſit ſubſtantia intermedia, ſeu nihil inter illas ſubſtantias interſedat. Vim ſimplicem in conatibus ſuis ad repræſentationes tendere,

tendere, ſumitur ab Ill. *Leibnitio*, quod Cel. Autor rei ipſi ſatis eſſe accommodatum pronuntiat. Vis enim per conatus progreditur ad producendum aliquid. Quod vero eſt aliquid, ſiſtit nobis poſſibile. Quapropter ſimplex finitum ſemper in ſe molitur poſſibilia, eademque ſiſtit. Quoniam poſſibilia illa ſemper mutantur, ipſa ſunt ab ipſo ſimplice & elemento uti ſeparabilia, ita re ipſa diverſa. Quodlibet igitur ſimplex finitum intra ſe producit continuo mutationes, quæ reſpondent poſſibilibus, ab ipſo ſimplice diverſis. Quapropter, cum repræſentationes, quæ in ſimplici perceptiones audiunt, nihil aliud complectantur generatim, quam ea intra ens aliquod, quod reſpondet alii poſſibili, diverſo ab ente alio; generali ſignificatu repræſentationes videntur aptiſſimæ ſimplicium finitorum mutationes internæ. In gradibus tantum fieri poteſt mutatio ſimplicis; unde perceptiones ſimplicium diverſæ diverſi ſunt gradus vis repræſentativæ, in iisdem obviæ. Obſcuriora hæc ſunt, nec ſenſuum ope patent. In pari verſamur obſcuritate, determinaturi externam graduum vim repræſentativam, quæ a cauſis derivanda eſt occaſionalibus. Cum enim ens finitum ſuos habeat limites externos, ultra quos non poteſt conatus extendere; atque generatim id valeat, quod, ubi ſubſtantiale atque vis alicujus entis non eſt obvia, ibi agere nequeat; difficultas quædam objicitur fere inſuperabilis concipiendi animo modum, quo una ſubſtantia intra limites alterius ſubſtantiæ agere queat, ſeu qua ratione poſſit in altera ſubſtantia mutationem phyſice producere, niſi admittere velimus, ſubſtantias, ſibi immediate præſentes, in limitibus extenſionis, etiam transſcendentalis, coincidere poſſe. Exſpectant hæc opem ab ætate ſubſecutura. Hæc Cel. Autor præfatur, laudans ſimul Cl. *Eichfeldi* ſagacitatem ac in meditando acumen, qui ex mundo corporeo, tanquam ex rerum creatarum ſcala, ad Deum ejuſque gloriam concelebrandam adſcendit. Hic libellum ſuum in *Capita* partitus eſt *quatuor*. *Primo* exponit de vi elementorum, *ſecundo* de vi motrice corporum, *tertio* de exiſtentia Dei, *quarto* de Dei attributis. Demonſtrantur ſingulæ ſententiæ argumentis, methodo mathematica conformatis. Ill.

Wolfii

Wolfii paſſim ponuntur, loco fundamenti vel uberioris illuſtrationis, ſententiæ. Nobis haud licet filum Ariadnæum Autoris ſequi, quod recta procedit, egregie & ſolide contextum. Decerpemus duntaxat ea, quæ nobis videntur cummaxime memoratu & repetitu digna. Illos, qui, præter ens phyſicum exſtare metaphyſicum, negant, in limine ſtatim ſolidiſſime re-
Pag. 16. fellit. *Spatium abſolutum* proſcribit. Dari ſimplicia corporum elementa, demonſtrat ex eo, quod compoſitorum ſta-
18. mina in infinitum haud ſunt dividua. Diſtinguit infinitam Mathematicorum diviſionem a phyſica, rebus ipſis congruenti, & terminata tandem. Spatium ipſi eſt identitas rerum, qua-
21. tenus eæ extra ſeſe invicem collocatæ ſunt. Extenſio, ex ejus ſententia, eſt occupatio ſpatii. Scrupulos & opiniones eorum,
26. qui elementa ſimplicia horrent, dextre diſſolvit. Eſſentiam metaphyſicam eſſe primum in ente neceſſariam, & æternam,
32. oſtendit. Omnes ſubſtantias eſſe ſimplices, docet. Hæ enim
35. ſolæ ſunt perdurabiles. Quid ſit ſubſtantia, negat eſſe vel ob-
42. ſcurum, vel incertum. Locum pronuntiat eſſe modum coexiſtendi cum aliis. Tum vero, innumerorum corporum non
45. dari duo perfecte eadem, docet a priori. Quo ipſo ſtabilit decantatum illud principium indiſcernibilium, quo negatur, idem poſſe bis exiſtere. Quo Polytheiſmus profligatur dogmate. Si vero plura penitus æqualia exiſtere poſſunt, inſulſum haud eſt, plures exiſtere Deos. Principium indiſcernibilium jam agnoverunt *Cicero Quæſt. Academ. IV, 18,* & *Plinius XI, 51;* quæ nova prorſus eſt Autoris noſtri obſervatio. Sunt, qui rident, ſimul ac audiunt, Deum in quovis elemento mundi cognoſcere omnem mundum. Ut perſpicias, fieri
48. ſic poſſe, hæc habe Autoris ſcita: *Cum locus uniuscujuſque elementi diverſus ſit a collocatione ceterorum omnium; ille non ſolum locum ceterorum omnium quodam reſpectu determinat, verum etiam, quia a cujusvis gradibus dependet, reliquarum omnium gradus reſpicit. Cum vero locus vi ortum debeat; uniuscujuſque elementi vis varia ceterorum omnium expreſſa tenet. Deus igitur, qui omnia habet ſumma diſtinctione perſpecta, unius elementi vim intuendo, omnia, quæ ceteris omnibus inſunt,*

inſunt, exacte cognoſcit. Varia alicujus exprimere, eſt idem ac repræſentare. Hinc unicuique elemento ineſt vis repræſentativa, qua nempe loca ceterorum omnium æque, ac gradus, exprimit, ſeu in agendo reſpicit. Hæc eſt ſimplicium infinitudo relativa, qua ſingula, innumeris relationibus totum hoc univerſum infinite extenſum repræſentando, omnes omnino ſubſtantias reſpiciunt, ita, ut quævis ſubſtantia ſimplex infinitatis divinæ, quæ abſoluta eſt, ſimulacrum quaſi gerat. Quicquid enim in mundo exiſtit, ad illud ſubſtantia omnis remotiſſime, remotius, remote, propiuſque, propius, proxime, accedit. Omne id, quod Pag. 52.
intuenti alteri varia alicujus exprimit, vocatur ſpeculum. Quicquid igitur alterum repræſentat, id ejus ſpeculum dici poteſt. Elementa igitur per ſuam vim ſingula abeunt in ſpecula reliquarum omnium, omniumque corporum, id eſt, totius univerſi. Deinde demonſtrat, dari univerſalem rerum omnium harmoniam. Addit: *Minime iſta rerum harmonia excludit operationes Spiritus S. in regno gratiæ miraculoſas, ut nonnulli ſibi perſuadent, ſed omnes aptiſſime cohærentes reddit. Omnia enim in* 58.
univerſo phænomena, a Deo ſive naturali, ſive ſupranaturali, nudo præſtanda, ipſe ab æterno ita coordinavit, ut ſibi omnia pulcherrimo nexu reſponderent, ſimilia ſemper exciperent ſimilia. Perfectionis ac pulchritudinis deinde ſuppeditat notiones. 54.
De ſpiritibus finitis ſic ſentit: *Spiritus finiti omnes, ut ſuam libertatem aliaque regendi facultatem pro lubitu exerçere queant,* 65.
ut, omnium repræſentandorum minime capaces, aliquo nitantur limitationis principio, ſuis ſunt circumdati corporibus; requirunt enim præmiſſæ, in cognitione mediata & diſcurſiva formandæ, ut aliqua adſit reſtrictio repræſentationum & typus. Hoc autem ſchema non poteſt non pars eſſe univerſi, & involvere multitudinem. Et proinde, corpus ſit, oportet. Elementis vin- 73.
dicat vim motricem, & oſtendit, cogitationem eſſe mutationem, a motu toto cœlo diverſam. Elementa ſimplicia æque 86.
ac corpora eſſe viva, decernit. Addit, multis interjectis: *Deus, quamvis omnipotens, non poteſt vacuum,* abſolute & omnino tale, *efficere, niſi & impoſſibilia omnipotentiæ ſubjicias.* Cor- 93.
pus a corpore penetrari poſſe, negat. Materia ipſi eſt extenſum,

Pag. 136. ſum, quatenus eſt iners. Eandem virium motricium in univerſo corporeo & non mutatam manere quantitatem, ita oſtendit: *Vires corporum motrices conſtituuntur per vires elementares. Elementa, quamdiu exiſtunt, ſuis viribus exui non poſſunt; vim enim & conatum agendi amittere, eſt privari exiſtentia. Quodſi igitur nulla elementa oriuntur, nulla intereunt, ſed eadem eorum perpetuo multitudo manet, etiam eadem in univerſo virium motricium quantitas ſemper obtinetur ac reſtat.* Adjungit huic argumento demonſtrationes alias, eandemque
147. motus quantitatem omni mundo vindicat, non partibus. Motum omnem eſſe contingentem, decernit. Et hinc quidem, Deum exiſtere, docet. Qui principium rationis negant, ii motum illum contingentem admittere queunt, licet, Deum
151. exiſtere, negent. *Cicero* autem illud jam conceſſit & agnovit *de Fato pag. n. 1237.* Oſtendit poſthæc, cauſam primi motus efficientem exſtitiſſe ens ſimplex, omnia poſſibilia ſibi re-
158. præſentans. Deo vindicat intellectum infinitum, ac probe
161. ſecernit infinitum mathematicum a reali, quod limitis omnis
164. expers *enti in ſe* competit. Unitatem Dei ex principio indiſcernibilium colligit. Deum definiri poſſe ut individuum me-
186. taphyſicum, nec tamen ut logicum, demonſtrat. Chaos *Moſaicum* probabiliſſime exponit *pag. 169 ſeq.* Omnipræſentiam ita definit, ut oſtendat, actionem in diſtans involvere repugnantiam, quia contradictione plenum ſit, aliquid agere, ubi abſumus. Non eſt, quod de attributis Dei aliquid præterea afferamus. Egregie & ſolide omnia extricavit Cel. Autor, cui ſi quid incauti excidere potuerit, quale quid haud animadvertimus inter legendum, id certe ſic erit comparatum, ut incomparabili rerum præclariſſimarum reliquarum evolutione & expoſitione facile compenſetur.

Gedancken von den Steinkohlen, ꝛc.

id eſt,

COGITATA DE LITHANTHRACIBUS,

Autore JOANNE GOTTLOB KRÜGERO.

Halæ,

Halæ, 1741, 8.
Plag. 2½.

EJUSDEM COGITATA DE FRIGIDISSIMA HIEME anni 1740.

Ibidem, 1741, 8.
Plag. 7.

Priori harum Commentatiuncularum adhæret expoſitio, de potu Caffé inſcripta; poſteriori ſubnexa eſt mantiſſa, de rore farinario concinnata. Lithantraces conſtare ex lapide & oleo, mineriſque ſulphure fœcundis annumerandos eſſe, Cl. Autor decernit cum *Linnæo*. Lapis ille eſt ſciſſilis, quocum reſinoſa haud una ſunt commiſta. Qui chimice lithanthracas tractarunt, eos conſtare intellexerunt ex phlegmate, oleo ad ardendum apto, cui ſal acidum eſt admiſtum, ac ex nigra leviſque terra tandem reſidua. Ineſſe eis petroleum, Autor ex gemina demonſtratione oſtendit. Carbones foſſiles originem debere ligno in lapides converſo, cui petroleum ſeſe inſinuaverit, cum Ampliſſ. Conſule Hamburgenſium *Anderſono* pronuntiat. De lithantracum origine idem ſentire dubitat. Incendia, in fodinis eorum exorta, quomodo reſtingui vel ſupprimi poſſint, ſolide oſtendit. Tum vero ipſi cum potu Caffé res eſt, quem Europæi ætate noſtra ingurgitant in modum nectaris plus quam divini. Sic autem diſputat, ut doſturus fuiſſe videatur artem parandi illum potum ſine ullo valetudinis detrimento. Quicquid noxæ vel ſalutis hic potus habet, id vel calidæ aquæ, vel fabis Caffé, eſt tribuendum. Si de poſterioribus ſit ſermo, reſpiciendum eſt vel ad ſal volatile, vel ad oleum pingue craſſumque, vel ad levem terram remanentem. Ex calore aquæ & ſpiritu volatili ſalſo provolant & enaſcuntur vapores, ſudoris origo & conciliator. Ad ciborum concoctionem facere potum Caffé, idem oſtendit, docens, ipſum una vel duabus horis poſt prandium ſumi debere. Nec tamen negat, oleo illi ineſſe rationem, cur ſanguis ex eo diſpellatur, & forti afficiatur motu. Terra illa levi acorem ventriculi exſtingui, tandem ipſe monet, addens, potum Caffé hanc ob rationem hypochondriacis eſſe convenientem. Eum vero tra-

Pag. 4.
11.
25.
28.
31.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

AD NOVA ACTA ERUDITORUM
QUAE LIPSIAE PUBLICANTUR SUPPLEMENTE

BAND 5
LEIPZIG 1745

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ERLANGEN-NÜRNBERG ZUGRUNDE

SIGNATUR: LTG. IX,88.

dit ita esse conficiendum, ut sal volatile ne pereat, ideoque statuit, fabas in vase concluso esse amburendas, seu torrendas, & farinam, exinde commolitam, satis calida, nec tamen ferventi, aqua esse imbuendam in cantharo, quem toral vel mantile
Pag. 35. contegat. Hinc dissuadet suis, ne intemperantius ingurgitent illum potum, nec eum adhibeant densiorem, quo quippe motus peristalticus imminuatur. Ad hiemis illius originem explanandam arcessit subsidia ex positu solis, ex autumni præcedentis diebus frigidioribus, ex crebris aquilonum & euri flatibus, saliumque acidorum in aere copia satis magna. Ex nitro resoluto oriuntur cristalli sexangulares, quales anno ineunte 1740 deciderunt ex aere copiosi. Comparat præterea Cl. Autor hiemem anni 1740 cum anni 1709 hieme. Tandem
98. vero it monstratum, rorem farinatium esse compagem insectorum, quæ foliis arborum sint infesta, & ex una forma in alteram transeant; ipsis inesse sal acre caustícum, intestinis perniciosum; ideoque, ut poma fructusque terræ, antequam eis vescamur, aqua abstergantur, suadet.

CAROLI FRID. SCHOEPFII, P. P. RELATIONES diplomatico-historicæ de Fratribus Domus Sancti Kiliani, ad illustrandas familias Principum, Comitum, Baronum, & Nobilium Germaniæ, compositæ.

Noribergæ, apud Jo. Christoph. Gœpnerum, 1741, 4.

Plag. 11.

Baroni Generosissimo ac Illustri Domino *Reinhardo de Gemmingen* Cons. Autor Opusculum hoc, Germanico sermone exaratum, consecravit, scribere exorsus a S. *Kiliano*, & in Episcopi Wirciburgensis obitu, qui in annum 1400 incidit, subsistens. Recenset vero nomina Canonicorum Basilicæ Wirciburgensis, e Diplomatibus decerpta. Exspectare nos jubet quoque *Partem posteriorem*, qua reliquos Canonicos usque ad ætatem nostram, & tractationem de nobilibus familiis Dapiferorum, atque de Dapiferatus Wirciburgensis origine, exequetur. In Præfatione differit de origine immediatæ Nobilitatis Germa-

Germanicæ, & hanc deducit ex *hominibus boni generis*, quorum in Capitularibus fit mentio crebra, qui ſolent vocari *nobiles homines*, *liberi ingenuæ conditionis*. Qui ætate & autoritate inter eos præſtabant ceteris, dicti fuerunt olim & *nobiles viri*, & *majores natu*. In tractatione ipſa Autor nomina & vitarum ſummam Epiſcoporum Wirciburgicorum exhibet. Canonicis demum A. 1101 adſcripta fuerunt nomina gentilitia, ad quem memorantur *Albertus Advocatus de Grumbach*, Pag. 16. *Helmericus de Tetilbach*, *Henricus de Grumbach*, &c. Epiſcopum XXII minus recte dici *Ainhardum*, docet, ſubſtituto *Gebhardi* nomine. Ad A. 1164 memorantur inter *liberos Marquard de Gruenbach*, & *Otto*, filius ejus, *Ruprecht de Caſtele*, *Gerhardus* Comes *de Gretheim*, *Manegolt de Tunckdorf*, &c. Ad A. 1137 fit mentio *Ruprechti de Caſtele*, *Gozwini de Trimberg*, *Ottonis de Wigershuſen*, *Conradi de Tungelen*, &c. Miniſteriales Imperii, quos *de Veſtenberg* cognominant, Autor ex ultimis ævi medii penetralibus deducit, ſimulque promittit librum, proxime a ſe *de Nobilitate Franconica* edendum. Quam quidem deſtinationem ipſi volumus feliciter ſuccedere, qui partem hujus Catalogi Fratrum Domus Sancti *Kiliani* poſteriorem proxime conſpicari deſideramus. 31.

REFLECTIONS UPON ACCURACY OF STYLE.

hoc eſt,

COGITATIONES DE ACCURATIONE STILI;

Autore JO. CONSTABLE.

Londini, apud Jo. Osborn, 1734, 8 maj.

Plag. 17.

Liber, cujus modo indicem dedimus, plurima in ſe continet egregia, ſed nulli ordini adſtricta. Argumentum ejus eſt *ſtili accuratio*, de qua quid conſtituat doctiſſimus Autor, per modum *Dialogorum* declaravit. Fingit, amicos ſe habere nonnullos, & his etiam ficta tribuit nomina, quibuscum verſatus, iſtis ſuper rebus diſputaverit. Hac re in *Præfatione* indicata, *primus Dialogus* inchoatur, inter *Eudoxum* & *Cleandrum*. Tum ſequitur *alter*, inter *Cleandrum*, *Eu-* Pag. 1. 29.

doxum, & *Critomachum*. Tertius inter *Critomachum*, *Eudo-*
Pag. 68. *xum*, & *Cleandrum*, quartus & quintus inter hos eosdem, ha-
113. bentur. Res, quæ in *Dialogis* continentur, omnes ad ſtilum
157. pertinent, & variæ ſunt, & variis in locis hic illicve inveniuntur. Exſtant hic, exempli gratia, præcipuæ regulæ, quæ obſervari debent, ad accuratum ſtilum acquirendum. Diſputatur de nimis frequenti *Antithetorum* uſu perquam vitioſo, de uſu idoneo *Metaphorarum*, de affectatione in ſtilo fugienda, de eo, quod frigidum eſt in oratione, de uſu vocum peregrinarum provido, de ſtilo Laconico, de longitudine ſtili, de novitate ſtili, de uſu dictionis poeticæ in oratione numeris ſoluta, nec non de uſu vocum oſcarum & obſoletarum. Hac etiam occaſione *Rapini* regulæ de ſtilo expenduntur, & de ob-
60. ſcuritate orationis, numeroque exponitur oratorio. Oſten-
115. ditur, Gallicos ſcriptores haud eſſe normam, quam in aliis linguis tuto ſequi liceat. Sunt ſcriptores, qui magna in fama verſantur, ſed fama non ſemper certum eſt boni ſcriptoris in-
4. 5. dicium. Agitur item de *ridiculis etymologiis*, ut *ſtella* quaſi *luminis ſtella*; *Cælites* quaſi *cælites*, *quia onere graviſſimo va-*
192. *cent*; *Pituita*, *quia per eam petitur vita*. Exile ſtatuitur pretium iis *locutionibus*, quæ malæ re vera ſunt, & tamen bonæ videntur, quas *hypocriticas* dixit Cl. *Conſtablius*. Paucis: nihil
139. his in Dialogis facile omittitur, quod ad orationis accurationem ullo modo pertinere poſſit. Hoc unum obſervandum, quod ſeverior tractandi ratio, quæ philoſophicam accurationem, rerumque definitiones ac rationes, requirit, hic fruſtra quæratur. Adjuncta eſt *Epiſtola Critomachi ad Eudoxum*, in
89. qua propoſitæ hactenus cogitationes *Quintiliani* autoritate roborantur. Cetera vero, quibus illæ illuſtrantur, exempla ex recentiſſimis potiſſimum Autoribus, ut *Derhamio*, *Dodwello*, *Drydenio*, *Cowlejo*, *Balzaco*, *Boilavio*, *Bouhourſio*, & aliis, petita ſunt. Additur Index, hocque finitur libellus.

GODOFREDI EPHRAIM MÜLLERI, M. A. Otium philologicum, Diſſertationum aliquot varii argumenti in unum volumen collectio.

Dresdæ,

Dresdæ & Lipsiæ, prostat in officina Hekeliana, 1737, 8 maj. Plag. 8.

Clariss. Autor, qui verbum jam divinum prope Dresdam docet, otii sui, in ædibus paternis laudabiliter consumti, hoc ipso libello rationem reddere voluit. Ex Academia scilicet Lipsiensi, post *Martiniani* Operis, de religione naturali, in linguam patriam conversionem, & Carminum suorum Germanicorum editionem, domum profectus, hic etiam cum sanctiori elegantiorem conjungere literaturam sedulo perrexit, & illis ipsis studiis atque lucubrationibus primum hoc specimen, octo elegantissimas Dissertatiunculas, debemus. *Prima* illarum, quæ seorsim antea lucem vidit, quæstionem tractat: *num quid inter profanos Deorum cultores de Spiritu sancto constiterit*, ubi Autor in hæresin istam, & jure quidem, acrius invehitur, atque illos, qui *Trismegisti*, *Porphyrii*, *Senecæ*, autoritatem appellant, collatis argumentis, refellit. *Altera* in preces regis *Hiskiæ* de producendo vitæ termino, ad *Es. XXXVIII, 2*, commentatur, &, post citius ex hac vita evolandi desiderium vituperatum, *Hiskiæ* votum non contemnendis rationibus justum pronuntiat. *Tertia* exercitationem hermenevticam ad *Jerem. XVII, 16*, complectitur, quod divinissimum oraculum sequentibus verbis interpretatur: *Videsne, bone Deus, quibus ego me periculis exposuerim, cum tibi sum obsecutus, ut tuus essem ad gentem Judaicam orator legatusque? Ubi est*, jactitant, *Dei prædictio? Eveniat sane! Impostorem me non solum & χαιρεκακὸν fingunt, sed, quod ultra est, de veritate tua & potestate dubitare sustinent, vitæque & famæ meæ insidiantur. Hocne laborum pretium, hæcne merces? Ego vero festinavi nullus, nec præmaturo flagravi desiderio, ut pastor vatesque essem, sicuti me ipse jusseras. Nec ullam ejusmodi diem miseriis plenam desideravi, quales nunc experior; ipse tute nosti: nec te fugiunt, quæ ad amoliendum vatis munus pronuntiaverim.* *Quartum* locum occupat Observatio critica ad *Q. Horatii Flacci Lib. IV Od. IV v. 29.* Ubi, quæ per audaciam poeticam dixerat Lyricus, accuratione philosophica Autor lustravit, atque adeo illum, ut & Cel. *Bentlejum*, acriter vituperavit, neque impetrare a se potuit, ut verba paulo post sequentia: *Eurus per Siculas equitavit undas*, sine

ſine carbone dimitteret. Qua quidem in re ſecutus videtur Cel. *Heineccium*, a quo tamen, non omnino ſine cauſa, diſſentit Cl. *Jo. Sam. Müllerus*, cujus præſertim loci *Horatiani* vindiciæ in Novis literariis, quæ publice Hamburgo ad nos afferuntur, inprimis *n. 86 Anni 1738*, legi poterunt inſertæ. Excipit hanc Diſſertationem alia *de profano Deorum cultu, ejuſque origine & fatis.* Ubi non pauca, quæ eruditiſſimi viri hoc de argumento juſtis voluminibus commentati fuerunt, uni, ut ita loquamur, obtutui proponuntur. Quam vero ſuam Cl. Autor fecerit ſententiam, *Nota 1 ad §. 9* haud obſcure indicavit, *ſi*, inquiens, *quod mihi videtur, dicendum erit, ortus εἰδωλολατρείας ad* Gen. IX *referendus erit. Diſperſis enim per omnem, qua patet, orbem gentibus, vera de Deo doctrina, quam propagaverant viri divini, Patriarchæ, plane ſtetit & obmutuit, ejuſque in locum vana de Diis ſomnia paulatim miſere ſucceſſerunt.* Sexto loco ponitur *Scriptio critica de εὐφημισμῷ in orationibus ſacris obſervando*, quo fieri ait, *ut vocibus caſtis obſcœnitatem, delectu earum & pulchritudine dictionem plebejam & vulgarem, gratis vero & modeſtis verbis aurium offenſionem, oratione noſtra arceamus.* Omnino hic cavendum eſt, ne quis vel in exceſſu, vel in defectu, peccaſſe videatur. Quemadmodum enim illepidum erit, de cadaveribus & lanienæ locis (*von Æſern und Schindangern*) longiorem orationem inſtituere; ita nec vituperandus erit, ſi quis oratorum ſanctiorum de furibus etiam fuſius dicat, præſertim ubi hoc ipſum vocabulum in oraculis explicandis occurrat. At enim properamus ad *ſeptimam* Obſervationem, *de Baptiſmo vicario, ad locum* 1 Cor. XV, 29, *ex Hiſtoria ſacra illuſtrandum.* Quem quidem locum ita interpretandum eſſe conjicit: *Negatis, o Corinthii, vita defunctos unquam in vitam revocatum iri. Agite, videamus, quo jure, quo argumento? Aut mortui non reſument aliquando vitam; quid eſt, quod vivum hominem pro alio, qui, priuſquam ſacro lavacro tinctus fuerit, decedit, ſalutari Baptiſmi unda, (me quidem id non probante) adſpergatis, id quod inutile eſſet & frivolum, ſi homo cum hac vita prorſus deſineret.* *Octava* eſt *de Leone, tyranni ſymbolo.* Cui denique *Ecloga* in natalem parentis elegantiſſima ſubjuncta reperitur. Applaudimus doctrinæ & induſtriæ Cl. Autoris, &, ut in poſterum etiam præclare mereri de literis humanitatis pergat, ipſarum literarum cauſa vehementer optamus.

✲ ✲ ✲

AD
NOVA ACTA
ERUDITORUM,
Quæ Lipſiæ publicantur,
SUPPLEMENTA.
Tomi V Sectio VII.

CAMERE SEPOLCRALI DE LIBERTI E LIBERTE DI Livia Auguſta ed' altri Ceſari, &c.

id eſt,

CAMERÆ SEPULCHRALES LIBERTORUM LIbertarumque Liviæ Auguſtæ & aliorum Cæſarum, cum aliis ſepulchris, ante portam Capenam nuper detectis, & ſecundum Architecturæ regulas ab Equite PET. LEONE GHEZZI deſcriptis. Edidit, & Cardinali POLIGNACO dicavit, LAURENTIUS PHILIPPUS DE RUBEIS, Chalcographus Vaticanus.

Romæ, in taberna ejus, 1731, fol.

Plag. 4, Tabulæ æri inciſæ 41.

Columbarium Libertorum *Liviæ* Auguſtæ, Romæ repertum, eruditiſſimis *Franc. Blanchini* & *Gorii* Commentariis illuſtratum eſſe, antiquitatis ſtudioſo lectori vel ex utriuſque Operis notitia, his *Actis* inſerta, innotuit. Poſtea accidit, ut tria ſimilia ſepulcra ante portam Capenam Romæ detegerentur, magnaque inde reliquiarum veteris ævi copia eruereturr. Quod eruditi, qui ejusmodi cimeliis delectantur, acceptum referre debent Eminentiſſimi *Polignaci*, ſtatoris lite-

rum, dum viveret, ſummi, munificentiæ, qui ſimul nobiliſſimo Architecto *Ghezzio*, ut eorum conſpectum ſecundum artis regulas ederet, autor exſtitit. Opus hoc, ſane ſplendidiſſimum, Tabulis, æri inciſis, quadraginta conſtat, ex quibus duæ & viginti partem Columbarii interiorem, ſarcophagos, urnas, inſcriptiones, verbo, omnia, quæ ſuis *Blanchinus* & *Gorius* libris complexi ſunt, continent. Secundum, octo Tabulis expreſſum, varias muſivi operis ac teſſellati reliquias, in quibus Ægyptiorum Dei, *Harpocrates*, *Anubis*, *Oſiris*, *Iſis*, ceteri, elegantiſſime ſculpti, tum lapidum literatorum fragmenta non pauca, præ reliquis notari merentur. Tertii ichnographia tribus Tabulis abſolvitur, ſicut & quarti, in quo nulli lapides literis ſignati comparuerunt. In adjectum Operi Indicem nomina cognominaque libertorum ac ſervorum *Liviæ* Auguſtæ & Cæſarum literarum ordine relata ſunt.

ISTORIA DELLA VITA, VIRTU', DONI, ET grazie, del Ven. Servo di Dio, Fr. Antonio di S. Pietro, &c.

hoc eſt,

HISTORIA DE VITA, VIRTUTE, DONIS, AC gratiæ divinæ adminiculis, Servi Dei, FRANC. ANTONII DE S. PETRO, Fratre Converſo ex Ordine reformato Dominæ noſtræ de Mercede, ſcripta a quodam Devoto ejusdem Servi Dei.

Romæ, impenſis Raphaelis Peveroni, 1729, 4.

Alph. 1 plag. 16.

Antonius, ſecundus *Emanuelis Tomaſſi Saraiva* ac *Annæ Correæ de Almeida* filius, in lucem ſuſceptus A. 1570 Zelorici, ſeu Zelobrigi, in diœceſi Beirenſi Portugalliæ, eum virtutis ſuæ invenit præconem, quo præſtantiorem ne votis quidem conceptis expetere potuiſſet. De eo enim ſatis copioſe *Libris tribus* Panegyriſta fuit commentatus. *Libro primo* tradit patriam, parentes, natales, educationem, perverſitatem, converſionem

verſionem animi ad Deum, pœnitentiæ triennium, tentationes, ſub exordio vitæ ſpiritualis exantlatas, iter in Indiam, profectionem, Seviliam ſuſceptam, ad induendum *Donati* habitum in Cœnobio S. *Pauli* Ordinis Dominicanorum, induitionem habitus *Donati* in Cœnobio S. *Annæ de Oſſona*, Ordinis Dominæ noſtræ *de Mercede*, induitionem veſtis *Converſi* intra eundem Ordinem, profeſſionem ejus monaſticam, fundationem monaſterii pro converſis Oſſonæ & fraternitatis S. S. Sacramenti in Eccleſia S. *Annæ*. *Libro ſecundo* enarrantur ejus virtutes ſingulares, fides vivax, ſpes heroica, caritas eximia, prudentia, juſtitia heroica, illibata caſtitas, fortitudo, temperantia, humilitas, & ceteræ. *Libro tertio* ediſſeruntur ejus infirmitas, morbus, mors, miracula, mortem inſecuta, ac in translatione obvia, apparitiones ejusdem, ac gratiæ copioſæ per deprecationem ejus obtentæ, quibus adjuncta ſunt facta miraculoſa, virtute imaginum ipſius effecta. Recordamur illius, quod *Curtius* de ſeſe judicat: *Equidem plura transſcribo, quam credo.* Reſtat adſcriptio hujus *Antonii* inter cœlites, cujus proluſionem eſſe hanc hiſtoriam, nulli dubitamus. Mortem ipſam *Antonii* ſi tradiderimus eveniſſe A. 1622, 30 Julii, in præſens nos, quantum ſatis eſt, monuiſſe arbitramur. Pag. 292.

ELEMENTA THEOLOGIÆ NATURALIS dogmaticæ, a priori methodo ſcientifica adornata, Autore M. JACOBO CARPOVIO, Ill. Gymnaſii Vinarienſis Rectore, & Reg. Berolinenſis Societatis Scientiarum Collega.

Jenæ, ſumtibus Chriſtiani Henrici Cuno, 1742, 4.

Alph. 6½.

Complectitur Opus præclarum, præter Dedicationis formulam, primo quidem Præfationem, deinde Diſſertationem proluſoriam de variis Deum cognoſcendi modis, tum elementa ipſa, & ad extremum quoque Indicem rerum, diligentiſſime ſecundum præpoſitiones, ſeu ſententias, digeſtum. Præfatio originem, retardationem, & ſummam, elementorum continet. Diſ-

ſertationis proluſoriæ titulus eſt *Θεογνωσία πολυπειλος*, eamque diſputationi publicæ expoſuit Autor Cel. Vinariæ A. 1741, 21 Sept. Præfixit more Geometrarum nonnullorum ſingulis pronuntiatis, ſeu propoſitionibus, ſua nomina, atque ex ipſis elementis ſententias aliquot huc traduxit. Deum a nobis co-
Pag. 6. gnoſci poſſe, licet imperfecte, oſtendit. Cognitionis rerum humanæ fontes exiſtimat eſſe ſenſionem, ratiocinationem, ac
8. enarrationem, addens, Deum cognoſci poſſe non niſi ratiocinando & ex teſtium commemoratione, ſiquidem Deus ob ſimplicitatem ſuam ſenſus haud incurrat. Probabilem cognitionem vocat eam, ubi quædam ad veritatem certam requiſita nobis adſunt, deficiunt alia. Addendum videtur, requiſita potiora menti præſto eſſe debere; nam improbabili etiam cognitioni haud deſunt quædam requiſita. Si vero veritas jam certa
11. eſt, cognitio ejus non poteſt amplius dici probabilis. Probabilitatem, quæ ex teſtimonio humano oritur, Autor vocat externam; illam, quæ ex re ipſa petitur, internam appellat. Cognitionem, fide humana nitentem, vocat probabilem. Speciem ejus putat eſſe conſenſionem gentium, exiſtere Deum, dictantium, ſimulque refellit cum *Baitio Bernhardum*. Liceat monere, conſenſionem illam gentium vel inniti propriæ ſenſioni, vel ratiocinationi, quæ in traditionem abiit. Cum vero ipſa a ſenſibus ſit remota; reſtat, ut ea vel revelationi, vel ratiocinationi, fuerit innixa. Si prius largiare, teſtes de revelatione facta ſunt examinandi, an ea vere contigerit, an eam poſteri a majoribus acceptam retinuerint ſinceram. Sin poſterius affirmatione digneris, diſpiciendum eſt, an gentes recte fuerint ratiocinatæ, vel ii, quorum ſententiam ipſæ per manus traditam fuerunt ſecutæ. Monemus hæc, ut intelligatur, quan-
15. ta difficultas inſit huic argumento. Addit ipſe nonnihil ſcrupulorum, ſiquidem de ſingulis gentibus commentaria fidè digna haud exſtent. Et quis per ſingula eundo ſecula illum conſenſum extra dubitationem collocabit? Quis oſtendere valebit, quid univerſæ per ſingula ſecula gentes in veritatum numero cenſuerint? Unum exiſtere Deum, pleræque olim gentes nega-
18. runt. Id ipſum monet Autor. Docet & ipſe, quomodo per fidem

fidem divinam, Deum exiſtere, innoteſcat. Diluit præterea objectiones, quibus Cel. *Ribovius* tentarat demonſtrationem Autoris, perſuaſuri, rationi, ſibi relictæ, notas patere, e quibus, dari ſacras literas, revelationis divinæ indices, non ſolum verisimile fiat, ſed etiam certo eluceat. Docet denuo, argu- Pag. 21.
mento, ex notis revelationis veræ pro divina ſacrarum literarum origine petito, vim ineſſe demonſtrationis apodicticæ, uti id quidem a ſeſe ſit explanatum & inſtructum. Contendit merito, illud ipſum eſſe ens A, cui omnes notæ entis A ſint propriæ, ſimilique ratione, Jeſum eſſe Meſſiam, ex omnibus Meſſiæ veri notis, in eum quadrantibus, tradi. Nec dubium
eſt, dari certas notas, quibus unica illa Dei revelatio a reve- 23.
lationibus commentitiis univerſis dignoſci poſſit, niſi malimus exiſtimare, gentibus univerſis nil lucis ſuppetere, qua ad veritatem divinitus detectam certis argumentis externis perduci poſſint. Addit Autor: *Confeſſio, totam religionem Chriſtianam mera probabilitate gaudere, dictitans, facta ab eis, qui ſapientiſſimi putantur in doctrinis religionis defendendis, cladem peſtiferam infert rei Chriſtianæ, quæ quovis modo* (legitimo & vero) *tuenda erat.* Doctrina de Deo, quæ ex eſſen- 25.
tia entis rationem reliquorum, quæ ei inſunt, reddit, vocatur ab eo *cognitio Dei a priori;* eam, quæ ex effectibus ad cauſam demonſtrandam progreditur, appellat *cognitionem Dei a poſteriori.* Illam huic perfectione reſpectu certo antecellere, perhibet, & denuo argumentum, a contingentia rerum creatarum recte deductum, prædicat. Procedit hinc ad diviſionem Theologiæ naturalis in acquiſitam & inſitam, illamque rurſus diſtribuit in vulgarem & exquiſitam, in eam, quæ ſatiat, & jejunam, in vivam & mortuam. Addit quæſtionem: an 35.
cognitio Dei hominibus ſit innata. Nec inficiatur, ineſſe homini proclivitatem naturalem inquirendi autorem dominumque mundi. Oſtendit, *Epicurum* fuiſſe primum, qui, cogni- 40.
tionem Dei natura homini eſſe inſitam, docuerit. *Ciceronem* appellat teſtem *de Natura Deorum Lib. I pag. 1169, 1173,* & *1176.* Proclivitatem illam eſſe inclinationem aſſentiendi ſine ratione veritatibus de Deo manifeſtatis, merito negat adverſus *Jo. Paul.*

Pag. 43. *Hebenſtreitium.* Adjungit hæc: *Si homo ex conſcientiæ teſtimonio ad Deum, ut remuneratorem atque vindicem, nectit concluſionem, ipſe agnoſcit Deum cum ratione & per ratiocinium, & hæc Dei cognitio eſt acquiſita.* Exponit tandem diſtinctionem cognitionis Dei, quam appellant ſymbolicam & intuitivam,
47. Deumque per figuras hieroglyphicas adumbrari poſſe, largitur, additque ſimul, cognitionem Dei hieroglyphicam eſſe ſatis obſcuram. Diſſertationem proluſoriam excipiunt prolegomena, & utraque *Pars* Theologiæ naturalis. *Pars prior* exponit de eſſentia, exiſtentia, & attributis Dei; *poſterior* exhibet opera Dei, rationi pervia, nominatim actus Dei generatim conſideratos, creationem, originem & permiſſionem mali, conſervationem rerum creatarum divinam, concurſum Dei, gubernationem & providentiam Dei, fatum, omnipræſentiam Dei, ejusque in res creatas jus, ac civitatem Dei. Præfatione fata Operis, ejusque ſum.na, dilucide ediſſeruntur. Prolegomenis exhibetur tractatio de religione, de Theologia naturali dogma-
9. tica & morali, immo polemica, de dogmatica & a priori, & a poſteriori, adornata, atque de Theologiæ naturalis utilitate. *Pars prior* tractationis offert *Capite primo* demonſtrationem, qua docetur, Deum exiſtere. Oſtendit hic Cl. Autor, id eſſe ens perfectiſſimum, cui inſint omnes realitates ſine limitatione com-
19. poſſibiles. Exhibet entis illius primo poſſibilitatem, deinde exiſtentiam abſolute neceſſariam, ex ipſa ejus eſſentia pendentem. 25. En complexum demonſtrationis: *Ens perfectiſſimum, cujus poſſibilitatem demonſtravimus, omnes habet realitates compoſſibiles. Enimvero exiſtentia eſt realitas, eaque compoſſibilis poſſibilitati. Eapropter enti perfectiſſimo ineſt & tribuenda eſt exiſtentia.* Si monuerimus, exiſtere calamitates, mala, miſerias, nec tamen has cenſeri numero realitatum, Cl. Autor hanc objectionem, a defectibus deſumtam, facile explodet.
28. Sequuntur affectiones entis perfectiſſimi, æternitas, immutabilitas, abſentia ætatis & ſenectutis, negatio ortus ac interitus. Æternitatem diſpeſcit in fixam, qualis eſt Dei, & ſucceſſioni adſtrictam, qualis a parte poſteriori tribuitur ſpiritibus & animis creatis. Diſputat ſimul adverſus S. Rev. *Clugium.* Magnitu-

dinem

dinem intenſivam ea eſſe docet indole, ut partes intra ſe invicem habeat. Ens infinitum eſſe unicum, dilucide conficit argumentando. Subſtantiam definit per ſubjectum perdurabile & modificabile, ac, ens infinitum per eminentiam modificabile eſſe, largitur. Sequitur ſcilicet ubique Cel. *Wolfium.* Deinde ad caput cauſæ accedit, ac, Deum exiſtere, eumque perfectiſſimum eſſe, docet, additque, Deum eſſe nec mundum, nec elementorum congeriem, nec animam mundi, nec elementum, nec corpus, nec animam. Tum diſſerit de Dei intellectu, eumque dari, ex eo colligit, quod ipſe cum ſimplice ſpiritus natura ſimul conſiſtere poteſt, quod ipſum contemplatio mentis noſtræ in ſeſe directæ docet. Mundos multos eſſe poſſibiles, oſtendit. Poſſibilitatem internoſcit ab interna externam. In illa eſſentiam entis poſitam eſſe, denuo tradit. Quæſtionem illam arduam : *an poſſibilitates rerum internæ pendeant ab intellectu Dei*, diligenter pertentat, & canonem: *Intellectus objecta non facit, ſed, ea eſſe, ponit*, confirmat. Intexit doctrinam, quæ de miraculis exponit. Præſciri poſſe futura, tum naturalia, tum ea, quæ in actionibus liberis conſiſtunt, demonſtrat, Deoque futurorum quorumcunque eventuum præſcientiam diſtinctiſſimam vindicare contendit. En modum, per quem actiones liberæ poſſint præſciri : *Actio libera oritur ex decreto voluntatis; decretum voluntatis ex motivis; motiva ex perceptionibus mentis præcedentibus, non exclusis circumſtantiis externis internisque, in quibus ens intelligens verſatur. Si quis igitur circumſtantias, in quibus ens intelligens verſatur, vel verſaturum eſt, una cum perceptionibus mentis præcedentibus cognoſcit, ille poteſt inde motiva, ex his decreta voluntatis, ex his actiones liberas, prævidere. Sunt igitur omnes actiones liberæ, etiam ſubſtantiarum intelligentium, antequam exiſtant, cognoſcibiles.* Addit paulo poſt: *Ex nexu rerum id pendet, quod præterita ſunt recordando apta, & futura ſunt præſcibilia.* Cognitionem Dei mediam, quæ ad mere poſſibilium ſcientiam ſpectat, repetit, licet ipſa ſit ſpecies ſcientiæ, quam ſimplicis intelligentiæ vocant, & quæ cognoſcit poſſibilia, eaque vel ſimpliciter, vel ſub conditione, talia. Cognitionem

Pag. 33. 45. 70. 80. 82. 89.

nem Dei eſſe immutabilem, æternam, fallique neſciam, oſtendit. Eisdem perfectionibus præſcientiam Dei eſſe ornatam, im-
Pag. 103. motis oſtendit argumentis. De omniſcientia Dei egregie commentatur. Eidem tribuit ingenium, acumen, ſubtilitatem, rationem puram, cognitionem hiſtoricam perinde ac philoſo-
107. phicam, mathematicam, & philologicam. Deum eſſe Philoſophum, oſtendere laborat. Eundem eſſe inventorem omnis veritatis, omnesque diſciplinas callere, & ſpiritum eſſe perfe-
111. ctiſſimum, it demonſtratum. Deum eſſe animam mundi, merito negat. Tandem, antequam de intellectu divino differere deſinit, vindicias affert pro infinitate intellectus divini, ad-
115. verſus *Autorem Inſtitutionum Pnevmatol. & Theol. nat.* defendenda. Dum enim ipſe in principio Elementorum adornandorum hærebat, in manus ipſius incidit *H. C. S. Theologia naturalis, quam lex jam truncavit.* Suſpicit Autorem hujus libri, ejusque eruditionem & merita plurimi facit. Nec tamen ferre poteſt, quod dubitationes ab eo ſpecioſæ paſſim ſunt formatæ, quibus attributa & perfectiones magis oppugnantur, quam aſſeruntur, lucique redduntur. E re & publica & inprimis theologica Cl. *Carpovius* egit, quod dubitationes illas in fine *Capitum* examinavit, *Arimanium* profligavit, & permiſſionem mali orthodoxa expoſuit ratione, copioſius tamen & *Leibnitianis* dogmatibus congruenter, tandemque architecti novi philoſophici *Belianiſmum* recoctum expendit. In *Capite* de creatione rerum latius longiusque excurrit, ſiquidem hic rem habuit manusque philoſophice conſeruit cum diſputatore nobili, S. Rev. *Clugio*, Vitebergenſi. Ab hoc enim bellum ante aliquot annos, editis *Singularibus*, indictum fuit ſingulare. Oppoſuit huic libello Cl. *Carpovius Inania Singularium.* Adjunxit Autor *Singularium* claſſico *Partem ſecundam Singularium*, partim ut definitiones nihili negativi & privativi, nec non definitionem creationis, & alia *Theologiæ revelatæ Carpovianæ*, debellaret. In hac excutienda vires expertus fuit paſſim in hiſce *Elementis* Cl. Autor. Noſtrum non eſt, controverſiis hiſce commemorandis immorari, quippe quæ ex *Elementis* hiſce, in quibus adverſariorum ipſa verba pleniſſime iterantur,

iterantur, citra pulveris jactum hauriri addiſcique poſſunt. Judicat ita ipſe de hoc ſuo *Elementorum* Opere in *Præfatione §. 30: Quemadmodum ea tantum, quæ ad Theologiam naturalem transferri poterant, diſcuſſi, data opera a reliquis, ne viderer limites inſtituti migrare, abſtinens; ſic e contrario, de quibus eſt diſputatum, ea luce evidentiæ tanta me perfudiſſe, ſpero, ut naturam novercam in iis doleam, qui ad perſpiciendam illam caligant. De cetero in doctrina de juſtitia divina atque de æternitate pœnarum quædam adverſus Virum S. R.* Feuerlinum *notare, gravitas argumenti poſtulavit.* Architectus philoſophiæ *Arimanianæ* dixerat, eos, qui infinitatem intellectus Dei, ejusque omniſcientiam, propugnant, ad ſcopulos maris miſere perire, confeſſus tamen, Theologos orthodoxos ſyſtemati *Leibnitio-Wolfiano* adhærere. Quid ad hæc Noſter? Reſpondet hunc in modum: *Hem, exprobrationem, iniquitatem! Dum gloriam* Pag. 117. *perfectionum Numinis infinitarum defendimus, dum nil quidquam realitatis, quod cum reliquis ſimul eſſe poteſt, Deo volumus denegari, ad ſcopulos maris perire dicimur. Etenim, ſi maximis quibusque hoc accidit ingeniis, quid evenict reliquis? Non ſane a Philoſopho Chriſtiano & doctore publico hæc talia exſpectaſſes. Fac autem, ita eſſe. Præſtat, perire in gloria divina defendenda, quam in oppugnanda ſalvum eſſe, aut, ut rectius dicam, perire miſerius.* Et paucis interjectis: *In tanta veritatis luce, quantum noſtræ ætati divina benignitas conceſſit, ignorantiam protendere, ut imperitorum & juventutis mentes in graviſſima de Deo doctrina vacillantes reddantur, dedecori Philoſopho, Chriſtiano vitio, eſſe, arbitror.* Tum, creaſſe quidquam 121. inutile & ſuperfluum, ſtrenue negat, & Dei æque præſcientiam ac ſapientiam propugnat. Ridenda certe ratio eſt: Res futuræ, ſiquidem nondum exiſtunt, in intellectum divinum agere nequeunt, & eapropter eæ a Deo nequeunt præſciri. Quis enim actionem ſuam derivare & inferre poteſt in ſubſtantiam ſimpliciſſimam? An poſſibilia in Deum agere queunt? An ea omnia ignorat? Ita argumentatur Noſter. Cur Deus hoc illudve velit malitque, rationem exſtare & Deo dignam, & rei, quæ intellectui ſeſe objicit, conſentaneam, oſtendit. Volun-

124.

149.

tatem ſequi rem, qua bonam; appetitam, intellectum vero patere poſſibilibus, quippe ſibi perpetuo præſentibus, docet. San-
Pag. 361. ctitatem definit per immunitatem ab imperfectione. Deum ipſum ſibi legem eſſe, actumque voluntatis ſemper eſſe judicio mentis divinæ conſentaneum, tradit. *Caput*, de veracitate Dei inſcriptum, multis inexſpectatis ſententiis præſtantiſſimisque veritatibus abundat. Ibi enim de veritate ſenſionum & ratiocinationum diſſeritur. Ibi exponitur de revelationum Dei ſpeciebus. Ibi agitur de fide divina, de ſtilo majeſtatico, de aſſeverationibus Dei, de promiſſionibus ejusdem ac comminationibus, de pactis Dei cum mentibus, ſpeciatim humanis, de
417. vaticiniis Dei, de divinationis ſpeciebus, de facultate hominum divinatrice naturali, de vaticiniorum Dei impletione, ac de Dei ſinceritate. Fallimur, ſi contendimus, hæc capita tam accurate in libris argumenti conſimilis exhiberi. Juſtitiam divinam per bonitatis ad regulam ſapientiæ adminiſtrationem de-
429. finit denuo. Monuit nonnihil Cel. *Feuerlinus* ad hanc deſini-
432. tionem, cujus dubitationibus reſpondet, ordine recenſitis, addens, eos, qui pronuntiant, ex Philoſophia unice diſputantibus nihil obſtare, quo minus, compenſationem, legi divinæ peccato violatæ debitam, per ſolam ſui emendationem obtineri poſſe, ſtatuamus, in ſacras literas injurios eſſe, & Socinianis manus dare victas. Negat, dari pugnam inter conſulta rationis humanæ recta & ſacrarum literarum pronuntiata. Diſſerit de
463. pœnis & remuneratione. Μακροθυμίαν Dei ediſſerit. De ira Dei exponit. Vitam ſpiritus poſitam eſſe in vi intelligendi atque appetendi, monet. Tribuit Deo immortalitatem ſummam, nec aliunde pendentem. Deum eſſe pulcherrimum, docet. Beatitudinem ejus illuſtrat. De gloria Dei commentatur. Compoſitionem omnem a Deo abeſſe, docet. Ex monadologia
464. firmat creationem. Nihilum negativum appellat id, quod nec exiſtit, nec poſſibile eſt; privativum, quod non exiſtit quidem, exiſtere tamen poteſt. Hanc privationis notionem defendit ex
672. *Jo. Weiſſio*, *Hebenſtreitio*, *Jacobo Martini*, *Daniele Stahlio*, *Petro Muſao*, ac controverſiam, cum S. Rev. *Clugio* agitatam, perſequitur, conſentientesque ſibi laudat *Æpinum*, *Reuſchium*, *Bauineiſterum*.

meiſterum. Ens ſimplex oriri poſſe, negat, ex ente ſimplici & compoſito, ac eis reſpondet, qui, per generationem fieri pos- Pag. 580.
ſe, ut ex uno ſimplici ente alterum oriatur, ſibi perſuadent, largitus tamen, ens ſimplex ab ente ſimplici oriri poſſe. Ob definitionem creationis pugnat denuo cum S. Rev. *Clugio.* Diſ- 593.
ſerit de creatione prima, ſecunda, tertia, ac denuo adverſarium reſponſionibus ac vindiciis proſequitur. Rem creatam æternam eſſe poſſibilem, negat, ac argumenta eorum examinat, qui, 629.
mundum ab æterno creari potuiſſe, tradiderunt. Creationis facultas quomodo poſſit cum re creata communicari e. g. in 637.
miraculis edendis, definire contendit, conſenſu *Slevogti* in partes ſuas vocato. Creationem exiſtimat denuo eſſe miraculum, ac, diſſenſiones eruditorum abire hic in logomachiam, monet. Hunc mundum eſſe optimum, docet, ratus, eum in numero pos- 649.
ſibilium omnium eſſe optimum, laudansque ſcriptum *G. Fr. Mælleri*, doctiſſimo *Bertramo*, nunc in divis, oppoſitum. Quærit, an 653.
mundus, malo vacuus, melior præſente fuiſſet. Contendit, præſentem mundum, malo licet contaminatum, tamen poſſe optimum eſſe. Quærit porro, an is melior fuerit ante protoplaſtorum lapſum. Deo libertatem ſummam vindicat, &, ab eo mundum ſecundum ſummam externam libertatem creatum eſſe, evincit. Idealiſtas refellit. Mundum figura carere, tradit §. 975. Lar- 662.
gitur, mentes quoque a Deo in reliquis planetis creatas fuiſſe. 681.
Addit, Deum creaſſe ſubſtantias ratione inſtructas, quæ nulli planetæ ſint alligatæ. De imagine Dei & primaria & ſecundaria, cum hominum primorum pari communicata, optime exponit. De præmiis, lege, pœnis, pactisque, Dei hac occaſione 696.
diſſerit. De ſtatu integritatis, juſtitia hominis, de lege ad poſteros protoplaſtorum continuata, ac primo homine, hominum capite repræſentativo, accurate commentatur. De origine & permiſſione mali philoſophatur more *Wolfiano*, multus- 717.
que in eo eſt, ut oſtendat, malum morale & phyſicum cum mundo optimo ſtare poſſe. *Arimanii* ſtatorem novum ab in- 767.
tegro indidem aggreditur. Conſervationem mundi divinam in *continuata creatione* collocat, & ad ſubſtantias refert; concurſum vero Dei ad vires, mundo inſertas, referendum eſſe,

contendit. Mundum viribus haud labaſcere, nec ſenio confi-
Pag. 800. ci, quamdiu ipſe a Deo conſervatur, affirmat. Conſervationem ipſe vocat *miraculi*, quod Deus creando perfecerit, *continuationem*. Nonne vero per perpetuitatem hujus miraculi videtur curſus naturæ eſſe ſupernaturalis? An immediata Dei actio omnis eſt miraculum? Ita ſolent nonnulli formare ſuas objectiones, quibus vero quid reſpondere queat Autor, facili negotio pateſcit. Ipſe enim diſtinguit diverſitatem operationis
803. Dei & naturæ rerum. Deum ſtatuiſſe, ut omnis rerum univerſitas in nihilum recidat, inficiatur merito, licet largiatur, partes mutari, immo in nihilum recidere, poſſe. Solvit poſthæc dubia Cel. Viri, qui putat, continuationem exiſtentiæ finitarum rerum poſſe non amplius a Deo pendere, ipſamque in-
807. duere poſſe independentiam. *Materiale* actionis a *formali* curate dignoſcit. Virum Cel., qui concurſum Dei cum rebus creatis ivit deletum, maſcule aggreditur, & argumenta ejus
849. pertentat. Decreta Dei particularia primitiva dari, negat. Fatum definit per decretum divinum de rebus univerſi, quatenus ut immutabile & ſapientiſſimum ſpectatur. Inde ea, quæ
869. fato fiunt, pronuntiat hypothetice neceſſaria. Conciliat hanc neceſſitatem hypotheticam cum libertate actionum. In *Capite*, de civitate Dei inſcripto, Atheorum, Manichæorum, Polytheiſtarum, & ſuperſtitioſorum, deliria ſubvertit, de beatitudine piorum & damnatione rebellium ſempiterna agit, & paſſim ubique ea eruit, de quibus alias in Theologia naturali eſt altum ſilentium. Noſtrum eſt, hic ſubſiſtere, & gratulari Viro Clariſſ. diligentiam ſuam atque virentem multa cum laude coronam.

FRID. WILHELMI A WEDEL, EQUITIS Brandenburgico-Neomarchici, Commentatio philoſophica de Principio rationis ſufficientis.

Jenæ, literis & impenſis Buchianis, 1743, 8.

Plag. 12.

Commentationi huic, methodo ſcientiis exponendis conformata ſcriptæ, Præfationem doctiſſimam præmiſit Cl. *Joa-*

chimus

obimus Georgius Daries, Philoſ. & J. U. Doctor, ac Philoſophiæ Profeſſor deſignatus, atque in ea de pretio, quod Philoſophiæ vulgo ſtatuitur varium, meritoque ſtatuendum eſt, diſſeruit. Oſtendit præterea, quomodo Jus civile, publicum, canonicum, & feudale, ſit more Philoſophis conſueto explicandum. Periculum ipſe hujus conſilii fecit in *Inſtitutionibus Jurisprudentiæ univerſalis*, luci datis. Elaboravit quoque *Juris feudalis, philoſophice conſiderati, elementa*, eaque propediem a ſe editum iri, dedit fidem. Nunc ad Commentationem ipſam veniamus. Diviſa eſt illa in *tria Capita*. *Capite primo* exponitur de ratione, ejusque objecto & ſubjecto generatim. *Capite ſecundo* diſſeritur de ratione ſpeciatim, ſeu de ejusdem ſpeciebus potioribus, præſertim de ratione ſufficiente. *Tertio* tandem *Capite* Generoſiſſ. Autor de ipſo rationis ſufficientis principio, ejusque uſu & abuſu, luculentam tractationem ſuſcepit. Notiones ontologicas ſatis univerſales Autor exhibet ſerie ſententiarum catenata, uſus eo ſcripturæ genere, quod Ontologi & Logici plerique jam adhibere ſolent. Quid ſit *ens*, & quam Pag. 11.
varia hujus vocis ſit poteſtas, copioſe demonſtrat. Nihili 13.
divitionem in negativum & privativum repudiat, ſiquidem utrumque haud poteſt ad idem genus revocari. *Rationem* vocat id, ex quo id, quod menti obverſatur, poteſt cogitari, ſeu concipi, negans, hunc ſignificatum a *Leibnitio* demum fuiſſe inventum. *Rationatum* vocat id, quod ex re, quæ mentibus objicitur, poteſt intelligi. Voculam hanc barbarie infectam eſſe, non omnino inficiatur. Diſſerit deinde de *dependentia rationati* a ſua ratione, de ratione & cognoſcendi & eſſendi, de convenientia, de regula: *Ex nihilo nihil poteſt concipi*, atque de objecto & ſubjecto rationis. Negat, rationem eſſe affectionem rei, ab arbitrio pendentem, ratus e contrario, eam ab ente ſeparari haud poſſe. B. *Joannem Guſtavum Reinbeckium* ſummis laudibus extollit. *Determinatum* definit & exquirit. Omne ens ipſi eſt neceſſarium, vel abſolute, vel hypothetice. Contingens quod dicitur, ipſe, hypothetice ne- 57.
ceſſarium eſſe, oſtendit. Addit, poſſibile poni haud poſſe, nec 59.
cogitari, niſi ratio ſimul ponatur, quæ determinat ejus poſſi-

 bilitatem,

bilitatem, qualiscunque hæc tandem fuerit. *Ratio ſufficiens* ex ipſius definitione eſt id, quo poſito, ad ens nihil amplius requiritur, quo poſito, ponitur objectum, ex quo ens, cujus eſt
Pag. 81. ratio, ita poteſt concipi, ut nihil amplius ad illud ex aliquo
123. concipiendum requiratur. Eſſentiarum æternitatem ſolide propugnat, nullique parcit operæ, ut *Poireti* atque aliorum argumenta exhibeat & refellat. Quantum interſit inter rationem, principium, & cauſam, diſtincte exponit. Paſſim vero argumenta, quibus laceſſitur Philoſophia *Wolfiana*, recenſet, ac eno-
136. dare conatur. Principium rationis ſufficientis optime ediſſerit, propugnat, & a dubitationibus liberat, ratus, id jam cognitum fuiſſe a *Confucio*, ab eis, quos *Sextus Empiricus III, 3*, confutare aggreſſus eſt, a *Seneca Ep. 83*, & ipſo *Carteſio*, ejusque interprete, *Antonio le Grand*. Et quidni *Adamus* jam id clare perſpexit, ſiquidem nullus ruſticorum evenisse caſu id impugnat, vel dubitationibus exſtinguere contendit. Qui affirmare haud ſuſtinent, contingentibus ineſſe immutabilem ſui originem in ipſis, ii nequeunt cum ratione principium rationis ſufficientis repudiare. Solvit Generoſiſſimus Autor objectiones ſingulas, huc uſque illi principio obmotas, ſubtilitatum
168. non infelix inveſtigator, addens præterea, id principium eſſe citra conditionem ullam neceſſarium, immutabile, & certum, nec veritatibus contingentibus accenſendum. Deinde principium indiſcernibilium confirmat, elicitque ex principio rationis ſufficientis. Tandem analyſin finitorum & contingentium infi-
175. nitam diſcernit a progreſſu atheiſtico in infinitum. Hunc eſſe impoſſibilem, demonſtrat. Gratulamur Generoſiſſ. Viro eam, quam hic comprobavit, rerum philoſophicarum, earumque maxime reconditarum & abſtruſiſſimarum, cognitionem, eumque porro Philoſophiæ illuſtrandæ & dilatandæ feliciter operam eſſe daturum, merito ominamur.

Vernünftige Gedancken über die Vorſehung GOttes in Anſehung ihrer Erhaltung und Mitwürckung, ꝛc.

hoc eſt,

DE PROVIDENTIA DEI RATIONE CONSERvationis

vationis & concurſus Dei Cogitata, lumini rationis conſentanea, edita a JO. ANDREA BUTTSTET, Philoſ. Mag. & Gymnaſ. Hildeſ. Andreani Directore.

Wolferbuttelæ, impenſis J. C. Meiſneri, 1742, 8. Alph. 1 plag. 1.

Tandem aliquando Cl. Autor, qui nuper Gymnaſio Gerano præeſſe cœpit bono cum Deo, *Partem quintam* Cogitatorum theologicorum, quibus fidem Chriſtianorum ſanctiſſimam cum conſultis ſanæ rationis conciliare ſtudet, in lucem emiſit. Doctrinam, de directione ac gubernatione Dei inſcribendam, proximum in tempus rejecit. De concurſu Dei diſtinctius egit, novumque tractandi delegit callem, ea tamen modeſtia uſus, ut, clarioribus notionibus aliorum ſeſe ceſſurum eſſe, polliceatur. Tractatio hæc omnis abit in *tres Sectiones*, quarum *prima* de providentia Dei generatim exponit, *ſecunda* divinam mundi conſervationem ediſſerit, *tertia* concurſum divinum exhibet. In *Capita quinque* diſtributa fuit *Sectio prior*. *Primo* oſtenditur, providentiam Dei in claſſe rerum, quæ fieri queunt, eſſe collocandam. *Secundo* ex natura Dei, eam exiſtere & dari, demonſtratur. *Tertio* ea ex creatione mundi corroboratur. *Quarto* eadem ex contemplatione hominum pateſcit. *Quinto* adduntur divina & humana teſtimonia ac documenta. *Sectio ſecunda* conſtat *Capitibus duobus*. *Priori* ſuppeditatur definitio & demonſtratio divinæ mundi conſervationis. *Poſterius* offert Lectori modum ac rationem hujus conſervationis. *Sectionis tertiæ* æque ſunt *Capita duo*. *Priori* oſtenditur, quid concurſus ille non ſit; *poſteriori* monſtratur, quænam ejus exiſtat ex notionibus Cl. Autoris ratio & natura. Hæc univerſæ tractationis eſt ſumma. Ordiamur nunc rem ab initio. Creationi ſubjungendam eſſe de providentia Dei doctrinam, Pag. 4.
Cl. Autor inter ipſa tractationis principia oſtendit. Providentia quid ſit, definit. Præmittit rerum creatarum contingentiam, quæ haud permittit, ut ea vi quadam ſua exiſtere, & exiſtentiam continuare, poſſint. Niſi hanc largiare, exiſtimabis, 8.

res

res creatas ſimul eſſe eodem reſpectu & tempore contingentes mutabilesque, ſimulque per ſeſe neceſſarias & immutabiles. Quis haud agnoſcit contradictionem, ita ſeſe offerentem? Exiſtat itaque, neceſſum eſt, vis quædam, viribus rerum creatarum ſingulis ſuperior & potentior, cui debeatur rerum creatarum dura-
Pag. 10. tio & continuatio. Vis illa ſuperior eſt divina, omnipotens, & optima, a lucro & utilitate conſervatoris ſecreta, cum arbitrio & ſapienti voluntate nexu inſeparabili conjuncta. Ipſa, omniſcientem intellectum conſervatori ineſſe, eumque ſapien-
13. tia excellere, oſtendit. Quantula noſtra eſt de rebus creatis notitia! Ad conſervationem & gubernationem mundi peragendam non niſi infinita mens eſt apta, quæ res ſingulas intuetur, finique univerſali fines intermedios jungit. Ut inſecti pulviſculique abjectiſſimi fines exploremus, ne quidem nobis acies
16. mentis noſtræ ſenſuumque ſufficit. Unde fit planum & apertum, conſervatorem & gubernatorem mundi non niſi creatorem ipſum exiſtere poſſe. Rebus creatis inſunt limitationes eſſentiales, quæ impediunt, quo minus eæ, ſi mentibus ſunt inſtructæ, paſſim ignorantia laborent, cœcutiant, & labantur.
18. Catena eventuum mundi contingens infinitam ſpirat analyſin, quam intueri haud licet mentibus creatis, quippe finitis. Hæ
20. naturam creationis ignorant originemque ſuam. Monet vero Cl. Vir, ſeſe non de actu, ſed de ſtatu, conſervationis rerum differere. Conſervationem eſſe creationis continuationem, negat, ſiquidem nova creatio cogitari non poteſt citra productionem rerum novarum. Conſervatio enim eſt durationis rerum jam exiſtentium continuatio. Ut vero oſtendat, conſervationem eſſe poſſibilem, ita ratiocinatur: 1) Quicquid creari poteſt, illud etiam poteſt conſervari, ſiquidem exiſtentia re-
23. rum alias foret ἀδύνατος; 2) ſubſtantia finita nil habet, quod repugnet, quo minus ipſa aliquandiu conſervari poſſet, ſiquidem ipſa citra mutationem & ſucceſſionem quandam inſitam cogitari nequit; 3) creatio, quam ſumma ſapientia ſuſcipit, certos & generales ſcopos ponit, ideoque res ſingulæ creatæ conituntur ad ſcopum ſuum obtinendum in tempore per relatio-
26. nem & actionem; 4) gubernatio rerum creatarum eſt poſſibilis;

5) Deus

5) Deus ſupremus mundum conſervare poteſt & gubernare ſenſu tum phyſico, tum morali, ſiquidem nec a rebus creatis impediri, nec a perfectionibus ſuis alio flecti ac avocari, poteſt; 6) perfectiones infinitæ potius amplificationem, quam imminutionem & limitationem, objecti ſui exigunt; 7) perfectiones Dei naturam ſuam exuunt, quamprimum per ipſas conſervatio & gubernatio mundi redditur ἀδύνατος. Hiſce argumentis Cl. Autori viſum fuit oſtendere, conſervationem & gubernationem mundi eſſe poſſibilem. Exhibuimus ea ſigillatim, ſiquidem, alibi ea tam curate exponi & perluſtrari, haud meminimus. Noſtrum eſt monere, a Cl. Viro objectiones eorum exhiberi, feliciterque debellari, qui providentiam Dei, conſervationem & gubernationem mundi divinam, rebus, quæ fieri nequeunt, accenſent, rati, ſubſtantiam unam haud poſſe ſingulis rebus ſimul intuendis ſufficere, eamque, ſi vel maxime eis ſufficeret, beatitudinis nullius ob infinitas conſervationis curas fore capacem. Sic rationes ſuas ſubduxerunt *Lucretius II, 1089 ſeq.* & *Vellejus* apud *Ciceronem de Natura D. I, 20*, qui ſibi perſuaſerant, ea a mente ſuprema & infinita peragi haud poſſe, quæ vires mentium finitarum exſuperant. Naturas plaſticas Autor repudiat, ac utrumque illud Epicuræorum argumentum evertit ſolita perſpicacia mentisque alacritate. Tum vero ipſe convertit ſeſe ad ipſam providentiam Dei ſtabiliendam, & ab inſultibus frivolorum empæctarum vindicandam. Initio ita putat rationes: Exiſtit Deus, ergo exiſtit in rebus ab eo creatis providentia. Hinc ſic argumentatur: Summis exſplendet Deus perfectionibus, ergo ſalva eſt ejus providentia. Poſtea, eandem dari, ex moralibus Dei ac phyſicis perfectionibus it comprobatum. Tandem ita ratiocinatur: Datur infinitæ perfectionis ac naturæ Deus, ideoque providentiæ in mundo eſt locus. Eos, qui exiſtimant, Deum rebus creatis indidiſſe vim perdurandi, ideoque eas ſingulis punctis temporum haud conſervari, ita refellit, ut eos interroget, an omnipotentia Dei contingentem ſubſtantiam poſſit mutare in eam, quæ prorſus vi neceſſaria, & ad tempus aliunde haud pendente, exiſtat; an Deus impoſſibilia poſſit effectui dare. *Lucretii* indolem deli-

Pag. 30.

33.

39.

45.

50.

neat, qui Deum ex ingenio ſuo finxit. De Siamenſium theologia diſſerit. Mentium ſanctarum, inſultibus tentationis conflictantium, ſtatum & tenuiſſimam ſanitatem deſcribit. Ex morbidis ingeniorum momentis doctrinas ſanas eſſe dijudicandas, negat. Perfectiones rerum creatarum cum finibus ſuis conjunctiſſimas eſſe, docet, Deoque tribuit fines perfectiſſimos
Pag. 61. ampliſſimosque, per res creatas obtinendos, creatione ſola haud definitos vel concluſos. Niſi exiſtat providentia, Deus, creatione peracta, perfectionum, finium ſuorum, ac attributorum, & naturalium, & moralium, ſuit oblitus, eisque ſeſe exuit erga res creatas. Inſulſum ſane cogitatu. Mundus eſt potius ſpe-
66. culum ſapientiæ Dei ac reliquarum ejus virtutum. Perſtat itaque ejus providentia ac directio, per res creatas porrecta. Mundum exiſtere poſſe ab æterno, Cl. Autor inficiatur, dum ex creatione ad providentiam & gubernationem, qua Deus mun-
81. dum fovet, ſibi vinculum ratiocinationis coagmentat. Creationem Deo haud poſſe tribui, niſi ſimul eidem omniſcientia attribuatur, dilucide decernit. Ex duratione rerum creatarum, quæ quippe ſunt definitæ, menſuræque & numero adſtrictæ, colligit pro divina mundi conſervatione argumentum, ra-
91. tus, vim mundo haud impreſſam eſſe, nec inprimi poſſe, qua per ſeſe ſine externâ ope perdurare poſſit ad tempus ſatis diuturnum. Mundo certe deeſt virtus, vis, & potentia, qua ipſe poſſit conſervari & dirigi congruenter univerſitati finiumque
93. complexui. Philautiam ſui, felicitatis avidam, per ſeſe nil eſſe vitioſi, monſtrat. Spiritus finitos, quorum cognitio creſcit gradatim, ſine corporis acceſſione ineptos eſſe ad Deum
119. ex rebus creatis perſpiciendum, docere contendit. Argumentum, quod ex commercio mentis corporisque ad providentiam Dei ſtabiliendam concinnavit, prorſus eſt novum & fir-
127. mum. Colluviem hominum, & optimatum, ſive potius ſummatum, perſuaſionem de providentia Dei & remuneratoria & vindice, depingit vivis coloribus, eamque eſſe ſæpius perver-
155. ſiſſimam, demonſtrat. Regnorum & ſocietatum durationes tribuit Dei providentiæ. Magiſtratuum autoritatem ex eodem fonte deducit. Exponit adhæc ſententias ſacri Codicis nonnullas,

las, e. g. *Pſ. CIV, 27-29, Pſ. XXXVI, 7, 8, Hebr. I, 3,* atque providentiam Dei ex miraculis ac vaticiniis ejusdem confirmat. In miraculis leges ac vires originarias naturæ haud mutari, denuo tradit. Vim dari attrahentem, largitur. Eventus mundi & phyſicos & morales perpetuo complicatos eſſe nexu, docet. Legem naturæ manifeſtum eſſe providentiæ Dei præconem, operoſe ſolideque ſciſcit. Leges, quas Deus præſcripſit mentibus humanis, repræſentat mira arte, & more ſuo luculente depingit. Religionem, ex impoſturis conſarcinatam, generatim adumbrat. *Socratis* teſtimonium, de providentia Dei ac religionis revelatæ neceſſitate, quod apud *Xenophontem* & *Ciceronem* exſtat, in ſcenam magnifice producit. *Platonis* & *Platonicorum* ſuffragia æque in partes ſuas vocat. *Ariſtotelis* & *Epicuri* de rebus divinis cogitata improbat. Uterque enim Numen, quod hominibus nec nocere, nec prodeſſe, valet, aſſenſu & opinione firmavit. Stoicorum Deos fatum coercuit, ne liberam providentiam ipſi potuerint exercere. Cum Cl. Autor ad conſervationem Dei ediſſerendam progreditur, concurſum Dei vindicat ſingulis rebus, quæ conſervantur a Deo & reguntur. Diſcriminis meminit, quod in rebus creatis intercedit inter eſſentialia & accidentalia. Tum vero hæc ſubjungit: *Conſervatio divina, quoad ipſa a concurſu & gubernatione Dei differt, ſpectat duntaxat ad eſſentiam rerum, ac in cauſa eſt per operationem ſuam, ut res ſingulæ ad tempus prædefinitum eſſentiam ſuam durando tueantur. Vires, effectus, mutationes, & phænomena ſubſtantiarum, quæ nituntur eſſentia rerum, ac inde profluunt, non ſpectant proprie ad conſervationem, a Deo derivandam, ſed annumerandæ ſunt concurſui ac gubernationi illius.* Quis enim fata acerba, effectus & eventus triſtiſſimos, fructusque venenatos, ad conſervationem Dei referret? Illuſtrat Cl. Autor ſententiam illam *Pauli Act. XVII, 28: In Deo vivimus, movemur, & ſumus*, ratus, conſervationem ineſſe verbis: *in Deo vivimus*; concurſum deſignari vocibus: *in Deo movemur*; denique gubernationem Dei verbis: *in Deo ſumus.* Nil ineſſe virium rebus creatis, virium videlicet aliunde haud pendentium, quo illæ res conſerventur, ſolide

Pag. 170. 181. 186. 206. 213. 227. 230.

ſolide oſtendit, &, invita quadam Philoſophia recentiſſima,
Pag. 240. evincit. Addit, res creatas ſingulas in nihilum recidere poſſe,
licet ipſæ tendant ad ſui conſervationem, & fines præſtitutos, vel
libere expetitos. Cum in eo eſt, ut modum, quo Deus mun-
247. dum conſervat, deſignet, conſervationem ab omnipotenti vo-
luntate Dei arceſſit, ratus tamen, conſervationem in gratiæ
regno conſiſtere præterea in quadam operationis immiſſione.
Non poteſt igitur, quin repudiet eorum opinionem, qui, per
conſervationem, exiſtimant, deſignari 1) modum, quo res per
ſeſe ſubſiſtunt vi haud definita, haud circumſcripta; vel 2)
creationem continuatam; vel 3) virium amiſſarum reſtitutionem;
vel 4) divinum pronuntiatum vel decretum. Si qui penitius ve-
riusque hæc diſpicere queant, eis nec palmam, nec aſſenſionem
324. ſuam, invidebit. Concurſum, ſeu influxum, Dei ad ſolos homi-
nes vel mentes finitas ſolas ſpectare, negat. Ut modum illius
concurſus determinet, tres opiniones refellit repudiatque, &
quartam facit ſuam. Sunt enim, qui, concurſum illum in me-
chaniſmo ſitum eſſe, arbitrantur. Sunt, qui, citra interventum
rerum creatarum ſingulas actiones a Deo peragi in mundo, ſibi
perſuaſerunt. Sunt, qui putant, creatorem & ſubſtantiam
creatam una ſimulque operari, ſuosque producere effectus. Ipſe
autem ita ſubduxit rationes, ut doceat, cauſas ſecundas per
vim propriam proprioque arbitratu agere, nil amplius requiri
quidquam a Deo, niſi ut illas conſervet & gubernet. Medita-
te, terſe, eleganter, compoſite, & ad Oratoris amuſſim, concin-
navit ſuam hanc tractationem, eorumque in officina inſignem ſibi
locum delegit, qui in argumentis diducendis, digerendis, or-
nandis, & pingendis, ſunt occupati, receſſibusque profundæ
Metaphyſices diluculantibus lucem ſplendoremque valent con-
ciliare. Appuleramus jam animum calamumque ad *continua-
tam creationem* e Philoſophia & Theologia proſcribendam, ne
id, quod naturale eſt in rebus, perpetuo ſimul exiſtimaretur
reſpectu rerum creatarum ſupernaturale, ac ut creationem ex-
imeremus e miraculorum ordine, aut, ſi creatio miraculum
eſſe perhibeatur, ut mundus a perpetuis miraculis immunis
perſtaret, ac proprietates Dei excellentiſſimæ ſua ſplenderent
luce.

luce. At meditationes noſtras antevertit ac præripuit feliciſſimo arduoque labore Cl. Autor, qui in hac tractatione errores Philoſophorum Theologorumque ſummorum, quos difficultas argumenti, ſpinis obſepti, pepererat, egregie detexit, venuſte dilucideque explicavit, & ſolide diſcuſſit. Ne hanc laudem detraheremus ei, qui ea ſeſe dignum reddidit, luculentam hanc & exporrectam commemorationem adhibuimus, in poſterum futuri breviores.

HISTORIA DE ARIANISMO, OLIM SMIGLAM infeſtante, unà cum hiſtoria loci eccleſiaſtica uſque ad præſentem ætatem, operoſè compoſita ac collecta a MARTINO ADELT, Paſt. Smigl. Prim. & Inſp. Eccleſ. Evang.

Dantiſci, apud Georg. Marc. Knoch, 1741, 8.

Plag. 7.

Germanico ſermone librum hunc eſſe conſignatum, præmonemus, neceſſum eſt. Urbs Smigla in Polonia majori ſita eſt. In ea *Duditbius*, qui quondam in Concilio Tridentino eloquentiſſimas recitavit Orationes, fundavit templum, hoſtibus divinitatis Jeſu traditum. Hi vero ſtabilem ibi ſedem haud potuerunt parare. Quam ob cauſam *Stanislaus Lubieniecius* res ſuorum Smiglenſes tacitus prætermiſit. Tractatio hæc in *quatuor Capita* fuit diſtributa. Vir Pl. Rev. *Capite primo* de Smigla, ejusque ſitu, urbis, ac dominis, præcipue de Comite *Alexandro Joſepho Sulkowſki*, diſſeruit. *Capite ſecundo* tractavit res Arianorum. *Andreas Duditius*, A. 1565 indigena Poloniæ in comitiis Petricovienſibus declaratus, emit Smiglam, ibique A. 1584 circiter Socinianis templum condidit, certe, ut conderetur, perfiſit. Socinianiſſimus clanculum ſerpſit præterea ad oppidum regale Meſeritz, Wartæ adjacens, ibique ante A. 1630 Eccleſiaſtas Evangelicos duos, *M. Joannem Caperum*, & *Joannem Schwartzium*, infecit. Urbem Smiglam *Duditbius* a *Stanislao Cichowski* emit, æquè Sociniano. Unde fit veroſimile, Socinianos eo jam ſeſe diffudiſſe ante *Duditbium*. Defuncto

Pag. 16. 20. 23.

Pag. 27. functo A. 1589 *Dudithio*, urbs pervenit ad *Eliam Arciszewsky* per uxorem *Helenam de Zakrzewo*, qui & dominum urbis
32. & Socinianum Ecclesiasten egit. *Casparo Jaruzelo Brzezinskio* defuncto, Socinianis nil restitit opis in oppido Smigla. Ecclesiastæ Sociniani Smiglam incoluerunt nonnulli, nominatim *Andreas Lubieniecius*, *Stanislai* cognatus, *Elias Arcisſewski*, editor
39. libri, a *Socino de Servatore Jesu Christo* scripti, *Joannes Volkelius*, Grimmensis, *Christophorus Ostorodus*, Goslariensis, Dantisci A. 1611, 7 Aug. defunctus, *Matthæus Radecius*, antea a secretis Reipublicæ Gedanensis per 26 annos, *Joannes Caperus*, Ecclesiastes antea in Meseritz Evangelicus, tandem a tur-
44. ma in piscina submersus, *Valentinus Smalcius*, Gothanus, simul quidem Scholæ Rector, qui A. 1604 Racoviam discessit, ac tandem *Ernestus Calbius*, Rigensis. *Capite quarto* egit Autor de eis, qui Arianismum Smiglensem refellerint, inprimis de
52. *Martino Smigletio*, Calisiensi Priore, Jesuita, & Scholastico. In Appendice disseruit de Ecclesiastis, scholæ rectoribus, cantoribus, reliquisque scholæ collegis. Autor Arianos & Socinianos habuit pro ejusdem doctrinæ assectatoribus, fortassis eo, quod utrisque tunc bene invicem convenit. Si plures ejusmodi exstarent libelli, historia regnorum & regionum ecclesiastica facilior foret paratu ac elaboratu.

Historie des Torgischen Buchs, ꝛc.

hoc est,

HISTORIA LIBRI TORGAVIENSIS, CEU PROximi moduli, ex quo Formula Concordiæ Bergensis facta fuit ac enata; in qua disseritur de ejus compositione & mutatione varia, ac de anecdotis, ad Formulam Concordiæ referendis; Autore JAC. HENR. BALTHASARO, S. S. Theol. D. & Prof. Gryphiswaldiensi, Regio Dicasterio Ecclesiastico adscripto, ac ad S. Jacobi Ecclesiastæ.

Pars I, II, & III.

Gryphis-

Griphiswaldiæ & Lipſiæ, apud Jo. Jac. Weitbrecht, 1741, 4.

Plag. 15.

Ut obex in Eccleſia Evangelica litibus & controverſiis inteſtinis poneretur exeunte Seculo XVI vires contenderunt & Principes Proteſtantes, & Theologi eorum præſtantiſſimi. Literis conſignavit eo fine *Jacobus Andreæ* libellum, inſcriptum: *Erklærung der bisherigen Streitigkeiten*, ac paſſim eum miſſitavit, ut conſenſionem Theologorum exploraret. Adhuc illum edidit in lucem nemo. *Mart. Chemnitius* ac *Dav. Chytræus* eum perlegerunt, mutarunt, & correxerunt, ac ita comparatum remiſerunt Tubingam. Mutatus iſte libellus appellari ſolet *Concordia Suevica & Saxonica*. Quid *Chemnitius* & *Chytræus* in eo mutaverint, Autor S. Rev. ſignificavit, ac inedita hactenus *Chytræi* ad *Jacobum Rungium* Epiſtola, A. 1572 ſcripta, nunc a ſeſe evulgata, illuſtravit. Præterea omittendum haud eſt, *Lucam Oſiandrum* ac *Balthaſarem Bidembachium expoſitionem* controverſiarum, methodumque eas tollendi, literis mandaſſe, &, A. 1575 in Cœnobio Maulbrunnenſi a Theologis, ibi aſſidentibus, reviſam & approbatam, ineunte anno ſequenti ad Electorem Saxoniæ miſſam fuiſſe. Nec hanc quisquam adhuc edidit in lucem. De Concordia Suevica & Saxonica quid ſibi videretur, *Jacobus Andreæ* indicavit apud Electorem eundem, qui A. 1576 Theologos Torgaviam coire juſſit ad compoſitionem concordiæ eccleſiaſticæ perficiendam. Quid in eo conventu præſtitum fuerit, Noſter ſolicite expoſuit. *Chemnitius* ægre adductus fuit, ut illi intereſſet conventui. Gaviſus tamen eſt poſtea, rem ſucceſſiſſe feliciter congruenterque veritati divinæ. Communicatus eſt deinde liber Torgavienſis cum Principibus ac Theologis compluribus, quorum annotationes transmiſſæ ſuaſerunt, ut A. 1577 Bergæ concordia denuo ſuſciperetur effectui danda. Quid ſenſerint Theologi Pomeraniæ, Holſatiæ, & Anhaltini, de formula Bergenſi, Autor Cel. diligenter annotavit. A Rege Danorum eam igni fuiſſe injectam, idem negavit, ratus, *Dav. Chrytræum* non modo exſtitiſſe ſubſcriptorem, ſed autorem quoque, illius. De differentia, quæ intercedit inter librum Torgavienſem & Formulam Concordiæ, varii varie ſenſerunt.

P. I.

Pag. 4.

8.

13.

17.

19.

Pag. 24. ſerunt. Autor *Chytræi* & aliorum judicia recenſuit. Editio-
32. nem libri Bergenſis primam, A. 1580 confectam, indicavit, quam alii varie determinare fuerant auſi, demonſtrans, anno illo editiones ad minimum quatuor Dresdæ curatas fuiſſe. Recen-
36. ſet editiones alias, ac *Reineccianam* prædicat, &, licet eam a naevis librariorum haud pronuntiet immunem, tamen Quedlinhurgenſi correctioni & editioni anni 1602 Lipſienſi conſentaneam eſſe arbitratur. Numerum init editionum Latinarum & vernacularum, quibus loci theologici, a *Philippo Melanchthone* pro-
41. poſiti, fuerunt illuſtrati. Hæc ad prolegomena ſpectant. Expendit poſthæc S. Rev. Autor titulum libri Torgavienſis, ejuſque
P. II. articulos priores duos. De titulo diſſerit ſub finem *Partis primæ*. *Parte ſecunda* commentatur ad Præfationem, ex Maul-
Pag. 8. brunnenſi expoſitione deſumtam, & ad reliqua. Archetypon
3 Auguſtanæ Confeſſionis an Moguntiæ reſtet, definire haud audet. *Eutychianos* errores rejici in libro Torgavienſi ac Bergenſi,
15. & Chalcedonenſe Concilium in eo approbari, oſtendit. De di-
26. verſis Auguſtanæ Confeſſionis editionibus ſolide exponit. Id ubique dat operam, ut exhibeat variantes lectiones, quæ deprehenduntur inter expoſitionem Maulbrunnenſem, ac librum & Torgavienſem & Bergenſem. Fundamenti vicem ſuſtinet editio *Reineccian*a, cujus unum & alterum parorama peræque notat. De ſententiis & articulis fidei hic haud agitur. In his enim diſcrepantia inter libros illos haud invenitur. Quid Theologi monuerint de libris *Lutheri*, pro norma doctrinæ haud reputan-
37. dis, edifſerit Autor. De *doctrinæ corpore Saxonico* ſolide exponit, monens, Latine illud jam prodiiſſe A. 1560. Illud ab Electore *Auguſto* pro norma doctrinæ habitum fuiſſe, oſtendit.
42. Imitatos eſſe Electorem Vinarienſes, Haſſos, ac Noribergenſes, cum Gedanenſibus, Brandeburgicis, Bremenſibus, Hungaris, Wolferbuttelanis, Palatinis, Anhaltinis, & Pomeranis, addit. Non omittit concertationes triſtiores, inde exortas duce *Flacio*, quem ſecuti ſunt Luneburgenſes, Thuringici Theolo-
45. gi nonnulli, Plavienſes, Boruſſi, Brunſuicenſes, Serveſtani, Jenenſes, *Jo. Wigandus*, *Jo. Schellhammerus*, &c. Autoritatem corporis hujus colloquio Lichtenbergenſi A. 1576 detrac-

tam

dam esse, docet. Monet, Formulam Concordiæ ad Silesios haud perveniſſe. *Parte III* de articulis duobus prioribus, libro Torgavienſi expoſitis, agit. Controverſias & admonitiones, de doctrina, ad liberum arbitrium ſpectante, propoſitas ultro citroque, copioſe recenſet. Quid ſibi velit pædagogia legis ad Chriſtum, hiſtorice exponit. Iis, qui hiſtoriam *Luthero*-Evangelicorum eccleſiaſticam curæ cordique habent, hoc libello ægre poterunt carere. Oramus publice Autorem S. Reverendum, ut telam, glorioſe ſolideque inchoatam, pertexere ne dedignetur. Dudum enim conſuevimus ab eodem non niſi limatiſſima quæque, publicisque accommodata uſibus, exſpectare. Pag. 58. P. III. Pag. 61.

DE SYMPATHIA, SEU CONSENSU PARTIUM corporis humani, ac potiſſimum ventriculi, in ſtatu morboſo, Diſſertatio medica, Autore HENRICO JOSEPHO REGA, Med. Doct. in Academia Lovanienſi Profeſſore.

Harlemi, apud Joannem van Lee, 1739, 8.

Plag. 18.

Bonum eſt & laudabile Cl. Autoris conſilium, quod ad argumentum nondum ſatis illuſtratum, explicatumque, operam ſtudiumque convertit. Per ſympathiam intelligit non tam plurium partium conditionem morboſam, uno eodemque tempore coortam, quam potius connexionem aliquam & ſubjectionem, qua unius partis affectio ab alterius affectione pendet, undecunque hæc proficiſcatur, ſive ex eo, quod pars agat in partem, ſive ex eo, quod altera alterius vitio quoquo modo patiatur, & laboret. Oſtendere igitur conatur toto hoc opuſculo, quam frequenter in morbis partes in communem doloris ſenſum veniant, & compatiantur, & quomodo partes male affectæ in conſenſum trahant alias partes ſanas adhuc & integras, ſimulque probat, morbum non ſemper incipere, & primum ſentiri, in ea regione & loco, ubi noxa eſt inflicta, malique cauſam alio ſæpe loco, quam ubi ſe exſerit, & ſentitur, eſſe abſconditam,

ditam, primamque morbi originem & fontem non ſemper in parte male affecta, ſed ſæpius in alia, eaque interdum ſatis remota, quæri oportere. Neque vero hic Cel. Autor cauſas hujus conſenſus, abditas ſæpe, vel prorſus occultas, niſi interdum breviter, ubi ita fert occaſio, perquirit, nec hypotheſibus delectatur, verum id, quod ad curandos morbos utile eſt ac fructuoſum, reſpicit, ut ſcilicet ope hujus ſympathiæ morborum plurium cauſa princeps recte cognoſcatur, ad eamque tollendam omnis convertatur cura & cogitatio. Neque ad ſuam ſolum experientiam provocat, ſed aliorum quoque Clariſſimorum Medicorum obſervationes ac teſtimonia adducit in medium, ut intelligatur, omni tempore & ab omnibus, qui paulo accuratius ad ſingula naturæ phænomena attenderunt, conſenſum illum, ſi non clare perceptum, ſaltem e longinquo, & velut ſub maligna luce, viſum fuiſſe. Quanquam vero inſigniores partes quaslibet revocat ad examen; non tamen, quæ in promtu quidem eſſent, affert omnia, cum quævis fere ſingularem libellum expoſcant, ſed, delectu habito, ex magna exemplorum copia quædam tantum ſpeciminis loco expromit. Poſtquam igitur *Cap. I* hujus tractationis indolem & finem breviter explicuit, *Cap. II* conſenſum partium tum autoritate *Hippocratis*, *Celſi*, *Pythagoræ*, *Galeni*, & *Ballonii*, probat, tum experimentis medicis atque chirurgicis generatim confirmat. *Cap. III*, de origine, cauſa, & modo, fiendi conſenſus partium, non rejicit rationem ejus, a communi origine, vel communicatione, nervorum petitam, quoties nimirum communicatio illa obſervatur, vel ſubeſſe probabiliter cenſetur, ut, in his etiam caſibus eum explicandi modum ſufficere poſſe & debere, concedat. At vero, ubi nulla manifeſta vel probabilis connexio, nulla vicinitas, aut contiguitas, nervorum eſt, tum pro illis poſſe non minus plauſibilem, & *Baglivii* potiſſimum experimentis nixam, rationem, nempe mirabilem illam fibrarum, præcipue membranacearum, continuationem, per totum corpus productam, aſſignari, opinatur. Ex *Baglivii* ſcilicet ſententia omnes totius corporis membranas connecti & communicari cum membranis cerebri, idque nervorum beneficio, &, cum ſolidum

ſolidum irritatum atque oſcillans momento temporis oſcillationes ſuas ad remota & omnia loca propaget, quibus per continuam fibrarum ſuarum ſeriem connectitur, fibram noſtri corporis, ab objectis morboſis vel aliis varie pulſatam, pulſationem ſuam perpetuare, & ad remota etiam loca momento temporis protendere, aſſeverat, quoniam nulla adeſt ratio, quare fibræ corporis noſtri ſumme contractiles atque elaſticæ ab his legibus mechanicis eſſent exemtæ. Ut adeo conſenſio ea, ſeu ſympathia, fieri videatur per oſcillationem doloroſam, a centro oſcillationis loci affecti ad remotas partes propagatam, qualem & ipſi ægroti percipere identidem ſolent, quando fumos adſcendentes, vapores vagantes, fluxiones deſcendentes, catarrhos ad hanc vel illam partem decumbentes, accuſant. Opinionem vero hanc non recens excogitatam, ſed a ſapientiſſimis Medicis jam olim eſſe propoſitam, contendit, & difficultates quasdam, illi obſtantes, removet. *Cap. IV* rationem conſenſus capitis cum præcipuis corporis partibus, beneficio meningum, cum ventriculo ſcilicet, oculis, auribus, lingua, hepate, & artubus, itemque ſymptomata, quæ læſo capiti ſupervenire ſolent, enarrat. *Cap. V* de ventriculi generatim conſenſu cum omnibus corporis partibus agit, eumque venenorum actione illuſtrat; quod & *Cap. VI* perſecutus, cauſam tam communis conſenſus a magna ventriculi teneritate, & exquiſitiori ſenſu, fibrisque illis motricibus, inter fibras quascunque, unde prima deducta fuerunt ſtamina, maxime agilibus, cum *Hecquetο*, item a nervorum diſtributionibus, præcipue intercoſtalis & paris vagi, cum *Williſio* & *Vieuſſenſio*, repetendam putat, admonitionesque & cautiones practicas ſubnectit. *Cap. VII* conſenſum ventriculi cum capite, exemplo delirii ex ventriculo, vertiginis, & affectuum ſoporoſorum, item ventriculi cum facie conſenſum; *Cap. VIII* conſenſum ejus cum lingua, faucibus, partibusque aliis palati, cum pectore, item cum diaphragmate, exemplo ſingultus, tuſſis, aſthmatis, incubi, pleuritidis, cordis affectuum; *Cap. IX* conſenſum ejus cum quibusvis partibus abdomine incluſis; *Cap. X* cum partibus externis, cute articulisque, exponit. *Cap. XI*, præmiſſa generali febrium idea,

oſtendit, fomitem earum, malignarum præcipue, epidemiarum, & contagioſarum, in ventriculo hærere; id quod *Cap. XII* de intermittentibus quoque febribus aſſerit, & cum communi Medicorum omnium opinione, tum ſymptomatum ratione, remediisque, & curatione, comprobat, atque hecticæ etiam febris nonnullæ originem ex ventriculo repetit. *Cap. XIII* ex his allatis, plerorumque morborum ortum ex ventriculo deducendum, medicamentorumque in eundem præcipuam actionem, & hinc illius in praxi rationem inprimis habendam eſſe, argumentatur. *Cap. XIV* inſignem uteri conſenſum cum capite, oculis, facie, pectore, ſtomacho, meſenterio, hepate, inteſtinis, lumbis, partibusque ſubcutaneis, eruit. *Cap. XV* conſenſum aliorum viſcerum abdominis, inteſtinorum, hepatis, lienis, meſenterii, renum, veſicæ, teſtiumque, exponit. *Cap. XVI* de conſenſu partium pectoris, qualis in organorum reſpirationis non actionibus ſolum, ſed paſſionibus etiam, demonſtratur, conſenſu pulmonum & diaphragmatis cum aliis reſpirationis organis, cum teſticulis, pedibus, viisque urinariis, alioque cum partibus quibusdam cordis, conſenſu, diſquirit. *Cap. XVII* de reliquarum corporis partium, & potiſſimum externarum, conſenſu cum oculis, cerebro, & oculorum inter ſe, cum partibus item inferioribus, palpebrarum, narium, aurium, cum cerebro, faucibus, pectore, lingua, dentibus, partibusque quibusvis corporis, conſenſu dentium, gingivarum, partiumque ore comprehenſarum, & cutis, diſputat. Ut præſtans hoc eſt argumentum, quod tractat Cel. Autor; ita, illud interdum deduci explicarique melius potuiſſe, cenſemus. Bene feciſſet Cl. *Rega*, ſi ſingula conſenſionum iſtarum phænomena ſuis verbis bono ordine digeſſiſſet, & Autorum teſtimonia ad fidem illis conciliandam allegaſſet tantum, nec ipſa Autorum verba, ſæpe nimis ampla, cumulaſſet, utpote quod cum non mediocri plerorumque lectorum tædio putamus factum.

Natur-Lehre zweyter Theil, ꝛc.
hoc eſt,
JO. GOTTLOBI KRÜGERI, PHILOS. ET MEdicinæ

dicinæ Doctoris, Phyſices Pars ſecunda, Phyſiologiam, ſeu doctrinam de vita & valetudine hominum, complectens, & accuratis Tabulis Figurarum, æri inciſarum, illuſtrata.

Halæ Venedorum, 1742, 8.
Alph. 1 plag. 1, Tab. æn. 11.

Quam doctrinam Medici Phyſiologiam appellant, ſibique adhuc vindicarunt, eam, Cel. Autor, eſſe partem Phyſices, in Præfatione oſtendit. Ecquis enim doctrinam, quæ corpora, eorumque naturam, exponit, a Phyſicorum officinis exiſtimabit remotam eſſe & disjunctam? Nonne & corpus humanum eſt corpus, idque ſapientiſſime exſtructum? Nonne Phyſiologia nititur Phyſices principiis & conſultis? Nonne, hiſce ſepoſitis & nullius penſi habitis, Phyſiologia commentis, fictionibus, & imaginationis vario ludibrio, ſcatet? Uſus hujus partis eſt tum multiplex, tum Philoſophis, JCtis, & Theologis, ſaluber. Omnium enim eſt, ni hominum, certe eruditorum, noſſe corpus ſuum, idque conſervare pro viribus. *Sectionem* tractationis hujus *poſteriorem* diſtulit Cel. Vir, eamque propediem vel edet, vel jam in lucem emiſit. Agite, videamus, quid *Sectio* hæc *prior*, in qua recenſenda verſamur, complectatur, quid ipſa egregii offerat. *Capitibus* ea conſtat *octo*, quæ eleganter, terſe, ſtiloque minus arido, licet legem demonſtrationis aſſectante, ſunt elaborata & expolita. *Capite primo* diſſeritur de corpore humano generatim; de uſu, qui ex ejus cognitione exſpectari poteſt, de origine hujus notitiæ ex morbis, de origine eruditionis medicæ, de medici peritia philoſophica, de anatomes neceſſitate, de corporis humani natura, ejusque vi motrice, de corpore machina, de Philoſophiæ methodo mechanica, de Medicinæ hiſtoria, de valetudine ſecunda, de partium corporis humani æquilibrio & pulchritudine. *Capite ſecundo* exponitur de ciborum in ore tractatione, de cibo ac potu ſpeciatim, de panis ſalubritate & aquæ uſu, de abuſu ciborum, de fructibus fœtibusque hortorum, de carne, de potu, præcipue aqua & vino, de muſculis, de ciborum maſticatione

Pag. 29.

Pag. 51. per mandibulorum compreſſionem, per muſculos, digatricum, temporalem, maſſaterem, pterygoideum internum & externum, buccinatorem, zygomaticum, elevatorem labiorum, deprimentem, caninum, platiſmamyoden, mentalemque. Tum
54. diſputatur de dentibus, eorumque officio & uſu. *Caput tertium* ſalivæ propius conſiderandæ proprium eſt. Exorditur Cel. Vir a glandulis, ſputum excernentibus, ratus, ſalivam eſſe ſubtilem & pellucidam, guſtuique inſervire, continere aliquid ſalis, res dulces fermentationi exponere, ſummique eſſe uſus.
63. Ex experientia it comprobatum, ſalivam communicare cum partibus contrectatis affectus & propenſiones, cibos commutare in corporis humani partes, nec exſpuendam eſſe. Agit deinde de deglutitione, de epiglottide, de motu ſenſionibus
80. proportionali, a priori nondum demonſtrato, nec ex attentis animæ curis explicabili, de œſophago, cujus fibrillæ muſculoſæ ſint per helicum figuras formatæ, & de diaphragmate, ſto-
86. machi clauſtro. *Capite quarto* ediſſeritur concoctio & digeſtio ciborum. Refellit eorum opinionem, qui concoctionem per excoctionem & triturationem, vel per reſolutionem, interventu acoris vitalis peractam, exponunt. Hiſtoriolam de dente pue-
89. ri Sileſii aureo intexit, meritoque ridet, licet ab *Horſtio*, *Rulando*, & *Ingolſtetero*, commentationibus explicatam. Addere potuiſſet jucundiſſimas de Vampiris commemorationes. Stomachum & inteſtina contemplatur, figuris æri inciſis illuſtrat, &
93. expoſitione perfundit. Concoctionem oſtendit fieri per ſalivam translatam, & per liquorem gaſtricum, ſtomachumque cum machina *Papiniana* in comparationem adducit. Differit de ſtomachi tunica muſculoſa, e nervis ſubtilibus contexta, ſtomachique motu, quo cibi agitantur, exprimuntur, conteruntur, humectantur, & permiſcentur. De motu periſtaltico commentatur, rationesque, cur beſtiæ firmiori ſtomacho ſint præditæ, affert. Quantitatem virium motricium ventriculi æſtimat, nec *Borello*, nec *Pitcarnio*, adſtipulatus. Stomachi actionem in duriores, quam in molliores, cibos eſſe fortiorem, monet. Immodici cibi detrimenta exponit, eique jejunia, loco medicinæ,
103. opponenda eſſe, putat. Ex debilitato ac impedito motu periſtaltico

ſtaltico ventriculum ipſum depravari, ac hypochondriacum morbum, literatis cum aliis communem, enaſci, oſtendit. De natura & uſu inteſtinorum, de fame & ſiti, ea adjungit, quæ haud facile in controverſiam veniunt. *Capite quinto* de bile & ſucco pancreatico commentatur. Bilis virtutes cum ſaponis comparat effectionibus. Bilem chimice perpendit. Uſum ejus, qui in alvo aperienda conſiſtit, ſubjungit. Hinc, ad *Caput ſextum* progreſſus, tractationem de ſucco lacteo, ejusque vaſis, ſuſcipit. Principio rationis ſufficientis muniendo *ὡς ἐν παρόδῳ* Pag. 124. operam impendit. Qua ratione chilus in vaſa lactea moveatur, nondum in expedito eſt. Sunt, qui, eum per motum periſtalticum propelli, ſibi perſuadent. Ab his haud ſtare ſeſe profitetur Noſter. Confugit potius ad rationem, qua materiæ fluidæ in tubulos capillares intinuantur, & vaſa lactea comparat 130. cum tubis capillaribus, quippe quæ per vim attrahentem recipiant evehantque chilum. At in tubis capillaribus pro ratione diametri materia fluida adſcendit ad certam altitudinem, nec poſtea ſuccedit aliquid, adſcenſumve molitur. In vaſis autem lacteis chiliferæ particulæ poſteriores ſuccedunt prioribus, guttæque guttis veluti in flumine ſuperveniunt. Accedit, quod tandem pori cuticulæ admodum remota: comparari poſſunt cum tubulorum capillarium apertura ſuperiori, quæ eſt in proximo. Si calor vaſorum lacteorum tantus eſt, ut ſpeciem vacui reſpectivi referat; res omnis eſt in vado, ac pateſcit ratio, cur ſtomachi confinia adeo a frigore poſſint impediri ac corrumpi. Verum hæc aliis expendenda relinquimus. Objectionis tela prævidit Cel. Autor, ac eis amoliendis exhibuit obtulitque cogitata de ſitu tubulorum capillarium horizontali, vel ad horizontem inclinato. Liceat autem denuo monere, nobis nondum 139. fieri planum, qua ratione ex ſitu ejusmodi ſucceſſio guttularum progredientium poſſit exiſtere. Perplacuit ratio Autoris, 141. cur hypochondriaci fiant umbris macilentiores. Glandulis meſaraicis haud tribuit ductum excretorium, eisque tribuit illum uſum, ut per ſuas muſculoſas fibrillas chilo preſſionem, qua expeditius hic per vaſa ſecundi generis lactea ſerpat, accommodet. Arteriarum pulſus, ac diaphragmatis agitatio, reſpira- 148. tioni

tioni congruens, movent præterea vaſa lactea, quibus chilus ad ductum thoracicum deducitur. De ductu thoracico, & ratione, qua chilus per illum ſcandit, ac in venam ſubclaviam ſeſe effundit, Autor diſſerit ſuccincte, addita de excrementis tractatione. *Capite ſeptimo* de circulatione ſanguinis dicere ag-
Pag. 152. greditur, nilque omittit intactum, quo notitiam accuratam lectori ſubminiſtret. Globulos in ſanguine rotundos, indolis terreæ, animadvertit, dubitans, an *Leuwenhœkius* globulos chili albos beneficio microſcopiorum, licet ita perhibuerit, ſpectare potuerit. Perſuadet tamen ſibi, hoſce fictionibus haud eſſe annumerandos. Ruborem ſanguinis oriri ex ſulphureis ac alcalinis ſalibus, invicem permiſtis, ſtatuit. Illuſtrat ſententiam ſuam ex origine chimici corporis, quod *hepar ſulphuris* deno-
156. minatur, & cujus interventu aurum ſolvitur. Illuſtris quondam *Stahlius* conjectavit, *Moſen* hac materia vitulum aureum in deſertis convertiſſe in aurum potabile. Liceat vero exiſtimare, vitulum illum fuiſſe auratum, non ex ſolido aureum, ideoque igne in pulverem potuiſſe converti. Sæpius enim id in Vet. Teſt. dicitur aureum, quod eſt deauratum. Et undenam tantum auri Iſraelitæ paraſſent ſua ætate, ut tantam auri maſſam conflare valuiſſent? Gravitatem ſanguinis ſpecificam in libero aere augeri, in corpore autem per motus vehementiores
160. admodum rarefieri, docet. Fibrillas ſanguinis emiſſi idem a frigore & nova cohæſione arceſſit, negans, eas corpori humano ineſſe. Polypum cordis ex condenſatione & congrumatione ſanguinis oriri, tradit. Arterias & venas, earumque tunicas, contemplatur. Circulationem ſanguinis ab *Eraſiſtrato* & *Hip-*
165. *pocrate* cognitam fuiſſe, inficiatur. Infuſionem & transfuſionem expendit. Dari æquilibrium in tota ſanguinis maſſa, demonſtrat. Merita Ill. *Chriſtiani Wolfii* prædicat, eo quod hic methodum Mathematicorum in Philoſophiam transtulit.
174. Structuram cordis repræſentat & deſcribit. Naturam pulſus arteriarum mechanice exponit. Motum ſanguinis ad leges phoronomicas exigit & conformat. Plethoræ phænomena ſtudioſe pertexit, & ſub examen rationis vocat. Dimenſionem virium vivarum *Leibnitianam* ſequitur, ejusque uſum in dijudicando ſangui-

ſanguinis motu ad vivum demonſtrat. Arteriarum arterias & arteriolarum dari canales minores, ſuccum albidum vehentes, monet. Rationem, cur ſanguis lentius moveatur in ar- Pag. 206.
teriis minoribus, quam majoribus, ex diſtributione ramorum, eo magis creſcente, quo arteriæ a trunco & origine ſui 209.
ſunt remotiores; ex appulſu ad parietes arteriarum molles; & ex ipſa ad canales frictione, petit. In arteriolis minimis ſanguis fere eadem movetur celeritate, qua ille agitatur in arteriis majoribus. Phænomeni hujus rationem Cl. Autor ex vi 216.
tubulorum capillarium attractiva exponere contendit. Venarum officia & uſus ſtructuræ explicatæ ſubjungit. Sanguini ineſſe aerem elaſticum, aeri externo æquilibrem, ſtatuit, eumque in corpus pervenire per cibum potumque, aere refertum, addit. Cur globuli ſanguinis in minores diſſiliant, & cur ſanguis induat figuram ſphærularum, quærit ipſe. Phænomenon prius ad rationem inventam haud revocavit. Poſterius ex vectis gemini natura illuſtrat. Et hæc quidem ſive demonſtratio, ſive illuſtratio, nobis paulo obſcurior fuit, licet mechanica de vecte tractatio nobis pelluceat. Menſuram virium, a
Keilio inſtitutam, nec phænomenis, nec phoronomicis decretis, 246.
facere ſatis, illud eſt, quod clariſſime perſpeximus. Noſter conjectat, in homine adulto deprehendi circiter 55 ſanguinis libras. Originem morbi hypochondriaci *Stahlianam* profligat. 252.
Diſſidet ab eis, qui, mundum hunc finibus a Deo intentis convenientiſſimum, id eſt, optimum, eſſe, negant. Adſtipulatur eis, qui, binas ſanguinis uncias ſingulis arteriarum pulſibus ex corde exprimi, arbitrantur. Singulis horis pulſus ar- 263.
teriarum ſingulos evenire 325 vicibus, oſtendit. Recenſet obſervationes, a *Pitcarnio* in ſanguinis commixtione peractas. Opinionem *Galeni* de ſanguinis quatuor partibus, ac de quatuor hominum temperamentis, inde eliciendis, merito proſcri- 275.
bit. Particulas ſanguinis chimice examinat, & rationem, cur homines demortui videantur ſtatura proficere, allatam illuſtrat. *Capite ultimo* doctrinam de tranſpiratione, ſub ſenſus haud cadente, exequitur, præmiſſis eis momentis, quibus anima mechaniſmo inimica ex motibus corporis eliminatur. Nec tamen

Pag. 291. inficiatur, motus illos, qui e ſenſionibus in nervis oriuntur, ad animam, neſcimus quo pacto, eſſe referendos. Et ita tribuit ſuum cuique, & *Stahlianis*, & *Hofmannianis*. Poros pro totidem tubis capillaribus habet. Omittimus reliqua, quæ ex hoc ſpecimine colligi queunt, pronuntiata. Addimus illud unicum: *Plaudite.*

LETTRES SUR LES HONGROIS, &c.

id eſt,

EPISTOLÆ DE HUNGARIS, SCRIPTÆ a Domino du B.

Amſtelodami, 1742, 8.

Plag. 4.

Qui Epiſtolarum harum eſt Autor, Hungariam veneratur ſolum ſolum natale, ac imitatur rationem ſcribendi, quam ille adhibuit, qui Epiſtolas de Batavis & Anglis edidit in vulgus. Exhibentur hic literæ quinæ. *Primis* natura, ſitus, ac fertilitas, Hungariæ ediſſeritur. *Secundis* exponitur ratio regnandi, ſtatusque publicus. Delineatur *tertiis* indoles Hungaris innata & inſtillata. *Quartæ* exhibent deſcriptionem ingeniumque fœminarum Hungaricarum. *Quintæ* offerunt lectori ſtatum Hungariæ politicum. *Sextæ*, eæque poſtremæ, in recenſendis Hungarorum animi remiſſionibus, ſaltationibus, & ſpectaculis, ſunt poſitæ. Oſtenderunt profecto hiſce temporibus Hungari, fidem & fortitudinem commemorabilem a ſeſe nondum eſſe alienas. Regio meſſes paſſim unico anno geminas reddit. Fluvii piſcibus abundant. Paſtiones excellunt. Vinis pretium eſt, Tockaienſi inprimis. Montes referti ſunt auri, æris Cyprii, ferri, ſalisque, fodinis. Salis provenit affatim in Comitatu Maramaros. Nec marmora, nec asbeſtitæ, regioni deſunt. Beſtiarum cornigerarum abunde eſt. Equi ſunt minutiores, at eo perniciores. Domini ſunt divites, ruſtici vero mortalium pauperrimi, ritu regionum, quæ abundant viris nobilitate excellentibus. Propugnaculis, Turcorum ac incolarum, novarum re-

Pag. 13.

rum

rum ſtudioſorum, frænis, terra abundat. Palatinus Regis ultimus fuit Comes *Joannes de Palffy*, quo mortuo, id munus deſiit, donec *Maria II* Regina ad illud honoris faſtigium ducem bellicum, *Palffyi* fratrem, evexit. Primas Archiepiſcoporum regni eſt Strigonienſis, in præſens Princeps imperii, *Emericus Eszterházy de Galantha*, Theologus magnus. Dividitur Hungaria in Comitatus 48. Qui cauſas agunt, deferunt lites primo ad Comitatum, deinde ad conſeſſum territorii, quod eſt quadripartitum per Hungariam, tum ad conſeſſum Budæ regalem, porro ad conſeſſum ſeptemviralem, ac tandem *ad clementiam*. Ordines regni quadrifariam dividuntur, 1) in viros eccleſiaſticos, 2) Comites ac Barones, 3) Nobiles, atque 4) urbes liberas ac regales. Clericorum Pontificiorum ac ſeminariorum reditus ſunt ſupra fidem. Haud omiſit Autor monere, Hungaros munditiei haud eſſe ſtudioſos, nec modulos veſtium amare novos. Latina loquuntur Hungari, plerumque minus Latine. Unicæ apud eos Academiæ moderatio pendet a Jeſuitis. Ipſa, Noſtro judice, memorari haud eſt digna. Scientias & literatos ab Hungaris odio haberi, idem refert. Equis, famulis, armis, Nobiles perhibentur ſeſe oblectantes. Fœminarum modeſtiam, rerumque domeſticarum curam, eis probatam, collaudat Autor, addens, Cingaros ab Hungaris haud expelli. Hungaros ignorare theatra, mirum profecto. Hæc ſpeciminis loco ſufficiant.

Pag. 21.

25.

41.

46.

54.

DE AMICITIA LIBRI DUO, CARMINE Didactico expoſiti, honoribus Illuſtriſſimorum, Perilluſtrium, Prænobilium, Nobilium, ac Eruditorum Dominorum, Dominorum Neo-Baccalaureorum, dum in antiquiſſima ac celeberrima Univerſitate Viennenſi, Promotore R. *Patre* ANTONIO WEILHAMER, *e Soc. Jeſu, A. A. L. L. & Phil. Doctore, ejusdemque Profeſſore Ordinario, prima A. A. L. L. & Philoſophiæ Laurea ornarentur, ab Illuſtriſſima Poeſi Viennenſi, D. D. D. Anno 1738, menſe Aprili.*

Viennæ Auſtriæ, typis Leopoldi Joannis Kaliwoda, celeberrimæ ac antiquiſſimæ Univerſitatis Viennenſis Typographi, 8 maj. Plag. 4.

Digniſſimum fuit hoc argumentum, quod ab amicis, ad amicos ſcribentibus, expenderetur; præſertim cum etiam, id faciendi, occaſionem daret, qui ex laudabili inſtituto quotannis apud Viennenſes in humanitatis claſſe pertractatur, *Ciceronis Lælius*. Optimus, fatemur, *Ciceronianorum* hic eſt Dialogus, adeoque dignus, qui cum ceteris, vel *Terentio* ac *Plauto* expulſis, in gymnaſiis ubique velut introducatur. Sed, cum hoc jam nihil ad propoſitum, noſtrum potius Carmen luſtramus atque commendamus. *Duobus* illud *Libris* includitur, quorum *prior ſex*, *poſterior* totidem, Elegias complectitur. Ille amicitiæ naturam, hic amicorum delectum, conſiderat. Ibi probatur, quod amicitiæ ratio eadem ſit, ac fundamenti, quo præ ceteris nititur; quod conſiſtere hæc, niſi inter bonos, haud poſſit; quod non concilietur re ulla potius, quam mutua benevolentia; quod ſimilitudo morum ſit amoris mutui atque amicitiæ mater; quod, tanquam in aliis omnibus, ſic in colenda præcipue amicitia, tenendus ſit modus; & quod denique vera amicitia mortali hac in vita rara admodum, non tamen penitus ſit deſperanda. Hic autem confirmatur, amicitias non improviſo, nec temere, ineundas; neque multos, nec obvium quemque, intimiorem, ut vocant, in amicitiam recipiendum; diutinum de amico periculum capiendum, & ſic demum toto pectore admittendum; tria denique potiſſimum eſſe in amico exploranda: quam ſit ſecreti tenax; qua in nos animi ſinceritate rebus in proſperis; qua demum in adverſis & arduis fidei firmitate, animique conſtantia. Non, ut arbitramur, inepte, quanquam didacticum carmen, elegiarum genus adhibitum eſt; quippe quod a flebili ac tenero dolore ad amoris affectum merito deinceps accommodatum, atque ab hoc ad nihil citius, quam ad amicitiam, trahi poterit, mutuo quæ amore continetur. Quod autem ad ipſum Poeſios genium attinet, illum quam optime ſpecimen aliquod ſignificabit. Agedum igitur, proœmium de amicitia librorum hic excerpamus:

Hinc

Hinc procul ille, Paphum qui ſpirat, inertia mulcens
Pectora, nec noſtro carmine dignus, amor.
Quem canimus, ſacer eſt; qui fœdera jungit honeſti
Legibus, & vetitæ qui nihil artis habet.
Magnum equidem, nec quod noſtris ſuperabile metris
Sit pondus; ſupera ni relevemur ope.
Ergo ades, innocui caſtique magiſter amoris:
Quæ ſervanda velis, quæque cavenda, doce.
Tu merito, tu purus amor, tu diceris autor,
Tu bene fundatæ cultor Amicitiæ.
Ergo ades, atque tuo languentem Numine Muſam
Provebe; nec cœptum deſere vatis opus.
Fallor! an arcanum pulſat præcordia Numen,
Et novus ætbereis ſedibus ardor adeſt.
Ut feret ardor, agar: non trito calle viator
Ignotas quamvis cogor inire vias.
Difficilem quamvis jubeor decurrere metam:
Sat mihi, pars curæ ſin modo parva tuæ.
Te duce, quæ firmo jungantur fœdera nexu:
Te duce, quæ fragili compede vincta, canam.
Quem tibi præ reliquis optes bene cautus Achatem,
Quaque datam poſſis arte probare fidem.
Propitiis quodſi Superis urgere laborem
Fas ſit; & emeritam ſollicitaſſe chelin.
Ultima ſors cœptis jungetur opella libellis;
Mutua quæ doceat jura, in amando vices.

GOTTFR. CHRIST. ROTHII DE IMAGUNCULIS Germanorum magicis, quas Alrunas vocant, Commentatio hiſtorico-antiquaria, Fœminarum apud Germanos veteres ſacrarum inſtituta & cultum religioſum ſimul explicans.

Helmſtadii, apud Chriſt. Frid. Weygandum, 1737, 8. Plag. 5.

Dedicatus eſt iſte libellus maximo antiquitatis cultori, *Hermanno von der Hardt*, apud quem Cl. Autor imagunculas duas alrunicas viderat, eademque occaſione de origine & antiquitate

tiquitate talium effigierum magicarum cum celeberrimo illo ſene diſputarat. Ita vero in opere ac negotiō ſuo verſatur, ut imagines alrunicas a ſimilibus eis *icunculis*, quas e *mandragoræ* radice ſuperſtitioſa olim conflavit Græcia, diſtinguens, illas quidem majoribus noſtris vindicet, eisque ad *exemplum* ſuum *animale*, hoc eſt, fœminas Germanorum ſacras, de induſtria comparatis, harum ſimul inſtituta, & magicas, quibus operam navabant, artes, diſtributius exponat. Huic inſtituto ſatisfaciens, tria potiſſimum rem omnem in *Capita* diſpeſcit. *Primo* de imaginum iſtarum, ut nunc ſunt, conditione & uſu ſuperſtitioſo in genere agit, conditionemque iſtarum & habitum, fabuloſam comparationem, veriorem eas conficiendi rationem, varias, quas illis tribuunt, virtutes, & cultum atque honorem, iisdem exhibitum, deſcribit. *Secundo* imaginum alrunicarum originem, antiquitatem, & priſcum apud Germanos paganos uſum, conſiderat. Ibi quidem partim aliorum de origine illarum opiniones enumerantur atque improbantur; partim, imagines illas fœminas Germanorum veterum ſacras repræſentare, & Larium, talismanum, atque amuletorum, loco adhibitas a majoribus noſtris, iisque paganis, eſſe, docetur, idque probatur 1) a non inſueto priſcis Germanis Penatium Lariumque cultu, & amuletorum uſu; 2) uno atque altero monumentorum antiquiorum teſtimonio; 3) a nomine imaginum illarum proprio *Alraun*, quod vatibus nomen tribuebatur apud antiquos; 4) ab habitu earum, cum veſtitu fœminarum apud Germanos ſacrarum comparato; 5) a materiæ, ex qua imagines illæ formantur, conditione, iſtarumque diverſo genere; 6) a viribus virtutibusque, quas imaginibus alrunicis vulgo adſcribunt, ad fœminas illas ſacras referendis. Erant quippe eædem artis medicæ peritiores; credebantur proſpera conciliare, & adverſa infligere, pro lubitu; amorem & gratiam quorumvis hominum, atque inprimis judicum, ſecretis artibus ſibi & aliis comparare, & amicitias conflare, poſſe putabantur; deditæ erant bellicis ſtudiis, quæ cum aperto Marte, tum magicis artibus, exercebant, ſeque carminibus ventos ac tempeſtates ciere & compeſcere jactitabant; maxime divinandi artis de peritia gloriabantur, & quæ ſunt alia. Huc etiam pertinet cultus religioſus,

ſus, ſacrificiis epulisque feralibus præſtitus. Qua occaſione lapis explicatur Lugdunenſis, matribus aufaniis inſcriptus, eoque pertinens. Reperitur illius inſcriptio apud *Jac. Sponium* in *Miſcellaneis eruditæ antiquitatis Art. LXXXI pag. 107*, & ſic habet:

PRO SALVTE DOM
N. IMP. L. SEPT. SEVERI
AVG. TOTIVSQVE DOMVS
EIVS. AVFANIIS MA
TRONIS ET MATRIBVS
PANNONIORVM ET
DALMATIARVM
TI. CL. POMPEIANVS
TRIB. MIL. LEG. I. MIN
LOCO EXCVLTO CVM
DISCVBI † ONE ET TABVLA
V. S.

Huic tabulæ votivæ inſcripta ſine dubio fuit voti, pro incolumitate *Severi* facti, cauſa occaſioque, illius reſtitutione aut conſervatione, beneficio matronarum aufaniarum ceterarumque vindicata. Tabulam iſtam uti ex more, in ſacris Romanis uſitato, adjecit *Pompejanus*; ſic diſcubitionem, ſeu convivium, non tam Romanorum, quam Germanorum, conſuetudinem ſecutus, apparavit. Sed ad *Caput tertium* pergamus, quod ſuperſtitionis circa imagines alrunicas propagationem, admixtasque magicas Græcorum ineptias, ſubjungit. Hoc adeo *Capite* ſumma imaguncularum mandragorearum antiquitas docetur; probabili conjectura earundem origo & priſcus uſus indicatur, quem quidem, a Græcis ac Latinis ad Germanos propagatum, tandem cum imaginum alrunicarum cultu commixtum eſſe traditur, idque Seculo demum XIV contigiſſe monſtratur; ac demum cauſæ memorantur, propter quas ſuperſtitioſi imaginum alrunicarum & mandragorearum ritus, tanto ſeculorum ſpatio, percrebuerunt. Sunt autem illæ errorum præſumtarumque opinionum vis maxima; circulatorum atque impoſtorum fraudulentæ artes occultæque præſtigiæ, quibus, compendii cauſa, ſub religionis ſpecie, incautos circumvenerunt;

runt; inferioris multitudinis imperitia & miſera rerum ſalutarium ignoratio, atque indocile ac rude ad detegendas illorum fraudes, ſcrutandamque rei veritatem, ingenium; hominum atra bile laborantium male ſana imaginatio; quæ reſponſa effigierum alrunicarum nunc audire, nunc ab iis vario modo ſe juvari, eo facilius credidit, quo appetentior rerum ab illis revelandarum atque accipiendarum fuit; inferni iſtius ſpiritus, errorum mendaciorumque principis atque architecti, aſtutia; & ſi quæ ſunt aliæ. Nos profecto, ſi obſcura iſta milleque ſuperſtitionibus referta majorum noſtrorum tempora conſideremus, rationem inveniemus non unam, cur felicitatem ſeculi noſtri veneremur, veræque ſapientiæ lumen, quippe quo nebulæ iſtæ atque umbræ diſcutiuntur, nobis inprimis gratulemur.

MEMORIE DELLA VITA, MORTE, E ANTIchiſſimo culto di S. Coſimo, &c.

hoc eſt,

COMMENTARII DE VITA, MORTE, ET Antiquiſſimo cultu S. Coſmæ, Panormitani, Archiepiſcopi Africæ, una cum detectione ſanctarum ejus reliquiarum, acceſſionibus cultus, & miraculis ejusdem, collecti a D. ANTONINO MONGITORE, *Canonico Metropolitani Panormitani templi, Judice ſynodali, Conſultore & Qualificatore S. Officii Siciliæ.*

Panormi, apud Stephanum Amatum, 1737, 4.

Plag. $7\frac{1}{2}$.

Sanctæ Virgini Panormitanæ *Roſaliæ* libellum inſcripſit Autor diligentiſſimus. *Coſmam* Panormi in lucem fuiſſe ſuſceptum, probabile eſſe, arbitratur. Ipſum Regi *Rogerio* in Pag. 6. deliciis fuiſſe eo in loco, adjungit. Rex ille Siciliæ primus A. 1145 provinciam Africæ Tripolitanam ditioni ſuæ adjecit, Regemque Tunicii ſibi fecit tributarium. Qua quidem ætate ſacra Tripolitana ædes Panormitanæ eccleſiæ primariæ acceſſit. 8. Epiſcopatum *Rogerius* iſte in Africa fundavit Cefaluienſem, eique *Coſmam*, A. 1150 Romæ ab *Eugenio III* conſecratum, præfecit

præfecit Archiepiſcopum. *Rogerio* A. 1154 defuncto, filius ejus, *Wilhelmus*, faſces regni permiſit gubernandos duci ſuo ſupremo. Hoc autem regalibus muniis ac diadematis ornamentis inhiante, Africa fuit amiſſa, & A. 1159 Regi Saracenico iterum ſubeſſe cœpit. Rediit idcirco *Coſmas* Panormum cum Pag. 10.
ſpoliis, ac A. 1160 obiit. Reliquiæ ſpoliorum illorum A. 1225 ſacrario regio Panormitano ceſſerunt. Obitus ejus in d. 10 Sept. circiter incidit. Sepultus fuit d. 10 Octob. honorifice in templo cathedrali, ac epitaphium, ei dicatum, ſic habet: *In hac tumba jacet Coſmas, venerabilis Archiepiſcopus Africanus, anno Dominicæ incarnationis 1160, indictione nona, menſe Septembr. die 10.* Cum A. 1369, 10 Octob. epitaphium illud transferretur in cathedralem novam, ei addita fuerunt hæc verba: *In hoc altari translatum eſt præſcriptum corp. ann. D. M. CCC. LXIX Ind. VIII. X Octob. die Mercurii.* Anno 1580 reliquiæ ejus ſubter altare ſacrarii, 13.
quod ſanguini Jeſu Chriſti eſt ſacrum, translatæ locatæque ſunt. *Octavianus Cajetanus*, e Soc. Jeſu, affuit, cum ea tempeſtate corpus *Coſmæ* recluderetur, narravitque, ſuavem exinde exiiſſe odorem. Reliquiis iſtis ſolennem A. 1736, 12 Dec. exhibitum 28.
fuiſſe honorem, memoratu dignum videtur. *Joſephus Stella*, Archidiaconus, aliique, rem geſtam publicis teſtati ſunt chartis, quas Autor cum lectore communicavit, haud omittendos eſſe, arbitratus, eos effectus, miraculi plenos, quos traditur S. *Coſmas* cultoribus ſuis indulſiſſe.

ELOGIUM ERHARDI REUSCHII, PROfeſſoris Helmſtadienſis clariſſimi.

Si cujusque civis virtus atque præſtantia ad ejus loci, in quo natus eſt, laudem ac gloriam pertinet; habet profecto, quod Coburgum *Erhardo Reuſchio*, cive ſuo, perpetuo ſe jactet & glorietur. Ita enim is artium liberalium ſcientiam, antiquitatis notitiam, Græcæ Latinæque linguæ eruditionem, cum dicendi elegantia varietateque conjunxerat, ut immortale exinde nomen inter viros doctos jam pridem conſecutus ſit, vixque poſſit definiri, utrum verborum magis, quam rerum, ubertate ejus ſe commendaverit oratio. Lucem autem adſpexit in hac ipſa urbe, quæ terrarum Hennebergicarum caput eſt,

anno ſuperioris Seculi ſeptuageſimo octavo, 6 Non. Maji, patrem nactus *Sebaſtianum*, non infimo inter cives loco poſitum, cohortique urbanæ præfectum. Invito fere parente literarum ſe ſtudiis addixit, quippe qui, metuens, ne in ipſa via nervi gerendarum rerum filium deficerent, maluit eundem aut ad mercaturæ, aut alius cujusdam artis honeſtæ, culturam perduci. Cum vero cuncta ille impedimenta, graviſſimasque difficultates, ardorem filii inflammare magis, quam exſtinguere, perſentiſceret; obtemperandum ſibi tandem eſſe monenti Deo ratus eſt, filioque, ut iter illud nobiliſſimum, quod ipſa monſtraverat natura, ſequeretur, permittendum. Eum igitur in finem traditus eſt *Mylii* & *Bücbelmanni*, præceptorum Coburgenſis ludi, fidei atque induſtriæ, qui viri non in Latini ſolum, ſed Græci etiam & Ebraici, ſermonis cognitione fidiſſimi ipſi duces fuerunt. Decimo quinto ætatis anno judicatus eſt digniſſimus, qui Gymnaſii Caſimiriani civibus adſcriberetur. Ibi, quæ puero jam inſtillata fuerant melioris doctrinæ fundamenta, *Sauerbreyii*, *Pertſchii*, atque *Giebnleinii*, qui inter omnes maxime favebat Noſtro, dexteritate ita firmavit, locupletavitque, ut, quinquennio exacto, anno ſcilicet ſuperioris Seculi nonageſimo octavo, ad Muſas accedere Altorffinas felici omine poſſet. Hic ſimul ac cognitus fuerat, tantam ſibi virorum præſtantiſſimorum benevolentiam conciliavit, ut per ſex illos annos, quos in hac conſumſit Academia, cauſam de fortunæ iniquitate conquerendi nullam reperiret. Præfecerunt eum nimirum nonnulli ſummæ autoritatis famæque viri educationi & inſtitutioni liberorum ſuorum; *Magnus* autem *Daniel Omeiſius*, vir vere magnus, non tantum ad omnes, quas tunc temporis inſtituere ſolebat, prælectiones, verum etiam ad Bibliothecam ſuam, liberaliter admiſit Noſtrum, imo in familiaritatem receptum tandem, tot varii generis beneficiis affecit, ut, egregio hoc patrono vivis excedente, alterum efferri ſibi parentem, merito exiſtimaret *Reuſchius*. Præter hunc in literarum ſtudiis conſectatus eſt orbis Norici lumina, *Jo. Chriſtoph. Sturmium*, *Rœtenbeccium*, *Wagenſeilium*, *Jo. Mich. Langium*, & *Chriſtoph. Sontagium*, ex quibus ampliſſimam literarum, quæ ab humanitate nomen habent, ſcientiam, Philoſophiæ omnis, Bota-

Botanices, Græci Ebraicique ſermonis, Juris naturæ & publici, ſanctioris denique ſapientiæ, elementa vel primum hauſit, vel hauſta jam alibi copioſe cumulateque adauxit. Animi tam ſtudioſe perpoliti fructus publice exhibuit, cum initio hujus Seculi, duce *Omeiſio* ſuo, *Commentationem ex Libro II Officiorum Ciceronis de beneficentia & liberalitate*, & paulo poſt ex *Rœtenbeccii Logica veteri ac nova capita quædam*, Autore præſidente, in Philoſophorum cathedram proferret. Conſecuta eſt, paucis interjectis menſibus, A. 1701 *Oratio* perelegans *de vetuſtiſſimorum Germanorum ſapientia divina pariter & humana*, cum plauſu auditorum recitata. Accedebant alia deinceps, ex quibus tanti ubertas ingenii facili cognoſci negotio poterat, ſpecimina, inprimis carmina quædam Germanica, quæ, pro temporis illius ratione, vena haud infœcunda effuderat. Quibus quidem rebus tantum exiſtimationis pepererat ſibi, ut ſemper fere, ſive triſti quodam caſu Academia Norica affligeretur, ſive lætandi eidem occaſio obveniret, nunc Oratoris, nunc Poetæ, induenda ipſi perſona eſſet. Arcuit tamen eum annus præſentis Seculi tertius nonnihil a ſtudiorum progreſſu, quandoquidem copiæ Gallicæ & Bavaricæ terris imminebant Norimbergenſibus, Muſisque Altorffinis imperare aliquamdiu ſilentium videbantur. Hi igitur motus ſuadebant abitum, quem antequam pararet Noſter, Philoſophorum Ordo, ne tam egregium civem dimitteret inornatum, ſummos in Philoſophia honores ipſi contulit, idque anni 1704 tertio menſis Maji die, defenſa prius Diſſertatione *de viro prudente Ariſtotelico cum ſapiente Stoico collato.* Adjiciebat huic dignitati *Omeiſius*, Comes quippe Palatinus Cæſareus, lauream poeticam. Ne deinceps in patria diu commoraretur, immenſa, qua flagrabat, proficiendi cupiditas obſtitit. Aliquot nempe menſibus apud parentes confectis, in Saxoniam commigravit, atque, celeberrimis, quæ Erfurto, Jenæ, Halæ, & Lipſiæ, ornamento ſunt, Academiis accurate luſtratis, conſedit Vitembergæ, ubi *Conradum Sam. Schurzfleiſchium*, Germaniæ illud decus, per integrum fere biennium Hiſtoriam & Jus publicum explicantem non ſine admiratione audivit. Ex hac Academia A. 1706 ad Viadrinam conceſſit, & inde Berolinum

linum regreſſus eſt, binosque menſes ſplendidiſſimarum Bibliothecarum, Regiæ cumprimis & *Spanheimianæ*, theſauris contemplandis, ſuosque in uſus convertendis, impendit, moxque Altorfium reverſus eſt, eo ſane conſilio, ut ingenuæ juventuti ducem ſeſe ad Philoſophiam & elegantiorum literarum ſtudia præberet. Ut innoteſceret magis ejusdem virtus, ſtatim poſt adventum ſuum *Diſſertationem* elegantem *de vario generum dicendi uſu* examini publico ſubjecit, qua ſane cum hærentem adhuc in plerorumque animis ſui inſtauravit memoriam, tum novos ſibi fautores atque amicos conciliavit. Quibus multo ſane plures ſeſe adjungebant, cum ſequentis anni menſe Februario nitidiſſimam *Orationem de feliciſſima ſummorum Fœderatorum expeditione bellica, in Catalaunia, Brabantia, & Italia, anno hujus Seculi ſexto confecta*, ore facundo ſuavique recitaret. Tum docendo ſcribendoque complures Altorffii annos conſumſit, & conſenuiſſet ibidem ſine dubio, illuſtri inter Academiæ hujus ſidera loco poſitus, niſi ſuo exemplo ſenſiſſet, non ſibi ipſos mortales fingere fortunam, ſed omnia Numinis ſapientiſſimi providentiam moderari. Faciebat ſcilicet ſummorum quorundam virorum autoritas, ut A. 1715 Norimbergæ rerum ſuarum ſedem conſtitueret. Atque hic ut & honeſtius viveret, & ad negotia civilia viam ſibi quodammodo muniret, iisdem patronis ſuadentibus, ad Academiam Hieranam antea ſe contulit, & a JCtorum Collegio licentiam capeſſendi ſupremos in utroque Jure honores impetravit, ac, more recepto, Diſſertationem inauguralem *ad L. un. C. non licere habitator. metrocomiæ loca ſua ad extraneum transferre*, defendit in cathedra. Ab hoc tempore Norimbergæ veteris conſuetudinis rationes ſervavit fere, privatimque juvenes quosdam ſelectos, & præclaro genere natos, Philoſophiæ, Hiſtoriarum, humaniorumque literarum, ut & Juris, præceptis inſtruxit, &, quod reliquum habuit temporis ſpatium, in edendis ſcriptis, ſe ipſo dignis, collocavit. Felicius illi ſidus illuxit, cum A. 1723 Potentiſſimi ac Sereniſſimi Academiæ Juliæ tutores de diſerto ac erudito viro deliberarent, cui eloquentiæ docendæ munus, quod *Juſtus Chriſtophorus Bœhmerus* diſceſſu ſuo ad Luccenſis Cœnobii præfectu-

ram

ram vacuefecerat, in posterum demandarent. Commendabatur ab hominibus harum rerum peritissimis *Erh. Reuschius*; nec improbabant hanc commendationem, in quorum manibus Academica munera tunc temporis reposita erant. Regio igitur Diplomate arcessitus Noster, eo, quem diximus, anno munus sibi concreditum alacriter aggressus est, & fide studioque suo Potentissimæ Domus Brunsuicensis gratiam cum aliis in rebus, tum, quinquennio post, luculenter sensit, cum *Polycarpo Leyserο*, Poeseos Professore, mortuo, ejusdem Nostro provincia adderetur, non contemnendo stipendii accessione facta. A. 1725 matrimonium iniit cum *Chiliani Stisseri*, primi olim Hannoveranæ Cancellariæ Secretarii, filia natu quarta, in qua talem, quod ipse scriptum reliquit, uxorem nactus est, qualem sibi semper precibus a Deo flagitaverat, nulla licet ex conjugio hoc prole sublata. Magno tandem exspiravit animo *Reuschius* die quarto mensis Februarii, anno præterlapso, omnemque remediorum fructum hominis haud parum ægrotantis pertinax assiduitas in obeundis rite munerum suorum partibus, cum a tota Academia, tum ab Ordine suo, ipsi demandatis, plane intercepit. Vixit annos supra sexaginta & unum, vivetque porro in hominum memoria, dum supererunt labores ejus eruditi, nec vulgare profecto ingenium redolentes. Sunt autem scripta ejus, præter ea, quorum jam supra mentionem fecimus, inprimis hæc: *Diss. de eo, quod humanum habetur in rebus philosophicis pertractandis. Altorfii, 1708, 4; Diss. de reipublicæ Romanæ ortu sub Ænea, ad Livii Lib. I. Cap. 1 & 2. Ibid. 1711, 4; C. Vetti Aquilini Juvenci, Hispani Presbyteri, Historiæ Evangelicæ Libri IV, cum Notis variorum. Francof. & Lipsiæ, 1710, 8; Memoria Oneisiana, Norimb. 1710, fol.; Memoriæ Jo. Pauli Wurfbainii, Com. Pal. Cæs. Academiæque Naturæ Curiosor. Directoris, inserta Ephemeridum Medico-Physicarum Centuriæ I & II Appendici A. 1712; Hesperidum Norimbergensium, sive de malorum citreorum, limonum, aurantiorumque, cultura & usu, Libri IV, &c. Accessit Diss. epistolica, de præcipuis Hesperidum scriptoribus, antiquis & recentioribus. Norimb. 1712, fol.; Alter und neuer Stand des Königreichs Dalmatien. Accesserunt*

Jo. Lucii Inſcriptiones Dalmaticæ. Ibid. 1718, 8; Abbildung des Türckiſchen Hofes, id eſt, *Icones 66 procerum aulæ Turcicæ & lingua Gallica. Ibid. 1719 & 1721, fol. Tomi II; P. Philippi Bonanni, S. J. Verzeichnis der geiſt-und weltlichen Ritter-Orden, e prototypo Romano. Ibid. 1720, 4; Capita Deorum & illuſtrium hominum, pacis bellique artibus clariſſimorum, nec non hieroglyphica, abraxea, & amuleta, quæ Jo. Mart. ab Ebermayer collegit, enarrata, obſervationibusque illuſtrata. Francof. & Lipſiæ, 1721, fol.; Memoria viri illuſtris*, Mich. Frid. Lochneri, *Academiæ Nat. Curioſ. Directoris*, &c. inſerta *Appendici ad Ephemeridum Medico-Phyſicarum Cent. IX & X. Aug. Vindel. 1722; Trauer-Bühne, ſeu Orationes in funere Profeſſorum quorundam Altorffinorum dictæ. Norimb. & Alt. 1722, 4; Summariſche Nachricht von den Buchdruckern in Nürnberg*, quæ notitia præmiſſa eſt *Jo. Henr. Godofredi Erneſti* libro Germanico *von der wohleingerichteten Buchdruckerey. Norimb. 1721, 4;* C. G. Zorgdregeri *Grœnlændiſche Fiſcherey*, &c. *Lipſ. 1723, 4; Diſquiſ. de Ciceronis partitionibus oratoriis, cum Oratione, qua veterum eloquentia, hujusque addiſcendæ ratio, ab iisdem dicendi magiſtris tradita, commendatur. Helmſt. 1723, 4; Diſquiſ. de populi Romani Quæſtoribus, ac potiſſimum ærariis, eorumque ortu, numero, & muniis, ſcholis tum antiquariis, de antiquæ Italiæ ſitu, moribus, & populis, tum numiſmatico-criticis, præmiſſa. Ibid. 1725, 4; Origines metallifodinarum in Germania, Diſſertatione publica inveſtigatæ. Ibid. eod. 4; Progr. de Originibus feriarum die Michaelis celebrandarum. Ibid. 1726, 4; de Chriſto hærede ſcripto Commentatio, occaſ. l. 24 pr. C. de S. S. Eccleſ. Ibid. eod. 4; Supremum amoris officium* Jo. Jac. Silberradio *poſitum, ibid. eod. 4; Panegyricus ſupremis honoribus* Georgii I, *Magnæ Britanniæ Regis, &c. dictus. Ibid. 1727, fol.; Oratio in coronationem* Georgii II, *Magnæ Britann. Regis. Ibid. eod. fol.; Diſſ. tres de Titulo Imperatoris. Ibid. 1728, 4; Diſquiſ. de P. Virgilio Marone, JCto. Ibid. eod. 4; Hiſtorica narratio de ſacris ſecularibus, in memoriam Auguſtanæ Confeſſionis in Acad. Juliæ celebratis. Ibid. 1730, 4; Panegyricus in obitum Sereniſſimi Ducis* Auguſti Guilielmi, *&c. Ibid. 1731, fol.; Oratio Germanica Seren. Principis* Frid. Erneſti, *Marchionis Brandenb. &* Chriſtianæ

ſtianæ Sophiæ, *Ducis Brunſuico-Luneb. conſecratu connubio. Ibid. eod. fol.*; *Panegyricus, ſupremo honori* Juſti Chriſtoph. Bœhmeri, *Abbatis Luccenſis, dictus. Ibid. 1732, fol.*; *Oratio Germanica, nuptiis* Caroli, *Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, & Regiæ Virginis,* Philippinæ Carolinæ, *dicata. Ibid. 1733, fol.*; *Oratio Germanica in nuptias Sereniſſ. Principis,* Friderici, *Pruſſiæ hæredis, &* Eliſabethæ Chriſtinæ, *Ducis Brunſuico-Luneburgicæ. Ibid. eod. fol.*; *Diſſ. de Bibliothecis Romanorum. Ibid. 1734, 4*; *Oratio in auguſtas nuptias Sereniſſimi* Guil. Caroli, *Friſonis, &* Annæ, *Britannicæ. Ibid. eod. fol.*; *Oratio paneg. in obitum Sereniſſ. Principis,* Ludovici Rudolphi, *Ducis Brunſuico-Luneburgici. Ibid. 1735, fol.*; *Oratio funebris, ſempiternæ memoriæ* Ferd. Alberti, *Ducis Brunſuico-Luneburgici, conſecrata. Ibid. eod. fol.*; *Elogium* Phil. Ludovici Bœhmeri, *Generalis Eccleſ. Cellenſium Antiſtitis. Ibid. eod. 4*; *Diſquiſ. de Jurejurando per genium Principis, ibid. eod. 4*; *Oratio Paneg. in Connubium Sereniſſ.* Friderici Ludovici, *Principis Walliæ, &* Auguſtæ, *Ducis Saxo-Gothanæ. Ibid. 1736, fol.*; *Laudatio funebris, incomparabili Reginæ,* Carolinæ, *publico nomine dicta. Ibid. 1738, fol.*; *Oratio, auguſtis nuptiis Sereniſſ. Principis,* Antonii Ulrici, *Ducis Brunſuico-Luneburgici, & Sereniſſimæ* Annæ, *Megapolitanæ, nomine Academiæ Juliæ dicta. Ibid. 1739, fol.*; *Commentatio in dictum Pauli ad Col. II, 18, quo inter* Ψευδοδιδασκαλῶν *characteres religioſus Angelorum cultus refertur. Ibid. eod. 4*; *Diſſert. de Lege naturæ immutabili. Ibid. eod. 4*; *Novi Fœderis hymnus Angelicus Luc. II, 14, Commentatione illuſtratus, 4.* Hæc, & alia levioris momenti, ſcripta prodierunt ex muſeo celeberrimi *Reuſchii.* Sed quam dolendum eſt, eruditos laborioſiſſimi viri conatus, in quibus perficiendis per complures occupatus fuerat annos, ad finem haud eſſe perductos! Ne ignoret Lector, quantum exinde detractum ſit reipublicæ literariæ ornamenti, hos ipſos nominatim indicandos arbitramur. Edere ſcilicet voluerat: *Opuſculum* B. Omeiſii *de claris in orbe literato Norimbergenſibus, multis acceſſionibus auctum; Hiſtoriam librorum, quos temporum injuria amiſimus, binis voluminibus comprehenſam, & ordine Chronologico digeſtam,* cui addere ubique *brevem vitæ deſcriptionem, & multa ad veterum ſcripto-*

ſcriptorum illuſtrationem ſpectantia, conſtituerat; Hermogenis, *Rhetoris Tarſenſis*, *libellum περὶ μεθόδου δεινότητος*, *nova verſione*, *& commentariis locupletibus*, *adornatum*, ſubjuncturis *Commentationem περὶ δεινότητος*, *& Exercitationem de oratoribus*, *qui hanc dicendi facultatem conſecuti ſunt.* Præterea meditatus eſt *novam operum Hermogenianorum editionem*; *intimioris Philoſophiæ Pythagoricæ conſiderationem*, &c. qui labor perfectus tantum non fuerat; *Vitæ Pythagoræ*, a Jamblicho *ſcriptæ*, *novam verſionem*, *Græco textui cum annotationibus addendam*, a quo tamen conſilio deſtitit, cum, novam ſcriptoris hujus editionem a *Lud. Küſtero* datam eſſe, accepiſſet; *Hiſtoriam & fata veterum*, *quotquot innotuerunt*, *Bibliothecarum*, *itemque recentiorum quarundam*, ex quo opere, in ſchedis beati Viri latente, decerpta eſt *Diſſertatio de Bibliothecis Romanorum*; *Diſſertatio de quæſtione: utrum Chriſtianus Philoſophus peculiaribus profanarum gentium formulis loquendi ad exprimenda in foro morum proba animi ſui ſenſa uti queat*; *Obſervationes ad* Cellarii *Theſaurum* Fabro-Buchnerianum; *Commentationem hiſtoricam de vita & rebus geſtis* Maximiliani I, *Imperatoris*; *Scriptorum mutilatorum*, *ſeu caſtratorum*, *hiſtoriam*; *de bellis eruditorum maxime notabilibus*, *quæ poſt renatas literas exarſerunt*, *librum ſingularem*; *Jus Feciale veterum Romanorum*, *ex antiquitate erutum*; *de vocum tam Græcarum*, *quam Latinarum*, *differentiis & vera ſignificatione Schediaſma*; *Coloniarum & municipiorum origines*, *deductiones*, *jura*, *leges*, *conſuetudines*, *magiſtratus*, *illuſtratos*; *Indicem in Opera* Ciceronis *locupletiſſimum*, Nizolii *Theſauro longe perfectiorem*; *Analecta*, *quibus bene multorum Autorum loca illuſtrantur*, *& emendantur*; *Germaniam orbi imperantem*, *ſive Imperatorum ac Regum Europæ*, *Germano ſanguine oriundorum*, *Hiſtoriam*, *ſecundum ſtemmata adornatam*; *Varias lectiones ad Cœlium Sedulium*, *Alcimum Avitum*, *Aratorem*, *Poetas Chriſtianos.* Novam quoque diu molitus eſt *Terentii editionem*, cui, præter ſelectiſſimas variorum notas, *Bæcleri Chreſtomathiam Terentianam* multo additurus locupletiorem erat beatus *Reuſchius*, cujus nos quidem cineribus, pro noſtro in vitos de literis inſigniter prometitos amore, levem, ex antiqua formula, terram apprecamur.

* * *

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi V Sectio VIII.

SACRUM CHRONICON, SIVE ARBOR GENEA-logiæ Patriarcharum Veteris Teſtamenti, Regum, atque Principum, & ex iis progenitorum Jeſu Chriſti, Domini noſtri, notitia, cum indice Regnorum ac Monarchiarum, origine & annotatione aliarum multarum ab exordio mundi uſque 42 annum imperii Cæſaris Octaviani Auguſti, cum multis inciſis Tabulis, ex Scriptura Sacra, & R. P. Jacobo Tirino, Auguſtino Calmet, nec non Franciſco Petronio, ac Auriemma, breviter expoſita a R. D. JACOBO PHILIPPO CÆPOLLINO, Lunen. Sarzanen. Diœceſis, Confeſſario in Eccleſia, & Alumno in Domo Sanctiſſimæ Trinitatis Peregrinorum in alma Urbe.

Romæ, typis hæredum Ferri prope Pantheon, ſumtibus Generoſi Salomoni, 1739, fol.

Alph. 1 plag. 6.

Cum Hiſtoria hæc genealogica maximam partem e rebus ſat notis contexta ſit; operæ pretium fuerit, pauncula enotaſſe, e quibus Lector de tota compage ferre poſſit judicium. In Præfatione docuit doctiſſimus Autor, *Mariam Θεοτόκον* ex ſtirpe *Judæ*, ejuſque tribu, fuiſſe procreatam, tum

quod ſponſus *Joſephus* ad hanc retulit genus, tum quod parentes *Mariæ*, patrisque ejus, *Joachimi*, dicti fuerint *Barpanther* ac *Panther*, teſte *Joanne Damaſceno de Fide Cap. 22 n. 7.* Addit idem, nomine *Panther* venire *Matthanem*, *Jacobi* genitorem, ejusque filium, *Joachimum*, appellatum fuiſſe *Barpanther*. *Cleophan*, *Joſephi* fratrem, *Pantherem* fuiſſe cognominatum, *Epiphanius* autor eſt *Hær. 66.* Ex quodam *Panther* Jeſum naturali modo fuiſſe generatum, ſibi perſuaſerant Ebræi, idque *Celſus* cavillator objecit Chriſtianis, quemadmodum ex *Origene* contra *Celſum* perſpicitur. Quid vero ſignificet *Panther*, & quafe vox ea *Joſepho*, ejusque progenitoribus, adhæſerit, nemo huc uſque definivit. Fit veriſimile, Judæos ſic appellaſſe Jeſum, ejusque progenitores, ſiquidem פַּנְתֵּר, παν9ηρ, *panthera*, eſt animans immane & maculoſum, quod per beſtiam עָרוֹב *Pſ. XXXVIII, 45*, deſignatum credunt. Omittimus reliqua, quæ Judæi in *Pſalmo* illo exponendo ad Jeſum trahunt. Si *Epiphanius* & *Joannes Damaſcenus* Ebraicam linguam calluiſſent, ipſi faſtidiiſſent repetitionem impiæ Judæorum cavillationis. Dabit aliquis noſtrum de hoc vocabulo cavillatorio Judaico plura alio

Pag. 7. tempore. Redimus ad Autorem. Ipſe natalem *Caini* ad decimum tertium anni creationis, natalem *Abelis* ad 30, necem *Abeli* illatam

28. ad annum 99, retulit, neſcimus, quo vade, quo teſte. *Melchiſedecum* pro *Semo* reputavit. Ad annum mundi 2228 hæc annotavit *pag. 54*: *Ædificatur civitas Meſſanne, regni Siciliæ clavis, primusque Trinacriæ angulus.* Provocavit ad *Euſebium*, addiditque hæc: *Hæc civitas gloriatur de protectione matris Dei Mariæ, ejusque epiſtola, ab ipſa propria manu ſcripta, amoris plena.* Ratione regni Aſſyriorum antiquiſſimi concinit *Cteſianis.* Amazonum re-

82. gnum ad ætatem *Gideonis* adſtrinxit. Originem Anconæ retraxit ad annum mundi 2880. *Juditham* credidit natam A.

114. 3258. Adjunxit tandem geſta Jeſu veluti in nuce, eumque, expleto 33 anno, & menſe Martio, ſpiritum emiſiſſe, docuit. Figuræ genealogicæ ligno ſunt inciſæ, maximamque voluminis partem complectuntur.

LA VIE DE MONS. L' ABBE' DE CHOISY, DE L' Academie Françoiſe.

id eſt,

id eſt,

VITA DOMINI ABBATIS CHOISII, Academici Francici.

Lauſannæ & Genevæ, apud Marcum Michaelem Busquetum & Socios, 1742, 8.

Plag. 17.

Editori libuit præmiſſa Præfatione declarare, quomodo præter ſpem & opinionem hoc MStum ipſi ex dono amici, qui ſtipendia fecerat militaria, inciderit in manus, tam male conſignatum & lituris obrutum, ut pæne legi haud poſſet. Abbas A. 1661 impulſus fuit, ut ſeſe reciperet Bituricum, ubi aſſumſit nomen *Comitis Bituricenſis fœminæ.* Ibi duxit *Roſeliam* in uxorem, & ex ea unum infantem ſuſcepit. Hanc, comicæ rei artificem, poſthæc in thorum adſcivit homo, *du Roſan* dictus. Abbas ad comicas ejusmodi fœminas amandas videbatur natus. Leguntur multa Abbatis facta jam in libris duobus, quorum alter inſcribitur *Memoires de l' Abbé de Choiſy*, alter *l' Hiſtoire de la Comteſſe de Barres.* Profecit ex hiſce ſcriptis Autor anonymus, ita tamen, ut alia etiam ſcripta in ſubſidium vocarit. Sunt, qui legunt Comitiſſæ Bituricenſis hiſtoriam, clavem ignorantes, quam hic liber ſubminiſtrat quam præſtantiſſime & multo luculentiſſime. Editor paſſim detraxit velum eis, quæ Autor occultius dixerat, ac ludicra amatoria Abbatis liberius detexit, honeſtatis tamen ratione haud neglecta. Hæc ad Præfationem. Paucis nunc de argumento libri ipſo dicemus, quod inter alia verſatur in hiſce *Auſonii*: *Dum dubitat Natura, marem faceretne puellam, Factus es, o pulcher, pæne puella, puer.* *Franciſcus Timoleon de Choiſy* Pariſiis in lucem Pag. 5.
fuit editus A. 1644, 16 Aug. patre uſus Cancellario *Gaſtonis*, Ducis Aurelianenſis, qui munus id emerat 100000 thaleris. Matre gaviſus fuit nobiliſſima, ex progenie domus *Huraldinæ de l' Hoſpital* procreata, abnepte famoſi Cancellarii, cognominati *de l' Hoſpital*, ſecretorum aulæ arbitra, & *Ludo-* 8.
vico XIV probata. Ipſa filium veſtitu fœmineo ornavit, quem ipſe morem deinde ſecutus eſt plerumque. Mater hæc obiit 16.

A. 1666, a qua per hæreditatem obtinuit 43000 libra ac inter eam inaures annulosque pretiosissimos. Eruditum sese præbuit Collegio Sorbonico. Induit vestitum fœmineum denuo instinctu Dominæ *de la Fayette*. Duci Aurelianensi in eo habitu sic placuit, ut ille de vespera idem imitaretur institutum. Emit *Choisias* prædium ad Bituricum, fœ-
Pag. 40. minam porro acturus. Quid Biturici ac in confiniis gesserit, ac per abusum vestitus apud virgines peregerit, nostrum non est, exponere. Natum annos triginta dehortati sunt cognati a cultu fœmineo, ac ementito vivendi genere. Atque ex eo tempore Abbas ille cœpit ad frugem redire, ac Venetias se contulit, in
72. dies ludis indulturus. Hisce ad incitas fere actus, rediit in Galliam, resumsitque vestitum fœmineum ac prius vitæ genus, tribus fere annis elapsis. Ut nimis se instrueret, abiit in Abbatiam suam, quam vocant *Saint-Seine*, in Burgundia sitam, quam mater ei A. 1663 comparaverat. Necessitudinis ibi vinculo *Rogerium Rabutinium*, Comitem *Bussy*, secum copulavit. Con-
75. cessit A. 1676 Parisios ac Romam. Cardinalis Bullionensis ipsum secum duxit comitem. Romæ egit Conclavistam Cardinalium Galliæ generalem. Nomen id est ei, qui negotia & techinas eorum adornat, internuntium agit, rebusque ac destinationibus vel impediendis, vel promovendis, nomine aliorum est intentus. Abbas deinde incidit A. 1683 in morbum periculosum, ac serias religionis cœpit sentire commotiones. Ipse, cum convaluisset, cum Abbate *Dangeau* appulit animum
84. ad conscribendos Dialogos *de Immortalitate animæ*, *de existentia Dei*, *de Providentia*, ac *Religione*, quos *Jurieus* sub examen vocavit. Ipse pauciora elaboravit; ad *Dangeavium* plura sunt referenda. Ex eo, quod anima simplex & individua est, *Dangeavius*, animam humanam esse immortalem, comprobatum ivit. Potuisset eandem ob rationem non dubitare, quin animæ bestiarum æque sint immortales. Autor id ipsum
94. perspexit, ideoque monuit, immortalitatem mentis humanæ esse ex divinis literis, ex testimonio rerum publicarum moratiorum, & notione, quam de justitia Dei tenemus, evincendam. *Dangeavius*, ab Episcopo Meldensi *Bossuetio* se ad Catholicam

licam religionem deductum fuisse professus, lucem vitalem ad-
spexit A. 1643, Academiæ Gallicæ adscriptus fuit A. 1682, Pag. 111.
obiitque A. 1723, Calendis Januarii. Abbas *de Choisy*, morbo
defunctus, aggregavit sese seminario Missionum Romano, ac
iter in regnum Siam ingressus est, aggregaturus exteros do- 115.
ctrinæ Romanæ, a creditoribus potius ad id impulsus, quam
mentis emendatione. Ephemeridas ipse Abbas contexuit, qui-
bus acta itineris sui comprehendit. In Hodœporetico P.
Tachardi plura leguntur de ipso. Biennio itineris exacto, *A.*
Choisy, qui in regno Siamensi renuntiatus fuerat Presbyter,
appulit A. 1686, 18 Junii, Brestiam, ac Rex eum, ipsi reddi- 138.
tum, interrogavit, quanam voce Siamenses designarent actio-
nem edendi ac bibendi. Respondit ipse, *kin*. Probari idem
haud potuit administro status, *Louvois*. A. 1686 edidit acta
itineris sui, alacritatem & vivax ingenium spirantia. Huc us-
que egerat Abbas voluptatis missionisque sodalem. In poste-
rum ipse libris scribendis animum applicavit. *Vitam Davidis*
& translationem Psalmorum ipse in literas redegit, Regique con- 150.
secravit, quem sensit sibi opera Patris *de la Chaise* placatum.
A. 1687 adscriptus fuit Academiæ Francicæ. In Oratione,
quam sub ingressu in eam recitavit, Panegyricus Cardinalis
Richelii paginam facit utramque. Observationibus in Annota-
tiones *Vaugelasi*, A. 1704 publicatis, symbolas ipse contulit
bene multas. *Vitam Salomonis* composuit A. 1687, compa- 157.
ratione *Ludovicum XIV* inter & *Salomonem* instituta. Reginæ
Sabææ cum *Salomone* commercia sic delineavit, ut intelligas fa-
cile, Autorem voluptatibus hoc tempore nondum penitus re-
nuntiasse. A. 1688 edidit, præter *Meditationes Christianas*, *Hi-* 161.
storiam Philippi Valesii, *Joannis*, Regis, *Caroli V* ac *VI*, Regum.
Stilo usus fuit puro, dilucido, nitido; argumentum vero haud
exhausit. A. 1689 scripsit *Ludovici Sancti historiam*, a *Mag.*
de Sacy inchoatam, & a *Fillavio de la Chaise* suppletam, com-
mentariis *Tillemontii* superstructam, stilo infirmo ac languente.
Ipsi erat necessitudo cum Jansenistis Portus Regalis, & *Joannes*
Fillavius ipsum cognatione contigerat. Librum avidissime e-
merunt homines. Jussu regio sub examen missus fuit liber mo-

Pag. 164. nitu Patris *de la Chaiſe*. Tantum cenſura hæc inde reſecuſt, ut Autorem piguerit librum poſthæc inter ſuos referre. Paulo poſt Libros de *Imitatione Jeſu Chriſti* Gallice fecit, ac Dominæ *Maintenoniæ* inſcripſit. Prima editio eſt commemorabilis ob verſus *Pſ. XLIV, 11, 12*, qui ſubjecti leguntur figuræ in æs inciſæ, quæ repræſentat hanc Dominam, in genua procumben-
167. tem ad pedes Jeſu, in crucem ſuffixi, hoc modo: *Audi, Filia, & inclina aurem tuam, & obliviſcere domum Patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.* Gloſſatorum malignitas effecit, ut in editionibus ſubſecutis hi verſus haud apparuerint. Omittimus ſcripta ejus moralia. Monemus, opuſculum ejus, *l' Oiſeau bleu* dictum, hiſtoriolis conſtare, in locum narratiunculatum de *Fëis* ſubſtitutis, XXI, e. g de *Pulcheria*, de *Gothefredo Bullionenſi*, de *Franciſco*, Lotharingo, eoque Duce Guiſii, &c.
171. Edidit denuo A. 1718 duo alia volumina, inſcripta *Hiſtoires de Pieté & de Morale*, referta vitis Regum, Reginarum, Heroum, fœminarumque celeberrimarum. Cœpit ſuccinctam dare Hiſtoriam eccleſiaſticam, cujus *Tomus I* A. 1703 evulgatus fuit, complectentem elementa Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. ac trium a C.
174. N. Seculorum. In hoc opuſculo labores aliorum adhibuit, &, quod vix credibile, *Joannem* Evangeliſtam exhibuit inſtar viri male ſimplicis, quem Galli appellant *bon homme*. Succeſſerunt
193. *Tomo primo Tomi* porro *decem*. *Tomo decimo* ſemina & progreſſus controverſiarum Janſeniſticarum egregie perſecutus fuit. *Undecimo*, ſeu ultimo, *Tomo* exponuntur res, in eccleſia geſtæ inde ab A. 1661 uſque ad finem anni 1715. *Lengleti* judicium de hac Hiſtoria infirmo ſtat talo, id quod Autor oſten-
200. dit, non dubitans Abbatem *de Choiſy* vocare *Seculi ſui Vellejum Paterculum*. Edidit Abbas A. 1706 *Vitam* amitæ ſuæ, *Dominæ de Miramion*, Comiti *Buſſy* tandem nuptæ, pietate ſpectabilis, ac defunctæ A. 1696, 24 Mart. Quibus temporibus Abbas majores in dies dignitates quæſiverit vel conſecutus ſit, Autor docere omiſit. Fuit autem Abbas ille ex Siamenſi regno redux Prior S. *Lo*, Rothomagenſis, S. *Benedicti* in locis
215. *Sault* & *Saint-Gelais*, Academicus tandem Francicus, unusque ex 40, defunctus A. 1723, 25 Nov. cum Academiæ ageret

jam

jam Directorem. Edita ſunt A. 1727 ejus Commentaria, *Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire de Louis XIV* appellata, haud eo fine, ut publicarentur, conſcripta. In eis Abbas ſigillatim recenſuit actionum ſuarum, venerearum, vanarum, frivolarum æque ac honeſtarum, ſeriem & eventa. Eadem ingenuitate Regis aulæque adminiſtrorum & amicorum pinxit virtutes, nævos, vitia, lineis ſat luculentis. Sparſit ſubinde veſtigia indolis ſatiricæ, dubitationis, & erroris. Er- Pag. 231.
rorem, in vita *Richelii* admiſſum, refellit *Laurentius Joſſus*, Clericus Presbyter S. *Sulpicii*. Operæ pretium fuerit, ea legiſſe, quæ Autor ex Abbatis commentariis de nuptiis *Ludovici XIV* cum *Maintenonia* in calce adjecit. Commentarii illi plenius fuerunt A. 1735 editi ſub titulo: *Hiſtoire de Madame la Comteſſe des Barres, à Madame la Marquiſe de Lambert.* Sed hæc ſuffecerint in præſens.

PLAGIAIRIANA, CONTENANT DIVERS PRINCIPES émanés du threſor de la Verité, &c.

hoc eſt,

PLAGIARIANA, COMPLEXA VARIAS PRÆCEptiones, de Theſauro veritatis emanantes, & collectas a S. N*. Priore Sancti Junii.*

Amſtelodami, impenſa Autoris, apud Franciſcum Changuionem, 1735, 8.

Plag. 20.

Hic liber, qui de capitibus quibusdam rei Chriſtianæ agit, quemadmodum hunc titulum nactus ſit, difficile eſt ad divinandum. Nos, quamvis in omnes partes verſemus animum, nullam tituli cauſam reperimus, niſi quod in tanta Plagiariorum copia Autor divinæ veritatis vel fur, vel prædo, videri voluerit. Quod nomen quam glorioſum & optabile illi ſit, alii, quibus vacat, exiſtiment. Liber ipſe in *quinque Partes* diviſus eſt, quarum *una* continet meditationes miſeriarum hominis cum Deo, peccato originali, ſe ipſo, concupiſcentiis carnis, divitiarum, ſcientiæ naturæ, ſuperbiæ adverſus

verſus Deum, & ſe ipſum, comparatarum. *Alter* pertractat cognitionem, potentiam, ſapientiam, miſericordiam & juſtitiam, providentiam, veritatemque Dei, conſiderationem Jeſu Chriſti, verbi divini, religionis Chriſtianæ, & eccleſiæ. *Tertia* exponit fidem in genere, comparatam cum Deo, Jeſu Chriſto, charitate, & bonis operibus, ſpem in Deo, miſericordia Dei, Jeſu Chriſto, repoſitam, charitatem generalem, charitatem Dei, Jeſu Chriſti, juſtitiæ, erga ſociam, cum Deo, juſtitia, & ſe ipſo, comparatam. *Quarta* differit de gratia, de effectu gratiæ, de gratia *Adamum*, Deum, Jeſum Chriſtum, Spiritum Sanctum, ſpectante. *Quinta* de magnitudine hominis, e creatione, immortalitate animi, redemtione, fortitudine, temperantia, prudentia, & juſtitia, elucente, diſputat. Hæc univerſa, ſingulis *Capitibus* comprehenſa, more Pontificiorum doctorum proponuntur. Sunt tamen interdum aliqua adſperſa, quæ an Pontificiis univerſis approbentur, dubitamus. Nam *Part. I Cap. 1 pag. 2* ita loquitur: *Si homo nihil videret, quod divinitatem quandam ſignaret; poſſet huc delabi, ut nihil de Deo crederet: ſi indicia creatoris uſque quaque animadverteret, acquieſceret. Sed, cum nimium multa Dei negandi cernat, & nimis pauca aſſeverandi, ſtatus ejus eſt lamentabilis.* Etenim homini, ſe ipſum intuenti, quamplurima ſuppeditarent argumenta credendi Dei, etiamſi præter ſe nihil cerneret veſtigii divini. Oculus enim hominis, auris, os, cor, &c. ſatis ſunt teſtimonii. Exſtant certe ſcripta hujus generis ingenioſiſſima. Neque videmus, qui ſtatus hominis fingi poſſit ab indiciis divinitatis vacuus. Et quis eſt, qui non uſque quaque Deum indicari videat? *Derhamum*, *Fabricium*, *Niewentydtium*, *Sturmium*, *Schwartzium*, *Trillerum*, *Brockeſium*, *Fenelonium*, complures alios, ignoret oportet, ſi quis Autori ſe comitem præbere audeat. *P. I Cap. 6 pag. 27* Autor, *veritatem comparari*, ait, *cum puella tam turpi, quam bella, & propterea ſemper induta perſona quadam.* Veritati Autor tribuit vitia, quæ hominum ignorantiæ, temeritati, & ignaviæ, ſunt tribuenda. *P II Cap. 7 pag. 117 Joannis 1, 1*, verbum ἦν, ſi ἐν ἀρχῇ verteris *in principio creandi mundi*, ſignificare docet, λόγον jam ante creationem

nem exſtitiſſe, ac proinde, uti Deum ipſum, æternum eſſe. Sic ἐν ἀρχῇ verteris *in cauſa vel autore rerum creandarum*; tum Deum patrem intelligi putat Autor, & ideo λόγον rurſus ab æternitate deſcribi. Eodem *Capite* verba *Joannis VI, 63,* ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν, ſic accipi credit, ut diſcipuli Jeſu intellexerint, *carnem illam eſſe communem, & a ſpiritu vivificante ſejunctam.* Idem *Cap. VIII*, quamdiu Prophetæ ſuperfuerint, gentem Iſraeliticam, ſtatuit, fuiſſe ignavam & negligentem; ſublatis Prophetis omnibus, zelum efflоruiſſe ſingulari providentiæ divinæ argumento. Sed zelus ſuperſtitibus jam Prophetis floruit, quod exemplo *Pinehaſi, Saulis,* undecim tribuum, Benjaminitas impugnantium, ſeptem millium, *Baali* genu non flectentium, & aliorum, conſtat. *Cap. IX* eccleſiæ catholicæ (Romanam intelligit) ſigna credit conſenſum nationum & gentium, incrementum charitate partum, & continuam Pontificum ſucceſſionem. Addit alia quædam ſigna, non magis certa; iſta autem hic memoravimus propterea, quod eccleſia Apoſtolica de Autoris opinione non fuiſſet catholica, quippe a nulla gente tum approbata, necdum charitate ſubſequentium temporum confirmata, nec Pontificum ſucceſſione glorians. Ignoraſſe etiam videtur Autor, *Auguſtinum* ipſum in libro de Civitate Dei fateri, æquales ſuos a Chriſto alienos de interdictis conqueri ſibi acerbis. Succeſſio autem Pontificum, qui partim magi & ſceleratiſſimi fuerunt, fruſtra jactatur. Etenim ne Chriſtiani quidem fuerunt, multo minus *Petri* ſucceſſores, quippe ab artibus diabolicis alieniſſimi. *Capite* eodem, Romanam eccleſiam catholicam eſſe, ex eo probat, quod hoc nomine vulgo appelletur. Sed meminiſſe debuerat, Capuam vulgo dici, quæ vetus illa Capua non eſt, & Venetias, quæ antiquiſſimorum Venetorum urbs non fuit, & Muſelmannos, qui minime vera ſunt fide præditi. Minus ergo cohærent, quæ *pag. 138* de una eccleſia Deo cara, beneficiorum Chriſti participe, & cum fidelibus participante, clamat. Ibidem, traditionem ſequendam nobis eſſe, putat, etiam deficientibus Apoſtolorum ſcriptis. Cur ergo diſcipulis *Thomæ*, cur Armeniis, cur Habeſſiniis, traditiones ſuas non relinquunt

Pag. 122. 131 ſeq. 136. 137. 139.

Pontificii? Cur ſolum Chriſti corpus ſuis exhibent comedendum, cum ſanguinis etiam communitatem traditio Apoſtolica uſque ad barbariem illam Chriſtianorum conſervaſſet? Velimus etiam, perpendiſſet Autor, quid ſibi vellent iſta verba ipſius *pag. 142*, a nobis hic Latine poſita: *Si pietas fidelium Pontificiæ dignitati vim addidit; magis id factum eſt magnitudinis illius tuendæ cauſa, quam ut principibus & populis vis afferretur, niſi forte communis utilitas, ut ita fieret, poſtulavit.* Dubitanter loquitur Autor de re, quæ cum dolore Chriſtiani orbis facta eſt; &, quod *Paulus* vehementer increpat, ne fiant mala, ut eveniant bona, ipſe probat, quamvis etiam illud videat, magnitudinem Pontificis, libertati tot eccleſiarum & tot regnis non prægravem modo, ſed etiam pernicioſam, nullo modo bonam
Pag. 147. dici poſſe. Eodem *Capite, o tempora!* inquit, *o mores! o ſeculum ferreum! quo aurum in ſcorias eſt converſum; tempus, quo ſanctuarii ſaxa in loca publica ſunt devoluta; quo concio & doctores ejusdem ſunt farinæ. Epiſcopi, qui animos ad Deum deducere debebant, conantur hoc tempore ſubſidia exquirere, ab officio quam longiſſime recedendi. Ah! quid de Epiſcopatu factum eſt, cum, qui homines per verbum Dei illuſtrare debebant, ii per tenebras dogmatum perverſorum homines excæcare*
175. *præcipue allaborant. Part. III Cap. IV* Autor multa falſa veris miſcet. *Gratia*, inquit, *in fidelibus juſtitiam veram, non imputatam, procreat, quia Chriſtum imitari debet. Cum Paulus Abrahamum juſtificatum eſſe ait per fidem ſine operibus; opera intelligit legis, & quæ per ſolius naturæ vires exiſtant. S. Jacobus contra eos dicit juſtificari, qui opera legis conficiunt. Intelligit opera, e fide viva, & per charitatem, gratia divina adjutam, efficace, profecta.* Quis enim negavit, gratia divina effici juſtos etiam homines? Quis, imputatam, negare poteſt, veram eſſe & realem, cum gratiam Dei, peccata remittentis, & tot bona maximi ponderis, afferat? *Rom. IV, 3, 11.* Si fides juſtificans eſt imitatio Chriſti; imitari Chriſtum definimus in altera vita, cum fides ceſſat, *1 Cor. XIII.* Ergo beati cœlites improbiſſimi & ſceleſtiſſimi erunt homines. Et cur *Pauli* verba, *Abrahamum* fide ſine operibus juſtificatum prædicantis, ita contorque-

torquebimus, ut, quod is generatim de omnibus operibus ait, hoc nos de operibus ad voluntatem noſtram confictis intelligamus? Et quis opera legis edet, ſolis naturæ viribus, ſine gratia divina, cum eſſe debeant perfecta, omnibus ingenii & facultatum humanarum opibus? *Devt. VI.* Cum præſertim Autor ipſe omnia hominis bona ex divina gratia repetat, Pag. 240. & *Abrahamus* jam dudum viribus divinis ornatus fuerit, nec opera naturalia in ipſo amplius reperiri potuerint. Quæ autem in ipſo non fuerunt, quomodo multo poſt demum excluſa dici poſſunt? *Cap. VI* intelligi non poſſunt verba Autoris: *Peccator, ſi eandem perverſitatem ſequitur, alia non eget pœnitentia, niſi peccato ſuo.* Nam, quacunque ratione nomen *pœnitentiæ* intelligatur, vel dogmata partium ſuarum offendet, vel nihil dixiſſe videbitur. Quæ *Part. III Cap. VII* diſſerit Autor, indigna ſunt Theologi perſona: *Spes ſalutis non debet fundari in obſervationibus carnalibus potius, quam in vero amore & ardenti charitate erga Deum & ſocium.* An enim in carnalibus obſervationibus ſpes ſalutis ullo modo poni debet? & an charitati Dei & hominum ſpes ſalutis facta eſt? Contra ſentit Chriſtus *Luc. XVII, 10,* & *Paulus Rom. III, 20, IV, 5, Epheſ. II, 5, Gal. III, 9, 10. Cap. VIII* non temere accipienda ſunt verba illa: *Religio Chriſtiana non conſiſtit in adoratione Dei ut grandis & æterni, qui proprie ipſe Deismus eſt,* &c. Nam, qui hæc attributa Dei ponit, non continuo cetera tollit, quod Deiſtæ faciunt. Nec videmus cauſam, cur Autor *Cap. X pag. 216* Poetam *Aratum Pauli* civem & æqualem vocet. *Aratus* certe quidem antiquior eſt. *Part. III Cap. XI* fingit Autor ſibi hæreticos quosdam, qui abutantur verbis *Hiobi, quenquam in hac vita purum eſſe* negantis. *Part. IV Cap. III* opinatur ipſe, facultatem hominum, rem unam alteri præferendi, Deo tribuendam eſſe, quia *Paulus* dicat: *Non eſt poteſtas niſi a Deo.* Cum tamen *Paulus* ibi de poteſtate civili agat, non de omni quarumvis rerum facultate.

188. 202. 220. 256.

THESES DE JURIBUS S. R. I. VICARIORUM durante Interregno, nec non de electione & coronatione

Imperatoris, in uſum Auditorum conſcripta a D. SMIDT, D. & P.

Bremæ, typis viduæ B. Herm. Chriſt. Jani, 1741, 8.

Plag. 9.

Domus Sereniſſimæ Auſtriacæ Cel. Autor admodum ſeſe præbuit ſtudioſum, optimisque ex fontibus ſcriptoribusque hanc hauſit tractationem. Decerpemus ex ea non niſi eximia
Pag. 9. & ſingularia, reliquis omiſſis. Originem Vicariatus Saxonici ipſe non audet determinare. Si quid ſuſpicando licet aſſequi, origo ejus ex munere conſervatoris pacis regiæ aniverſalis per Saxoniam fuit enata. Hoc munus *Adolphus* Naſſovicus demandaverat *Ottoni*, Marchioni & Electori Brandeburgico. Saxoniæ autem Elector ſtetit a parte *Alberti* Auſtriaci, & ab hoc munus illud in domum ſuam Saxo transtulit. Alii originem deducunt ex Palatinatu Saxonico. Quæritur itaque, an Marchiones Misniæ, qua Thuringiæ Landgravii, Vicariatum illum tenuerint
11. ante Electoratum Saxonicum genti ſuæ acquiſitum? Pontificem Romanum eſſe in reliquiis Imperii Romani Vicarium, Autor contra *Grotium* merito inficiatur. Terminos Vicariatus utriusque ſolicite diſtinguit. Principatum Friſiæ orientalis vindicat
19. Vicario Saxoni. Auſtriam neutri ſubeſſe, exiſtimat. Vicariis Germaniæ jus etiam in Italiam tribuit, ac in Cameram Imperii Germanici, &, utrique judicium Vicariatus in terris aſſignatis eſſe, docet. Judicium hoc Vicariatus eadem gaudet autoritate, ac, vivo Imperatore, imperiale aulicum. Aſſerit Autor Vicariis Imperii *jus, ad beneficia eccleſiaſtica præſentandi*, id eſt, primariarum precum in locis per pacem Weſtphalicam definitis. Addit vero, vim illarum precum, ab iis conceſſarum, exſpirare, ſi, durante interregno, præbenda haud va-
29. cet. Inveſtitura feudorum, exceptis Principum eccleſiaſticorum ac ſecularium feudis, eisque, quæ a vexillis nomen trahunt, Vicariis æque patet expedienda. Feuda vexillaria Autor exponit per ea, quibus impertiuntur Comites ac Barones, tri-
31. buitque Vicariis Sereniſſimis ea omnia expedienda jura, quibus Imperator gaudet, exceptis tantummodo eis, quæ Cæſari

40. in

in Aurea Bulla ſunt reſervata. Regnum Merovingicum repu- Pag. 47.
tat pro mere electivo, de quo videtur tamen aliis dubitandum eſſe, ſiquidem proceribus Franciæ licuit Regem abdicare, & creare novum. An Capitula, ſede vacante, ad electionem Cæſaris ſint admittenda, haud definit. Sereniſſimæ Bohemorum Reginæ jus electionis illius it vindicatum. Exteris Principibus pariter patere viam ad dignitatem Imperatoriam perveniendi, 55. 62.
arbitratur, addens tamen, regulas prudentiæ ſuadere, ne majeſtas & decus Imperii Germanici exteris conferatur. Principem, Proteſtantibus aggregatum, dignitatis illius capacem eſſe, monſtrat. Addit tamen: *Non diſſimulandum, ſpem Proteſtantibus præcluſam eſſe, niſi obices difficultatum vis cæleſtis removerit.* Sede Moguntina vacante, Capitulo jus indicandi electionem Imperatoriam haud eſſe, oſtendit; quis vero ejus vices expleat, definire haud audet, ſubjiciens tandem: *Equidem nec Vicarios hoc in caſu excludendos eſſe exiſtimo.* De Capitulationis perpetuæ negotio potiora ediſſerit. Suffragia Electorum præſentium numeroſiora in cenſum venire ad Imperatoris electionem expediendam, merito contendit. *Sectio III*, ſi quid judicare valemus, principatum tenet, quæ de coronatione Imperatoris Romano-Germanici eſt inſcripta. Commentatio omnis dicitur quidem in uſum auditorum fuiſſe conſcripta; at operæ pretium fecerint etiam peritiores, ſi opuſculum hoc attentione ſua fuerint dignati. 67. 96. 105.

HISTORIA PHILOSOPHIÆ, AUTORE JOANNE ERNESTO SCHUBERTO.

Pars I.

Jenæ, ſumtibus viduæ Crœkerianæ, 1742, 8.

Alph. 1.

Exhibentur hoc Opuſculo *Capita duo*, *unum* de Philoſophia, generatim ſpectata, *alterum* de Philoſophia barbarica, inſcriptum. Ad hanc claſſem retulit Autor Philoſophiam Chaldæorum, Perſarum, Phœnicum, Arabum, ſive Sabæorum, Ebræorum,

Indorum, Sinarum, Ægyptiorum, Æthiopum, Druidum, Scytharum, aliarumque gentium ſeptentrionalium, ac tandem Italorum. Statuerat quidem, hoc etiam faſciculo hiſtoriam Philoſophiæ Græcorum complecti; ſed mutavit conſilium, ſimul ac in evolvendis antiquorum placitis paulo ulterius progreſſus fuiſſet. Senſit enim, re ipſa propius inſpecta, ſententias tribui Philoſophis priſcis, a quibus hi mentem habuerint prorſus alienam. Monet vero lectorem ante omnia, ſe multum ab aliis diſſentire. Tradunt alii vulgo ætatis recentioris ſcriptores, ſe in omni fere Philoſophia horrendos errores, & ne micam quidem veritatis, deprehendiſſe. Largitur tamen, cultum Deorum complurium jam diu ante Jeſum natum infeciſſe mortales haud ſecus ac peſtem. Contendit autem, Philoſophos conſenſiſſe cum gentium ſuperſtitione ac theologia politica. Doctrinam patrumfamilias primorum ad poſteros omnino propagatam eſſe, tradit. Comprobat id ipſum dogmatibus de creatione univerſitatis rerum & diluvii *Noachici*. Traditionem, per manus dimanantem, largitur, non diu eodem loco perſtitiſſe, nunc auctam novis ſcientiis, nunc imminutam, nunc minus recte expoſitam. Quæ mutatio effecerit, ut gens una ſenſerit altera rectius de Deo, rebusque divinis. Addit, per eam mutationem & viciſſitudinem hoc effectum, ut corruerit penitus univerſum doctrinæ avitæ corpus. Naturales certe veritates facilius poterant conſervari. Haſce prorſus deletas fuiſſe inter gentium multitudinem, ſibi perſuadere haud poteſt. Ex abſurdis vero opinionibus plebis non eſſe de ſententiis Philoſophorum judicandum, ſciſcit. Cum amplius tutum haud foret Philoſophis, explicate doctrinas ſuas tradere, Philoſophos ipſe arbitratur ſymbolis uſos eſſe, quæ aliter ac populus intellexerint. Hinc deducit diſcrimen Philoſophiæ arcanæ & exotericæ. At quæritur, unde de arcana illa Philoſophia reddamur certi. Reſpondet Autor, compagem Philoſophiæ cujusdam integram eſſe ad hypotheſes revocandam, ac inveſtigandum eſſe caput, per quod artus ſinguli ſibi reſpondeant. Sæpius exſtant teſtimonia ſcriptorum, e quorum ſenſu recte indagato judicium ferri poteſt. Addit tandem: *Certe aliam longe Philoſophiæ antiquæ*

tiquæ faciem deprehendi, ac eam, quam alii ſibi vidiſſe videntur. Atque ſic factum eſt, ut, plerosque gentium Philoſophos maximam partem orthodoxos fuiſſe, potuerim demonſtrare. Eia igitur videamus, obſecro, quid promiſſor tanto hiatu dignum præſtiterit. *Capite primo* partes Philoſophiæ exponit ſecundum diviſionem *Chriſtiani Wolffii*. *Ariſtotelem* ſuſpicatur per τὸ ὄν, *ens*, intellexiſſe ens ſupremum & præſtantiſſimum, id eſt, Deum. Phyſicen diſpeſcit in experimentalem, dogmaticam, teleologiam, & phyſiologiam. Addit quædam de Matheſi, & hanc Philoſophiæ annumerat. Hiſtoriam philoſophicam conditurus, ipſo arbitro, abſtineat, oportet, a probationibus & refutationibus opinionum philoſophicarum. Addit: *Qui eam ordine & diſtincte proponere vult, diſcernat logica a metaphyſicis, metaphyſica a phyſicis, phyſica a mathematicis, mathematica a practicis, & ſingula ſeorſim exponat.* Docet præterea: *In Hiſtoria philoſophica opiniones ex propriis ſcriptis ſecundum genuinam interpretationem determinari debent.* Quid vero faciendum eſt, quando id fieri nequit? Reſpondet Autor: *Hoc caſu ſcriptori Hiſtoriæ philoſophicæ ſufficit recenſuiſſe, quid creditum ſit ab antiquioribus de antiquiſſimorum Philoſophorum opinionibus.* Tradit porro, ſcripta Philoſophorum, ni omnia, potiora tamen, eſſe recenſenda, vitasque Philoſophorum delineandas. Hiſce præmiſſis, ſubjicit expoſitionem Philoſophiæ barbaricæ, ſeu a Græca diverſæ. Omnia de *Zoroaſtre* adeo pronuntiat incerta, ut nihil de ejus ætate, patria, parentibus, vita, & reliquis momentis circumſtantibus, affirmare auſit. Philoſophos principes Chaldææ putat indicari *Dan. II, 2*, per Hhartumim, Aſchaphim, Mehhaſchephim, & Caſchdim. Primos ſibi perſuadet fuiſſe magos theoreticos, ſecundos fuiſſe magos practicos, tertios aliis artibus occulta revelaſſe, quartos fuiſſe genus omnium eruditorum inter Chaldæos. Unicum Chaldaicæ doctrinæ fontem eſſe putat oracula, quæ *Zoroaſtri* vulgo tribui ſolent. Philoſophiam *Platonis* fere totam ex oraculis illis deſumtam eſſe, conjicit. Recenſet deinde congruenter hiſce oraculis compagem opinionum, quibus Philoſophi Chaldæorum ſuerint imbuti. Nihil inibi de duobus principiis rerum,

Pag. 8. 15. 17. 19. 22.

Pag. 38. rum, æque ſempiternis, legitur. *Zoroaſtrem* tamen hiſce philoſophiam ſuam oneraſſe, teſtis eſt *Plutarchus*. At de hoc dogmate & aliis doctrinis, quæ Chaldæis tribuuntur, ita ſentit Noſter: *Reliqua, quæ* Zoroaſtri *tribuuntur, dogmata ſuperſtitioſorum hominum recentioris ævi, qui priſcorum Philoſophorum placita non recte intellexerunt, inventa eſſe, neque unquam ſa-*
41. *pientibus placuiſſe, mihi videntur.* Et eodem refert artem divinandi, quam Chaldæis recte tribui, ex *Dan. II, 4,* & *Ezech. XXI, 21,* largitur. Chaldæos aſtra coluiſſe, colligit ex *Job. XXXI, 26.* Solent non perpetuo opiniones philoſophantium manere eædem. Succeſſores principum ſectæ ſubinde addunt aliquid, & rurſus aliquid detrahunt, doctrinis, primum adoptatis. Unde conſequitur, idem contigiſſe in Philoſophia Chaldæorum. Babylonii certe non prorſus conſenſerunt cum Chaldæis, novarumque aliarum ſectarum meminit *Strabo.* Miramur, de hiſce Autorem dixiſſe nihil. Chaldæorum prædictiones meminerunt etiam, poſt *Juvenalem, Curtium, Tacitum,* alii. Viciſſitudinem hanc addere, fuiſſet operæ pretium. *Lucianus* etiam habet nonnihil theurgiæ, huc ſpectantis. Sed ad Philoſophiam Perſarum feſtinat Autor, omittens dicere, Chaldæorum Reges etiam habuiſſe Magos, eorumque רַב־מָג, μεγιστάνων, *Magorum Principem*, commemorari a *Jeremia.* Magorum originationem ex lingua Perſica deduxit *Thomas Hyde.*
47. Haud alienum fuiſſet a propoſito, hæc notaſſe. Reſurrectionem, a Magis creditam, Autor pro eadem habet, quam Chriſtiani profitentur. Verum hæc ἀναβίωσις videtur nobis aliud quid indicaſſe, *Democrito*, Platonicis, Druidibusque, æque probata. Arimanium, ſeu tenebras Magorum, pro malo metaphyſico probabiliſſime reputat, negans, Perſas ſtatuiſſe principium malum ita, ut diabolum docuerint haud fuiſſe creatum. Bellum, quod docuerunt Magi exarſiſſe inter angelos
49. lucis & angelos tenebrarum, occurrit etiam in *Daniele* & *Joannis Apocalypſi.* Res ipſa intelligitur ex defectione Satanæ ejusque ſatellitum, & faſtidio angelorum bonorum erga malos. Philoſophiam Phœnicum Autor diſtincte expoſuit, eorumque dogmata ex fragmentis *Sanchoniathonis*, licet haud oſtenderit

derit ea esse genuina, descripsit. Cultum Dei externum, a Phœnicibus exercitum, haud adjunxit reliquis. *Thaautum* pro *Mose* reputat. Licear autem suspicari, illum fuisse principem Philosophiæ cujusdam apud Ægyptios paulo ante *Mosen* post *Josephum*, ac in sacris literis Vet. Test. vocari הַנֵּכָר, *peregrinum illum* doctorem, cujus sectatores passim vocantur בְּנֵי־הַנֵּכָר, *discipuli illius exteri* doctoris. Zabios a Sabiis, seu Sabæis, Philosophis haud distinxit. Illi fuerunt astrolatræ, dicti ex צבא, *exercitu* cœlesti. De Sabæis pauca habet ex *Maimonidæ Moreh Nevochim.* De Magis, quos *Plinius* & *Porphyrius* Arabibus tribuerunt, tacet prorsus. *Salomo* dicitur fuisse sapientior *filiis Orientis*, בְּנֵי קֶדֶם, id est, Arabibus, ad Orientem Judæos accolentibus, qui alias vocantur *Scharkijun*, seu Saraceni, id est, Orientales. Operæ igitur pretium fuerit, horum philosophiam pervetustam exquirere, Arabicæque adjungere. Nec dubitamus, Poetam sapientem *Chalcol* ad Saracenos referendum esse, & *Darda* esse ipsum *Thaautum*, Ægyptiorum *Hermen.* Utriusque fit mentio *1 Reg. IV, 29 seq.* Et quis ignorat, egregia Physices optimæ rudera exstare in *Jobi* libro? *Jobum* inter Saracenos habitasse, indicant vicini Chaldæi, Sabæi, Themanitæ, &c. In visis *Danieliticis* tradi aliqua hieroglyphica ex Magorum doctrina, de angelis propagata, nulli dubitamus, licet Cl. Autori haud visum fuerit eo excurrere. Nec is significat, nonnihil de angelis ex Babyloniorum & Magorum disciplina in librum *Tobiæ*, *Josephum*, & libros Talmudicos, transiisse. Tres Judæorum hæreses accurate descripsit. Essæos vero propius inspicere noluit. Doctrinam Pharisæorum de fato haud discrepare existimat a Philosophia *Wolfiana.* Quæri autem potest, an fatum, a Pharisæis adoptatum, sit orientale & astronomicum? Videtur *Jacobus Ep. Cap. I* huc nos impellere, ubi fatum illud profligat. *Epiphanius* id fatum Pharisæis tribuit distincte. Quæritur porro, quid designaverint *alia corpora*, in quæ Pharisæi crediderunt animas piorum transire. Sadducæi traduntur negasse, dari spiritus, licet libros Vet. Test. habuerint pro veris, Deumque existere fuerint arbitrati. Nodum hunc Cl. Autor non extricavit. Therapevtas *Philonis* haud

Pag. 85.

87.

haud attigit. De Talmude nonnihil differit. De doctrinis *Foe* doctissime expositi Ven. *Moshemius* in libro *de Historia ecclesiastica Tartarica*. In Philosophia Indorum & Sinensium elaboranda Cl. Autor nulli operæ pepercit. Philosophiam posteriorum antiquissimam a crimine atheismi pronuntiat immunem.

Pag. 134. Ex *Jamblichi* doctrinis judicium facit de antiquissimis Ægy-
218. ptiorum dogmatibus. *Typhonem* comparat cum malo metaphysico. Ternionem Ægyptiorum exponit de Deo, materia, & forma, hinc producta. De Atlante exponit in Philosophia
261. Æthiopum, &, hanc cum Ægyptia convenisse, ostendit. Druidas fuisse etiam Germanis, nemine negante, affirmat. *Lucani* testimonium *Bell. Civ. I, 444 seq.* cur haud adhibuerit, rationem ignoramus. Soli *Teutati*, quem Latini dixerunt *Mercurium*, Germanos sacrificasse victimas humanas, Cl. Autor tradit *pag. 275*. Vellicant autem illa *Lucani* aurem:

– quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus,
Et Taranis Scythiæ non mitior ara Dianæ.

A *Nerone* morem illum immolandi in Gallis sublatum esse, di-
278. cere omittit. Ex doctrina de fato, quod Turcico simile existimandum sit, fortitudinem Celtarum esse derivandam, suspicatur. *Lucanus* vero *I, 456 seq.* rationem virtutis illius intrepidæ collocat in desiderio longæ & perennis vitæ post mortem futuræ. *Cæsar* consentit *de Bel. Gal. VI, 14.* *Theogonias* Celtarum, Scytharum, Magorum, attingit Cl. Autor, nec tamen earum argumentum indicat. Si quid videmus, complexum eæ exhibuerunt patrum & generis progenitorum inde ab orbe condito, quos posteri inter cœlites retulerant, eorumque nomina, carmine comprehensa, immolationibus victimarum accinuerant. Cl. Autor *Numam*, ejusque philosophiam,
305. propius inspexit. *Numa* ipsi videtur fuisse speculorum caustico-rum inventor, & *Copernicanus*. Etruscorum philosophiam addit, & ubique vestigia diligentiæ suæ tam alte imprimit tractationi, ut reliquas partes & continuationes hujus præstantissimi, quod cœpit, instituti propediem aveamus perlustrare.

Inserui-

Inſeruimus nonnihil meditationum noſtrarum fulgenti ipſius metallo, ea imbuti mente, ut nemini faciamus ægre, nec diſſimulantes, Hiſtoriam hanc philoſophicam attentione noſtra viſam fuiſſe digniſſimam. Obiter monemus, commemorari in *Catalogo librorum* B. *Jac. Frid. Reimmanni pag. 300* ejusdem *Hiſtoriam literariam Babyloniorum MStam & ineditam.* Non dubitamus, in ea exponi id univerſum, quod ad Philoſophiam Chaldæorum & Babyloniorum referri ſolet.

LOGICA PRACTICA, AUTORE JO. ERNESTO SCHUBERTO.

Jenæ, impenſis Jo. Adami Melchioris, 1742, 8.

Alph. 1.

Libellum Cl. Autor principi Philoſophiæ ſuæ, Ill. *Chriſtiano Wolfio*, inſcripſit, nec ab inſtituto ſuo alienum exiſtimavit, ſi eum doceret ſingularem, quam vocat, providentiam, qua ad amplexandam *Wolfianæ* Philoſophiæ compagem in Academia fuerit adductus. In Præfatione dixit de rationibus, quibus commotus, orbem eruditum Logica nova augere, e re publica ſtatuerit. Animadvertit ſcilicet, diſcipulos ſuos, ſufficienti Logices vulgaris cognitione inſtructos, nondum exequi potuiſſe ea, quæ uſus & exercitatio ſuadent. Cum in cauſam ejus rei inquireret, ſenſit, leges iſtas, quæ in Logica vulgari traduntur, generaliores eſſe, quam ut ipſæ a quovis ad caſus ſingulares poſſint applicari. Idcireo ſtatim decrevit, præcepta ex generalioribus invenire ſpecialiora. Iſtas ſpecialiores regulas diſtincte huc uſque ipſemet non cognoverat, quamvis poſtea compererit, ſe eisdem congruenter omnes compoſuiſſe orationes, quotiescunque ſcriptum aliquod elaboraſſet. Experimenta & meditationes porro ipſum docuerunt regulas complures, quas haud omiſit. Invenimus hic non integram Logicam, ſed quorundam duntaxat problematum reſolutionem, eamque pleniorem & uſu faciliorem. Præmiſit huic inſtituto nonnihil principiorum Logices theoreticæ, ut, quas præcepturus erat operationes, ex genuinis fontibus poſſet demonſtrare. Voca-

Pag. 39. vit id præceptorum *Logices practicæ protheoriam.* Logicam practicam in *ſex Capita* diſpeſcuit. *Capite primo* expoſuit de principiis evidentibus, quorum in numero poſuit *definitiones,*
107. *axiomata,* & *poſtulata,* de *experientia,* & *obſervationibus. Capite ſecundo* expoſuit de demonſtratione analytica. *Tertium* demonſtrationi ſyntheticæ addixit. *Quarto* de diſputatione
276. egit. *Quinto* diſſeruit de libris dijudicandis & conficiendis. *Sextum* de uſu librorum eſt inſcriptum, & breviſſime concinnatum. Reliqua exemplis bene multis illuſtrantur. Quin tirones rei literariæ & ii, qui ad libros ſcribendos & dijudicandos animum appellunt, hinc proficere queant, nulli dubitamus.

ISRAEL. GOTTL. CANZII, LOGICES ET Metaph. P. P. O. & Ill. Seminarii Theol. Tubingenſ. Ephori, Theologia naturalis thetico-polemica. Cui ſubjungitur Diſſertatio de Deo ſpiritu, eodemque neutiquam extenſo.

Dresdæ, ſumtibus C. H. Bergeri, 1742, 8.

Alph. 2 plag. 2.

Apud homines, qui dubiis erroneorum dogmatum complicationibus conſtricti ſunt, vix aliquid proficitur quantacunque argumentorum accuratione & mole, niſi ipſæ opiniones erroneæ, quibus illi ab aſſenſu præbendo revocantur, dispellantur. Experientia hujus rei teſtis eſt haud refellenda. Plus vero is pertinaciam hoſtium frangit, qui in eorum agros bellum transferr, quam ille, qui in finibus ſuis inſuperabilia & fortiſſima inſtruit munimenta. Tum igitur demum conſpicietur manticæ id, quod in tergo eſt, cum, hoſtis ac diſputatoris argumenta, quibus ipſe contrariam tuetur ſententiam, intolerandis, non nuda tantum ſpecie pictis, & fictis, abſurditatibus, majori jure laceſſi debellarique poſſe, ad oculum oſtenderis viciſſim. Hæc eſt ratio, quæ Cel. Autorem ad examinandam ſimul & evertendam antitheſin acuit & adduxit. Hanc ob cauſam, ut omnis error a Theologia naturali duabus averteretur viis, ſolicitam operam navavit. Removit idcirco a Deo

tum

tum extenſionem eſſentiæ, tum divinarum operationum ſucceſſionem. Nam ex gemino hoc fonte, quicquid uſquam in Theologia naturali erratum fuit, prono alveo manavit. A permultis approbantur decreta Dei particularia, aut unius decreti particulares Dei, diverſis vicibus operantis, executiones, quas non poſſunt non ipſi fingere ſuccedentes. Sunt, qui ponunt & comminiſcuntur in Deo infinitam fluentium durationis momentorum ſeriem, in qua ipſe ſine actuoſa quadam molitione externa vixerit quietus; poſtea vero ſeſe in momentorum illorum uno aliquo demum accinxerit ad creationem. Sunt, quibus ſpatium arridet, receptaculum mundi extenſum, quod Deus ante mundi incunabula inhabitarit. Ut hoſce errores, fontibus eorum obſtructis, Autor e Theologia naturali proſcriberet, nulli operæ pepercit, præterquam quod pepercit nominibus diſſentientium. Quæ cum ſignificaſſet ipſe in Præfatione, ita, ſtadium ſuum decurrens, monuit: *Si qui ſuum a me diſſenſum publice ſunt teſtaturi, duabus, iisque æquiſſimis, legibus id faciant, etiam atque etiam rogo. Una eſt, ut, ſi meam ſibi reſponſionem exoptent, ne ſint anonymi. Contra anonymorum enim umbras pugnare nolim. Altera vero eſt, ut fundamenta Logices manifeſta, calculo omnium mortalium, qui rem intelligunt, corroborata, ne vocent in dubium.* Et eam ob rationem Anonymus ille, qui ſchedas annotationum in ejus *de immortalitate animi* opuſculum, Teutonice conſcriptum, emiſit, nil reſponſi feret, quippe qui, ex puris in ratiocinando ſententiis particularibus aliquid colligi poſſe, quod ſit firmum, ἀλόγως largitus fuit. Quantum ad tractationem hanc ipſam attinet; ea ex adumbratione noſtra ſuccincta pateſcet. Proœmio de Theologia naturali exponitur generatim. *Sectione priori* diſſeritur de exiſtentia & attributis Dei, & *Capite* quidem *primo* de exiſtentia, *ſecundo* de Dei attributis generatim, *tertio* de ſimplicitate Dei, *quarto* de infinitate, *quinto* de æternitate, *ſexto* de immenſitate ac omnipræſentia, *ſeptimo* de Dei intellectu, *octavo* de ſapientia, *nono* de voluntate, *decimo* de bonitate, *undecimo* de juſtitia, *duodecimo* de ſanctitate, ac *decimo tertio* de potentia. *Capite decimo quarto* Cel. Autor ad unita-

tem Dei probandam & propugnandam accedit, ac de ejusdem majeſtate, vita, & beatitate, potiſſima ediſſerit mo-
Pag. 448. menta. *Sectione poſteriori* ad actiones Dei perluſtrandas & venerandas ſeſe accinxit. *Capite primo* de actionibus Dei ge-
463. neratim exponit. *Caput ſecundum* creationi ſacrum eſt; *tertium* providentiæ inſervit contemplandæ. Appendicis loco acceſſit Diſſertatio, quæ, Deum eſſe ſpiritum, eundemque neutiquam extenſum, adverſus myſticos Philoſophos atheos, aſſerit & propugnat, A. 1741 publico examine ventilata. In hoc cardine vertitur tractatio univerſa. Jam ad ſingularia eſt procedendum. Divinam literarum ſacrarum originem
3. comprobat Autor 1) ex vaticiniorum complemento, 2) ex miraculorum illuſtriſſimorum ſplendore, 3) ex doctrinæ, Philoſophiæ hiatum ſupplentis, præſtantia. *Animalis homo*, hoc judice, eſt is, qui modo victum, amictum, ſobolisque procreationem, & ea, in quæ quoque bruta animantia ſuo in-
7. ſtinctu feruntur, curat. Theologiam naturalem ſaluti æternæ ſufficere, negat Autor, allatis in medium firmiſſimis rationibus, & adverſariorum ſtrophis feliciter ſolutis. Deum eſſe *ens per-*
18. *fectiſſimum*, loco definitionis ponit. Exiſtentiam habet pro perfectione abſoluta, ratus, eos errare, qui, perfectionem prorſus nullam damnatis eſſe tribuendam, negant. Approbat
28. demonſtrationem exiſtentiæ divinæ, a priori deductam, non quod Deus cauſa ſui gaudeat, ſed eo, quod a genuina definitione arceſſitur probatio. Tum vero, Deum exiſtere, ex mundi exiſtentia colligit, argumento a contingentia mundi deducto. Nondum animadverit objectionem eorum, qui, modos Deo ineſſe, putant, licet ejus eſſentia ſit minus contingens. Quis vero dubitabit, modos veros conjunctiſſimos eſſe cum virium ſucceſſioni obnoxiarum mutatione, virium vero complexum eſſe ipſam finitorum naturam & eſſentiam actuoſam?
31. Varios Autor ſenſus rationis ſufficientis extricat. Anonymi ſcriptoris, qui nuper fanaticiſmum cum atheiſmo mira copula conjungere ſtuduit, argumenta ficulna examinat & refellit. *Spinoza* ille redivivus ex omnipræſentia Dei diffuſa, quam fecit ſuam, nobis eſſe exiſtentiam a Dei eſſentia diſtinctam, negavit.

gavit. Mundum esse substantiam physice unicam, Cel. Autor solide negat. Argumenta complura, quibus, Deum existere, Pag. 60.
doceri solet vulgo, idem recenset, dijudicat, & nervis instruit, ex mutabilitate derivatis, qua mundus, ejusque partes & affectiones, scatent. Attributa Dei, seu perfectiones ejus essentiales, formaliter differre, non materialiter, monet. Omnipræsentiam non tam pro attributo Dei interno, quam attributi interni, v. g. immensitatis, denominatione & relatione externa, habet. 84.
Simplicem esse Deum sensu metaphysico ac physico, ostendit. Omnipræsentiam ponit in perpetua rerum conservatione, operatione, distinctissimaque omnium repræsentatione. 87.
Omnipræsentiam sic distinguit ab ubiquitate, ut illa res omnes, quæ existunt, operatione afficiat sua, hæc vero rebus possibilibus efficiendis par sit. Notionem de spatio *Leibnitianam* expromit. 91.
Æternitatem inter & tempus finitum quid interfit, docet. Dissolvit dubitationem scrupulumque eorum, qui, substantiam corporis resurrecturi esse immutabilem, modis tamen mutabilem, tradunt, distinguens substantiam, in abstracto sumtam, ac ita perdurantem, a substantia, in concreto suis cum modis spectata. 109.
Addit idem: *Metimur omnem substantiam ex affectionibus. Si hæ sunt mutabiles; ipsa etiam habetur mutabilis in concreto.* Digna sunt legi ea, quæ sequuntur, præcipue ab iis, qui, substantias, putant, dari posse immutabiles, quibus inhæreant modi & variationes limitum. Contingentiam, quæ per eminentiam talis dicitur, Deo Autor tribuit æque ac principium metaphysicum. 119.
Æternitatem momentis, tum imaginariis, tum realibus, carere, docet. *Omnipræsentiam Dei*, tradit, esse *relationem ejus ad res hujus mundi existentes, qua omnes & singulas adæquate novit, atque omnia in singulis positiva, privativis opposita, operatur.* 127.
Respondet præterea ad objectiones eorum, qui ἀδιαφασίαν addunt. 146.
Scientiam mediam Deo vindicat solide, nec quidquam omittit, ut stilo philosophico & doctrinas, & oppositos eis errores, succincte explanet. 149.

ISTORIA DELL' INCENDIO DEL VESUVIO ACCAduto nel mese di Maggio dell' anno 1737, &c.

hoc est,

hoc eſt,

HISTORIA EXÆSTUANTIS INCENDIO VESUVII, quod accidit A. 1737 menſe Majo, ſcripta ad Academiam Scientiarum. Editio ſecunda, reviſa, & annotationibus nonnullis locupletata.

Neapoli, impenſis Franciſci Darbes, 1740, 8.

Plag. $13\frac{1}{2}$, cum Tab. 2, quibus figuræ inciſæ.

Celſiſſimo Auguſtiſſimoque utriuſque Siciliæ Regi viſum fuerat incendio illi, quod e Veſuvii penetralibus A. 1737 erupit, operam dare, ac illud cominus proſpicere. Similiter Academiæ Scientiarum libuit ferale illud incendium, Academici ſtudio deſcriptum, propius ſpectare, aliisque tradere ſpectandum. Deſcriptio ipſa complectitur, præter introductionem, *Capita ſeptem.* *Tabula prior* Veſuvium, a vertice diſſectum, contemplandum præbet; *poſterior* Veſuvii proſpectum, qualis ille ex ædibus regiis exiſtit, repræſentat. Ad *pag. 50* adjuncta eſt Tabella brevior, in qua ad ſingulos Maji, & priores ſeptem Junii, dies adſcriptus eſt ventus ac tempeſtatis ſtatus, conditio præterea & gradus barometri atque thermometri. Ante omnia in cenſum venit indoles ſoli Neapolitani. Regnum hoc terra gaudet referta mineralibus rebus, quæ incendiis conflandis ſunt aptæ, & ignem ſervant. Pag. 8. Copia inibi invenitur ſulphuris, bituminis, nitri, aluminis, vitrioli, ac aliorum omnis generis ſalium. Abundat tellus ibi aquis, thermarum ac acidularum gloria florentibus. Si maſſæ rerum, quæ igni concipiendo alendoque ſunt aptæ, ſenſim ſatisque creverunt, ipſæ non poſſunt, quin incendia tandem diffundant. Ratione haud abſimili elaborant Chimici *aurum fulminans.* 11. Et quis ignorat experimentum *Lemerii*, Academici Francici, qui ex æqualibus ſulphuris ac limaturæ Martis partibus maſſam, aqua imbutam, & ad certum profunditatis gradum ſepultam, adornavit, quæ ſpectacula Vulcani & montes ignivomos exhibuit. Veſtigia materiæ igniferæ ac Vulcaniæ exſtant in confiniis Puteolorum, Inſulæque Ischiæ, locorum

Neapoli

Neapoli urbi vicinorum. Incendiis quondam, e terra provo- Pag. 13.
lutis, laborarunt Mons Barbarus, quem veteres Gaurum appellarunt, campi Leburii, & Solfatara, a Græcis dicta *Forum Vulcani*, quod olim e caminis incendium magno cum ſtrepitu efflaſſe, *Strabo* eſt autor. Ex famoſo monte, ad ripam lacus Averni ſito, A. 1538 ſubitum ac vehemens incendium ſeſe evolvit. Inſulam Ænariam, ſeu Ischiam, Eretrienſes olim incoluerunt; eam vero ob ſubitas ignis eruptiones, aquarumque calidarum rivos, relinquere, e re duxerunt ſua. A. 1302 in ea memorabile exſtitiſſe incendium, quod homines beſtiasque magno numero conſumſerit, teſtis eſt *Joannes Villani*. Ob- 15.
ſervavit *Macrinus* in nonnullis inſulæ locis clariſſimas reliquias torrentum ſaxi liquefacti, ac poſthæc indurati, quos Itali appellant *Lave*. Prochyta inſula, quæ ab Italis *Procida* vocatur, Ænariæ pars quondam, e montibus terræ motu inde provolutis exſtitit, teſte *Plinio*. In loco maris Ægei, ubi exſtiterunt quondam inſulæ Thera & Therasia, per ignes ſubterraneos A. 1707 inſula Santerini enaſci cœpit. Capreæ inſula, immo ipſa Sicilia, vi ignis prorumpentis ſubterranei creduntur a conti- 18.
nenti abſciſſæ. Rhegium certe videtur ex diruptione illa nomen traxiſſe. Ex Veſuvii extremo vertice continuus fere fu- 20.
mus evolvitur. Addit Autor omnem Veſuvii ſitum, ſingulasque ejusdem plagas. Mutavit ille formam ſucceſſu temporis, 24.
id quod ex collatis veterum teſtimoniis Noſter demonſtrat. Imperante *Tito Veſpaſiano* Veſuvium primo arſiſſe, falſum eſt. Nam *Strabo* & *Vitruvius*, jam olim flammas ibi ignis & crateras 33.
exſtitiſſe, memorarunt. Id vero inficiandum haud eſt, anno C. N. 79 Veſuvium ita arſiſſe flammis & fumo, ut tum primum 36.
deſcriptio ejus incendii luculentior fuerit in literas relata. Funeſtiſſima incendia evenerunt A. 1631, 1730, & 1740. Hæc eſt Introductionis ſumma. Tractationis ipſius *Capita* ſic ſunt conformata. *Primo* exhibentur incendii ephemerides. *Se-* 39.
cundo delineantur torrentes ignis, ex igne Veſuvii provoluti. *Tertio* recenſentur res, intra torrentes illos ſolitæ obſervari. *Quarto* ediſſeruntur materiæ torrentum Veſuvianorum. *Quinto* agitur de cineribus & petris, Veſuvii incendiis originem deben-

Pag. 183. tibus. *Sexto* exponitur de exhalationibus incendii Veſuviani mortiferis. *Septimo* recenſetur ſtatus Veſuvii, qualis inde ab
206. ultimi incendii illius exſtitit ætate. Mons enim mutationi cuidam fuit ſubjectus, aliamque ex parte figuram induit. Vertex ejus meridionalis, qui ignes evomit, ante hoc incendium fuit altior & acutior. Poſthæc vero fumus ex caminis oribusque ſex & pluribus exire viſus eſt. Omittimus reliquam deſcriptionem, montisque dimenſionem, quam Autor diligentiſſime adornavit, omnino dignam, quæ topographiis recentiorum inferatur.

COGITATIONES RATIONALES DE CONVERſionibus corporum mundi totalium, ad illuſtrandum §. 244 Theodicææ Leibnitianæ, Autore JOANNE ADAMO OSIANDER, Tubinga-Wurtemb. Philoſophiæ Magiſtro.

Berolini, literis Chriſtiani Alberti Gœberti, 1742, 4.

Plag. $7\frac{1}{2}$.

Specimen hoc phyſicum æque ac mathematicum, quod Cel. *Leonhardus Eulerus* approbatione ſua excepit, ea accuratione a Cl. Autore fuit elaboratum & perpolitum, ut lectoribus eo perſuadeatur opera facillima, ſidera cœleſtia, quæ majores noſtri crediderunt exiſtere, omnis mutationis eſſe expertia, laborare inſignibus cataſtrophis, ac converſionibus eis, quæ illis, in terra evenientibus, ſunt majores. Cometas ingentibus viciſſitudinum intervallis eximios eſſe, Vir Cl. docet, additque mutationes, quas planetæ Saturnus, Jupiter, ac præcipue Mars, ætate noſtra ſubierunt. Maximam ſui admirationem re-
Pag. 5. centiore potiſſimum ævo animis Aſtronomorum injecit fatalis illa & memoratu digniſſima ſtellarum fixarum ſubverſio, quarum aliæ, poſtquam per multa annorum millia fulſerant, oculis noſtris prorſus ſubductæ, aliæ iterum novæ, antea non viſæ, in cœlo ſunt animadverſæ. Pleiades olim conſtiterunt ſtellis ſeptem; at ex *Ovidii* jam ævo ſeptimam deſideramus. *Geminianus Montanarius* A. 1670 indicavit, dari in fixis mutationes.

Caſſinus

Caſſinus in Aſterismis Andromedæ, Eridani, atque Caſſiopeæ, ſex, at verſus polum articum novas quatuor, apparuiſſe fixas, animadvertit. Obſervavit *Joannes Keplerus* A. 1600 & 1601 novum ſidus in pectore Cygni, quod multos ibidem perſtitit Pag. 18. annos, *Hevelio*que adhuc A. 1659 inſtar ſtellæ tertii ordinis apparuit diſtincte; poſtea autem ſenſim decreſcere viſum, tandem evanuit, atque ad A. 1666 latuit, donec illud *Hevelius* menſe Septembri tanquam ſtellam ſexti honoris denuo conſpexit oculo inermi intra locum priorem. Suppetunt plures ejusmodi obſervationes, ne quid de ſtellis nebuloſis repetamus, vel de mira ſtella commentemur. Progreditur Cl. Autor etiam 20. ad Cel. *Petri Ludovici Moreau de Maupertuis* tractationem de differentibus aſtrorum figuris, eique ſubjicit judicium Ill. *Wolfii*, de hypotheſibus philoſophicis latum. Tum vero probatum nonnullis fixarum adſcenſum & deſcenſum reſpuit. Attingit deinde ſyſtema ſolium dimidiatorum, ab *Iſmaele Bullialdo* procuſum, idque itidem proſternit, obſervationibus quippe infeſtum. Acquieſcit denuo in Ill. *Wolfii* judicio, ſubnectitque 27. meditationes *Roberti Hookii*. Hinc repetit obſervationes de mutationibus fixarum, ex Hiſtoria Academiæ Scientiarum Pariſienſis depromtas. Addit, ſolem ipſum interdum diu pallidiorem viſum, maculisque coopertum, tenuiter luxiſſe. Tandem 35. differit de modo, quo fixæ convertantur in planetas, & planetæ abeant in fixas. Tellus certe noſtra olim exſtitit fluidi ambitus & ſphæricæ figuræ. Stellæ autem fixæ haud unæ jam fuerunt exſtinctæ, flammasque ſuas poſuerunt. Quid inde magis 45. conſequitur, quam corpora mundi majora mutationibus patere, & converſionibus laborare?

Anmerckungen über verſchiedene ſchwere Stellen heiliger Schrift, ꝛc.

hoc eſt,

OBSERVATIONES IN DIFFICILIORA ALIquot Sacri Codicis loca, Autore JOANNE ERICHSONO, Correctore Holmienſis Lycei, quod eſt Germanicæ nationis. Sylloge prima.

Holmiæ, apud Gothofr. Kieſewetterum, 1742, 8.
Plag. 4½.

Obſervationibus XIV ſacris Autor Cl. hanc Syllogen primam fuit complexus. Diſſeruit autem ad *Luc. XV, 3 ſeq.* de ſcopo Jeſu, tres parabolas exponentis, ad *Luc. XV, 7*, de gentibus juſtis, emendatione haud egentibus, ad *Jo. VIII, 25*, de verbis τὴν ἀρχὴν, ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, ad *Jo. XIV, 12*, ad *Act. VII, 53*, de lege per angelos data & pronuntiata, ad *Rom. V, 2*, de gloria Dei, ad *Rom. VII, 1*, de lege, in hominem, quoad vixerit, dominante, de ſumma *Epiſtolæ ad Titum Paulinæ*, ad *Ebr. VII, 20, 21*, de inauguratione muneris, a Chriſto per jusjurandum ſuſcepti, de rebus in arca fœderis aſſervatis ad *1 Reg. VIII, 9*, & *2 Par. V, 10*, ac *Ebr. IX, 4*, ad *Ebr. XI, 40*, de verbis ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι, ad *Ebr. XII, 23*, de ſpiritibus juſtorum conſummatorum, de nominibus eorum, quorum *Paulus* in inſcriptionibus literarum ſuarum meminit, ac denique ad *Apoc. XII, 7 ſeq.* de pugna & victoria *Michaelis*,
Pag. 11. ejusque angelorum, de dracone. Ad *Luc. XV* monet, reſpicere in parabolis Jeſum ad exprobrationes & criminationes Judæorum repellendas. Phariſæi enim id Jeſu vertebant vitio, quod ipſe cum ſceleroſis ac fœce hominum verſabatur. Jeſus oſtendit contra, Deum angelosque gaudere de ſeria hominum improbiſſimorum emendatione, & ad frugem bonam reditione.
13. Per juſtos, qui pœnitentia malè actorum haud indigent, pios, in hac vita a malis liberatos, exiſtimat deſignari. Locum *Jo. VIII, 25*, ſic exponit: *Interrogarunt illudendi animo Judæi Je-*
27. *ſum, quis qualisque tu es, qui ſacrificiorum noſtrorum vim externam is proſtratum, nosque peccatis noſtris immorituros prædicas. Tum vero citrà moram indignabundus ipſis reſpondit Jeſus: (ἐρωτᾶτε, interrogatis continuo,) illud primum, quis ſim, ſemperque ad eandem reciditis quæſtionem, quicquid etiam vobis dixero.* Id vero exquirere haud licuit, quænam ſubſit ratio, cur verbum ἐρωτάω ſit ſubaudiendum, quod in ſententiis præmiſſis plane deeſt. Occupavit id telum Autor, monens, ellipſin
28. agnoſci a pleriſque, nec tamen ab eis vocem deſignari e proximis ſententiis, quæ commode potuerit ſubaudiri. Affectus certe,

certe, indignatione plenus, haud ſemper ex proximo ſubaudit vocem ſubaudiendam. Cum Jeſus *Jo. XIV, 12,* credentibus promiſit effectionem miraculorum, ſuis majorum, non de Pag. 35.
Chriſtianis promiſcue eſt ſermo, ſed de Chriſti diſcipulis, dono miraculorum haberrime inſtruendis. Solide hæc Autor. Et
Evangelium & legem a Deo ipſo docet eſſe promulgata, legem 35.
vero, divinitus pronuntiatam, poſthæc ab angelis expoſitam fuiſſe *Moſi*, conjicit. Ipſe, per τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, quæ memoratur *Rom. V, 2,* intelligendam eſſe, exiſtimat, *imaginem divinam*, qui ſignificatus exhibetur *III, 23.* Id habet peculiare, 50.
quod arbitratur, a nemine jusjurandum fidelitatis & orthodoxiæ exigendum eſſe. Urnam mannæ & virgam amygdalis florentem a Philiſtæis, arca fœderis occupata & abrepta, fuiſſe ereptam, ideoque Philiſtæos pœnis graviſſimis divinitus fuiſſe
affectos, ſuſpicatur. Tum ad locum *Ebr. XI, 40,* progreditur, 57.
eumque ita exponit, ut dictitet, actionem, qua juſti Vet. Teſt. fuerint conſummati, eſſe reparationem imaginis divinæ per Jeſu promerita debite ſuſcepta, nec illos ſine juſtis Nov.
Teſt. perfici potuiſſe, id eſt, utrosque eadem gratia ad finem 59.
præſtitutum fuiſſe perductos, conſcientia a peccatis expurgata. Voces χωρὶς ἡμῶν exponit ſic: *haud alia conditione, ac nos, qui œconomiæ novæ ſumus addicti. Johnſonus,* Anglus, ex eo collegit loco, animas defunctorum ante diem noviſſimum ad beatitudinem haud admitti. Quod quidem inde cogi efficique haud poteſt. Τελείωσις hoc loco, ſi quid arbitrari valemus, eſt progreſſus ad ſtatum meliorem & a miſeriis immunem. Jeſus enim, ad ſtatum gloriæ evectus, dicitur τελειωθείς. Illud *melius*, quod Deus nobis deſtinavit ac providet, eſt *cœleſtis beatitudo XI, 16.* Hanc vero Deus nobis dicitur ita prædeſiniiſſe, ut fideles Vet. Teſt. miſeriis conflictati *ſine nobis* haud eveherentur ad cœleſte gaudium; id eſt, ut nos æque ac illi per aſpera ad fructus promiſſionis adſpiraremus. Contextum Apoſtolicorum verborum qui inſpiciunt, & ratiocinationem, quam Apoſtolus ſubjecit, alicujus penſi habent, a nobis haud diſſidebunt. Autor per δικαίους τετελειωμένους deſignari putat *Ebr. XII, 23,* conſummatos, hoc eſt, eos, qui in hac vita ſint per 64.

fidem in Chriſto defixam juſti ac ſancti redditi. Viros Apoſtolicos nonnullos a *Paulo* in inſcriptionibus *Epiſtolarum* ideo
Pag. 68. appellatos exiſtimat, ut viderent eccleſiæ conſenſionem doctrinæ *Pauli* cum doctrina virorum, ipſis probatorum. Negat quidem, deſignati *Apoc. XII*, 11, victoriam *Conſtantini M.* ex dominis, Chriſto infeſtis, reportatam; attamen ſententiam haud ſubſtituit meliorem. Ut ipſe diligentiam eandem continuet in hoc ſtudio Autor Clariſſimus, qua cœpit, ipſum volumus & oratum & exoratum.

M. JO. CHRISTIANI SCHULTZII, BORGDORfio-Saxonis, Sabbatum, idque inprimis myſticum, in quo non ſolum ea, quæ circa Sabbatum ſelectioris ſunt argumenti, traduntur, ſed myſticæ quoque potiſſimum Sabbati rationes, ac reconditi nutus, qui ſublimiorem ominantur quietem, e ſedibus criticis ſtudioſe eruuntur.

Vitembergæ, ex officina Schlomachiana, 1741, 4. Plag. 9.

Pag. 7. De natura ſenſus myſtici ita commentatur Cl. Autor, quemadmodum conſulta B. *Rambachii* exigunt. Ipſi conſtitutum hic eſt, de myſtico Sabbati ſignificatu differere, quem cœleſtis ſapientia externo & terreno Sabbato indiderit, ad rem ſimul reſpiciens quandam ſublimiorem nutu quodam recondito
11. in ſolenni ſeptimi diei conſecratione. Solide oſtendit, diem Sabbaticum quietis æternæ eſſe typum, æternaque ominari gaudia, quibus tandem beati poſt obitum in cœlo ſint perfruituri. Monet, tria eſſe in doctrina de Sabbato obſervanda. Pertinet enim celebratio Sabbati ad legem naturæ, ad legem poſitivam univerſalem, & denique ad cerimonialia inſtituta, hoc ipſo judice. Deus certe temporibus quibusdam definitis publice eſt colendus, licet dies præciſe ſeptimus ex jure naturali
13. nequeat determinari. Exſtitiſſe olim leges poſitivas univerſales, Autor docet luculente, & *Chriſtiani Thomaſii* ſententiam repudiat, rati, legem de Sabbato fuiſſe poſitivam particularem Judaicam.

Judaicam. Contra *Joannem Lightfootum*, Sabbatum ſtante in- Pag. 14.
tegritatis ſtatu eſſe promulgatum, oſtendit. Negat tamen,
Sabbatum reſpectu numeri ſeptenarii eſſe æternæ quietis typum,
ſiquidem vita æterna viciſſitudinibus dierum caret. Hinc la-
certos movet, ut doceat, *Adamum* eo ſcopo fuiſſe conditum,
ut, explorato in creatorem ſuum obſequio, ad ſupracœleſtia tan- 18.
dem tranſiret ſidera, conditum fuiſſe *ex rubro, eoque pulcher-*
rimo, terræ pulvere. Ut id evincat, rationem habet innati de-
ſiderii, quo homines appetunt felicitatem ſecuram & conſtan- 21.
tem, & quod putat fuiſſe commemoratum *Rom. VIII, 19.* Dein-
de colligit loca e Codice ſacro, quæ Sabbato myſtico patroci-
nantur. Orditur a *Jeſ. LXVI, 22, 23.* Quem locum ſic ver-
tit Latine: *Sicut cœlum novum & terra nova, quam ego creavi,* 23.
durant coram me, dictum Domini; ita durabit progenies veſtra
& nomen veſtrum. Nam erit novilunium perpetuum & Sabba-
tum perpetuum. Tunc *veniet homo unusquisque adoratum co-*
ram me, dicit Dominus. Sabbatum enim ſimul ac cœpit, id
ipſum lampadibus accenſis effulſit. Quam ob cauſam ſeculi
futuri primordia glorioſa & ſplendidiſſima comparantur cum
novilunio ac ſabbato, lucem diſpergente. Inhæret ipſe huic 26.
canoni, qui dictitat, de ſupracœleſti fidelium vita ibi agi, ubi
mentio fit cœli novi, novæque conditæ terræ. Arbitrantur alii,
per ſymbolum mundi novi œconomiam eccleſiæ deſignari no-
vam, in regno gratiæ inchoandam, ac in regno gloriæ conſum-
mandam, quam Jeſus vocavit *παλιγγενεσίαν*, & *Paulus* appel-
lavit *regnum ſtabile*, cujus incolæ ſint *κτίσις καινή*. Sabbati
myſtici fundamentum poſthæc Cl. Vir in eo deprehendit, quod 30.
Deus Sabbatum dixit בְּרִית עוֹלָם, *fœdus ſempiternum*, &
אוֹת לְעוֹלָם, *ſignum in æternum*, rationemque adjecit de
quiete, quam Deus ſeptimo die traditur tenuiſſe. In *Pſ. XCV,*
11, omnino denegatur illis מְנוּחָה, *quies*, qui Deum ad iram
provocarant. Reſpici autem ibi ad quietem ſabbaticam, vix
ſit veroſimile. Reſpicitur potius ad quietam Cananææ poſſes- 31.
ſionem, qua rebelles excidebant, in deſertis enecati. Sabba-
tum utique vocatur *quies Dei ſancta Exod. XXXI, 15.* Sed per
eam deſignatur indubie refectio, quam Deus hominum men-
tibus

tibus ſanctitate imbuendis imbutisque prædefinivit. Tandem Cl. Autor progreditur ad *Ebr. IV, 4, 5, 10,* ubi inſtantis σαββατισμῦ fit mentio. Si quid cernimus, typus ibi non tam a
Pag. 32. Sabbato, quam a quieta Cananææ poſſeſſione, in quam *Joſua* ſuos induxit, arceſſitur. Inde tranſit Noſter ad conveniens-
35. tiam, quæ Sabbatum inter hujus vitæ & cœleſtis intercedit. Adjicit hiſce *Sectiones duas, unam* de nutu myſtico in momentis, Sabbatum circumſtantibus, obvio, *alteram* de die Chriſtianorum ſabbatico. Momenta illa conſtiterunt 1) in nota religio-
44. nis veræ, 2) memoria populi, ex Ægypto educti, 3) in adumbratione œconomiæ poſterioris *Col. II, 16, 17,* liberationem æque complectentis. Celebrationem diei ſolis Chriſtianam ab
54. autoritate eccleſiæ Apoſtolicæ arceſſit veluti ex fonte. Diem dominicum *Apoc. I, 10,* de die ſolis capit & exponit. Chriſtianos ad *Conſtantini M.* edictum uſque celebraſſe & Sabbati Ju-
58. daici diem, & diem ſolis, ſolide demonſtrat. Mirum ſane, Theologos exſtitiſſe ſeculo ſuperiori, qui diei Saturni feriationem revocari voluerunt, cum ipſi Judæi docent, Sabbatum ad gentem ſuam ſolam pertinere. Viciſſitudo certe deſignata & prædefinita fuit œconomiæ fœderalis *Jer. XXXI, 31, 32,* & ſymbolo creationis novæ adumbrata. *Dippelii* annotationes de die ſolis humana autoritate celebrari ſolito non moramur, ſiquidem libertatem Chriſtianis a Sabbato Judaico *Paulus* aſſeruit
67. *Col. II, 16, 17.* Addit Cl. Autor, feriationem diei ſolis non die lucido, ſed naturali, ſeu νυχθημέρῳ, eſſe metiendam. Gratulamur ipſi ſpecimen ſacræ eruditionis, non minores ab ipſo in poſterum fœtus ingenii exſpectaturi.

BAYLE EN PETIT, &c.
hoc eſt,
BÆLIUS IN COMPENDIO, VEL ANATOME Operum ipſius.

Sine loci & typographi indicio, 1737, 8.

Plag. 12.

Autor hujus libri tam rigidus eſt *Bælii* adverſarius, quam Pontificii cœtus aſſecla; reperimus igitur, quæ aſſenſum, reperi-

reperimus, quæ diſſenſum, mereantur. Opus ipſum incluſum *ſeptem Dialogis* eſt, quorum priores doctor & bibliopola inter ſe habent, in poſterioribus autem Abbas aliquis adjungitur. *Dialogus primus* generalior eſſe videtur, ubi ſe probaturum eſſe Autor ſuſcipit, *Bælium* admodum eſſe periculoſum Philoſophis pariter ac Theologis mediocribus; fautorem eſſe Pyrrhoniſmi in cauſa religionis, & huc ducere incautos, ratione quadam eo pernicioſiore, quo tectiore; denique vel Deiſtis, qui dicuntur, vel atheis, annumerandum videri, una cum diſcipulis ſuis ac patronis. Provocat hac data occaſione ad Patris *de l' Aubruſſel* Præfationem tractationis de abuſibus artis criticæ in cauſa religionis, ejusdem partem recitans. Obſervat præterea, quod, cum ejus Critica generalis hiſtoriæ Calviniſmi comparuiſſet, liber iſte ſub pœna capitali vendi prohibitus fuerit; quod publice *Bælius* ſit' accuſatus coram ſenatu ſacro Roterodamenſi, coactusque, ut capita nonnulla Dictionarii emendaret, e. g. *Pyrrhon*, *Manichéens*, *Pauliciens*, *David*; quod fuerit *Calvinianus*, aut hanc certe hæreſin ſimularit. Quamvis enim illam Toloſæ in Galliis abjuraſſet, non tamen niſi 15 aut 18 menſes cœtui Romano fidelis exſtitiſſe, tum ſophiſmatibus ſe deceptum intelligens, doctrinam *Calvini* exiſtimaſſe veriorem, memoratur. Hinc eum Genevam, Rothomachum, Pariſios, Sedanum, ac denique Roterodamum, ſeceſſiſſe, & in urbe hac ſedem fixiſſe, atque A. 1706 vitam cum morte commutaſſe, additur. *Dialogus ſecundus* nominatim exagitat obſcœnitates *Bælii*, &, quod ipſi tribuitur, dictum: Commentatorem, qui excitet obſcœnitates, multo citius multoque magis veniam mereri, quam, qui ſcribat, Poetam. Profert hac occaſione locum ex *Beauvalii* elogio *Bælii*, quod legitur in fronte *Voluminis quarti* Operum variorum *Bælii*, idque docet, *Bælium* paulo liberiorem fuiſſe in ſcriptis ſuis, præſertim ad fœminas quod attinet, ubi fines nonnunquam transſiliat honeſtatis. Quodſi uſum majorem habuiſſet hominum politiorum, qui ſane non acquiratur in ſolitudine atque in muſeo, res quasdam magis ſine dubio & elegantius fuiſſet obtecturus. Ubi quidem concludit Noſter, id ſi laudator diceret, cujus eſſet vituperanda velare, quid veritatis foret fateri ac ſinceritatis? *Dialogus tertius* graviter *Bælium*

lium reprehendit, quod autoritatem Pontificis, ac veritatem cœtus Romani, in rebus fidei debilitare atque infringere laboret, quodque, fieri non poſſe, ut hæreſis definiatur, præ ſe ferat. Excitatur hic *Supplem. Comment. Philoſ. Cap. X*, ubi ſequentis argumenti ſermonem inſtituit *Bælius*: *Videor mihi audire, qui mihi objiciat, quod ad eo citius cognoſcendum, num opinio quædam dici debeat hæreſis, opus ſaltem ſit, ut obſervemus definitionem:* Hæreſis eſt opinio, cùm pertinacia defenſa contra diviniſſimi cœtus decreta. *Sed quam temerarium iſtud auxilium! Statim enim hærebimus in idea vocabuli pertinaciæ, hinc cœtus divini; atque ita in oceanum involvemur immenſum ac horridum. Nam ab hoc cœtu diſci debet veritas. At enim jam eſt quæſtio de inveniendo cœtu, quem divinum re vera oporteat haberi. Quæritur in ſanctiſſimis literis, inque puriori traditione; at hæc utique eſt materia longioris evagationis. Dicere, quod cœtus Romanus ſit verus, nihil eſt dixiſſe, niſi probetur; utque probetur, infinitæ perquiſitiones requiruntur. Si quis alius clariorem ſuppeditare vellet definitionem, dicendo, hæreticum eſſe illum, qui neget veritates, ad fundamentum religionis Chriſtianæ pertinentes, næ is admodum falleretur; quippe non eſt Chriſtianus, qui affirmet, quod religionis ſuæ fundamenta deſtruat. Oportebit, ut id ipſi probetur obſervando ex verbo divino verum indicium, characterem ſiſtens veritatis, ad fundamentum pertinentis, atque en iterum fontem infinitarum inquiſitionum! Colloquium quartum* ſtabilire ſtudet, *Bælium* & alias doctrinas Pontificii cœtus rejeciſſe, ſeque Lutheranorum, Calviniſtarum, Janſeniſtarum, exhibuiſſe patronum, id quod nominatim ex *Supplem. Comm Philoſ. Cap. 13 Crit. gen. lit. 28 n. 15 de frequ. Comm. P. III Cap. 16, Diction. Art. Grotius, Obſ. 1 reſponſ.* ad quæſtiones provincialis cujusdam in *Operum diverſ. Tom. III pag. 1039*, atque aliunde, probatur. *Colloquium quintum* ipſius Pyrrhoniſmum ſiſtit in cauſa religionis, quam quidem contrarium præ ſe ferre paſſim nolit, ipſe tamen Elogii ſcriptor, ſub finem illius, agnoſcat. Invehitur ſimul Noſter in *Calvini* amicorum prædeſtinationem, qua Deum autorem peccati faciant, adeoque a *Bælio*, qui hoc vitium atheiſmo pejus nominaverit, damnentur. Probatur id ex *Bælii* continuatione meditationum variarum

riarum de Cometis §. 81. Confertur etiam *Volumen II Operum diverſorum Cap. 31 pag. 559*, item *Cap. 29 pag. 555*. Nec minus pronuntiat, principia diſſeminari a *Bælio*, quibus lectores recta via ducantur ad Socinianiſmum, quippe cum hanc hæreſin Proteſtantiſmo ac Papiſmo aperte ſatis præferat in *Supplem. Comm. Cap. 29 pag. 555 Tom. II Oper. div. Colloquium ſextum* perfidiam *Bælii*, ac falſa ipſius judicia, examinat, & loca quædam, ab iſto truncata & mutata, cum mutilata ejusdem allegatione una proponit, nec oſtendit minus, quem in finem tale quidquam commiſſum fuerit, tandemque concludit, quod omnis lector, non omnino excœcatus, & vel mediocrem Hiſtoriæ ſacræ, fidei Romanæ, ſanctiſſimorum Patrum, cognitionem habens, conſiderare debeat opera *Bælii* tanquam miſerabilem conſarcinationem conviciorum, calumniarum, ac mendaciorum. Idem illud argumentum *Dialogo poſtremo* continuatur. Virus hic Autor ſuum in beatum pariter *Lutherum* evomit, ac ſolis duobus foliis poſtremis omnia committit, quæ fuſius in *Bælio* vituperarat, haudquaquam perpendens, quam turpe ſit doctori, ſi culpa redarguat ipſum. Scripſerat *Bælius*, votum monaſticum *Lutheri* irritum fuiſſe; quippe ex ignorantia antecedente profectum. Concluditur inde, quod hac ratione & vexillum deſerens miles recte agat; quaſi ſacramentum is militare ex ignorantia invicta præſtitiſſet. Poſtea *Lutherus* ſacrilegi pellicatus accuſatur; celebris inferni ſpiritus diſcipulus nominatur, cum nemo ſit, qui neſciat, ipſum gloriatum fuiſſe, quod a dæmone adverſus miſſam Pontificiam ſcripta didicerit; & graviſſime reprehenditur, quaſi Comiti provinciali, ut duas uxores ſimul in matrimonio haberet, expreſſe permiſerit. Quis noſtrum ignorat, hæc atque alia hujus generis convicia autores habere omnium rerum ignorantiſſimos, nec dubitamus, ſanioribus atque moderatioris ingenii Pontificiis indigna hæc, quæ publice venditentur, exiſtimari.

FRANCISCI LELLI, INTER ARCADES NADIſti Mantinei, Fabulæ XII, elegiacis numeris concinnatæ.

Romæ, ex typographia Bernabo, 1739, 8 maj.
Plag. 10.

Noſcitur hodieque & colitur Fabularum pretium. Hinc, ſive antiquas ſpectes, ſive recentiores, pluribus huc uſque respublica literaria fuit locupletata. Eodem anno Αἰσώπειοι μῦθοι bis in Germania nuper publici juris facti ſunt. *Phædri* Fabulæ non rarius æqualem fortunam habuerunt. Quid de Poetis noſtris dicemus, *Trillero*, *Stoppio*, *Gellerto*, atque aliis, quorum fictiones non exiguam laudem reportarunt? Sed & aliæ gentes ejusmodi narrationum amore capiuntur. Itala teſtis erit. Venerabilis Abbas *Lellus*, a non paucis civium rogatus, hac Fabularum ſuarum publicatione id ipſum confirmat. Haud omnes recens invenit. Modis ſaltem ab ipſo elegiacis incluſæ, adeo placuerunt, ut eximii atque omni doctrinæ genere præditi viri non adhortarentur modo Noſtrum, verum etiam impellerent, ut hæc ingenii monumenta ederet in lucem. Profeſſus eſt id ipſum Poeta coram eminentiſſimo Patre purpurato *Nicolao Judice*, cui dedicavit, quemque ſimul literarum eſſe amantiſſimum, & de Poeſeos ſtudiis optime meritum, nec tantum aliorum carmina perlubenter audire, ſed ipſum pariter, a ſeverioribus interdum diſciplinis animum relaxando, ſummo ingenii acumine, & ſcribendi facilitate, verſus condere, commemorat. Sane, ſi quid eſt, quo & prodeſſe poſſunt & delectare Poetæ, Fabulæ ſunt, fictæ ſapienter atque accommodatæ; quippe cum his ipſis omnis philoſophia morum, veluti ſub imaginibus quibusdam, proponi poſſit atque inſinuari. Sicut autem nemo magis nocet, quam ubi mores ſe docere profeſſus, in devia callide ducit vitiorum; ita etiam habet utique fabulator, cur omni prohibeat cura, ne dulci ſub ſaccharo lateat venenum. Fallimur, an hoc ipſum poſt accuratiorem perveſtigationem his ipſis paſſim in Fabulis reperimus? Certe, ut alia taceamus, loco concluſionis moralis, graviter lædi fœminas arbitramur, ſi quando e. g. *Elegia III* ita finit:

Si quæcunque procax mergi deberet in undas
Fœmina, pæne omnis merſa periret aquis.

Eodem pertinet, præter ultimam, *Elegia quinta*, ita quidem elabo-

elaborata, ut omnem verisimilitudinis speciem, quamvis *rationalibus*, quæ dicuntur, annumerari debeat fabulis, cum de marito & uxore fingatur, deserat, atque adeo misericordiam potius, quam risum aut correctionem, excitare videatur. Tacemus alia, quæ genium forte fabularum lædere putantur. Ad poesin vero quod attinet, ea simul nonnunquam habet, si quidem elegiæ modum ac virtutes perpendamus, quod egeat emendatione, ac licentiam præ se ferat minus laudabilem; quamlibet antiquiorum ac recentiorum exemplis defendatur. Elisio est frequens, pentameter non ubique finit sensum, atque etiam vocabulo trium syllabarum passim clauditur, &, ad quantitatem pariter ac cæsuram, est, quod moneatur; licet hæc vitia versificum vulgo censeantur, non poetarum. Sed, ut ipse judicium ferre Lector possit, agedum, speciminis loco, totam, quæ forte in manus venit, *Elegiam X* subjungamus. Sistit illa *rusticum* ac *mulierem*, & sic habet:

Rusticus, ut reparet lapsas a frigore vires,
Et longa instauret languida membra via,
Cauponam ingreditur, peregrinæ in commoda gentis
Quam forte oblatam viderat ante viam,
Et, qua parte strepit, flamma crepitante, caminus,
Sedit, ut hybernum temperet igne gelu.
Hic lepores aderant, stratæque in monte palumbes,
Mobile perpetuo quas rotat orbe veru.
Illa suis pingui fervet craticula lumbo;
Fumat sylvestri Cacabus alter apro.
Plura alia hic aderant irritamenta palato,
Quæque lacessendæ sunt magis apta gulæ.
Interea, circumfusis qui præsidet ollis,
Sordidus immunda fronte minister erat;
Et summis digitis nunc hanc, nunc visitat illam;
Mox labra, & linguam, consulit, an sapiant.
Hinc impurum adipem cochleari surripit, albis
Dum spumis ollæ fervida labra tument;
Hinc retrahit nimios, alios huc admovet ignes;
Huc sal attritum conjicit, atque piper.

Sederat hic igitur mediam prope ruſticus horam;
Utque truci ſenſit membra ſoluta gelu,
Surgens caupona prorſus jejunus abibat,
Ut rurſum inceptum proſequeretur iter;
Promta ſed occurrit criſpato garrula naſo
Fœmina, & auſtero tetra ſupercilio;
Monſtrabat nudos media plus parte lacertos,
Et prope crure minor ſordida veſtis erat.
Pinguis erat, prægnansque utero, deformis, utroque
Luſca oculo, neutro nec bene firma pede.
Hæc ergo ante fores illum remoratur euntem,
Et ſiſtens ambas ad latera ampla manus:
Ergo abis hinc, effrons, nulla mercede ſoluta?
Quod debes, pretium ſolve, & abibis, ait:
Fœmina, deciperis, quid ſolvam, ruſticus inquit,
Cum mihi nec gelidæ ſit datus hauſtus aquæ?
Ut fueram ingreſſus jejuno ventre tabernam,
Exeo jejuno ſic quoque ventre foras:
Improbe, mentiris, vafra fœmina ſubdidit; ergo
Solvendus non eſt bactenus hauſtus odor?
Fumum etiam pretio dignum, quem forſitan hauſi,
Antea nunquam, inquit ruſticus, audieram;
Cum tamen hunc jubeas aliqua mercede rependi,
Ut petis, ecce lubens, fœmina, do pretium;
Accipe; ſuſpenſam læva trahit inde crumenam,
Quæ modico argenti pondere dives erat,
Cogensque introrſum nummos reſonare latentes,
Dextra illos agitans terque quaterque manu:
Ex epulis ſi gratus odor mihi contigit, inquit;
En tibi nummorum, fœmina, reddo ſonum.
Hac ergo exhauſtum mercede rependit odorem,
Luſitque ingenium ruſticus ingenio.
Quanquam ego non miror, noſtra hæc ſi tempora ſpecto,
Subdola quod fumum fœmina vendiderit.
Fare, age: nos inter quid non modo venditur, urbis
Sive theatra adeas, ſeu fora, ſive domos?

Muſicus

Muſicus hic vocem, nugas hic Hiſtrio, vendit,
Formoſæ intuitus venditur hic juvenis.

C. CORNELII TACITI DE SITU, MORIBUS, & populis Germaniæ libellus, in uſum illuſtris Ruthenei, cum Præfatione atque Indice editus ab J. G. H.

Lipſiæ, apud hæredes Lanckiſianos, 1743, 8.
Plag. 5½.

Animadvertenda inprimis hujus libelli Præfatio eſt, ubi tam generatim de Autore, ſcriptis illius, eorundem rebus, ſtilo, ac diverſis editionibus, quam ſingulatim de Germania, atque illius editionibus, agitur, ſimulque de patriarum antiquitatum utilitate, de nonnullis earundem ſcriptoribus, deque eo, quod ibi deſideratur, tractatio miſcetur. *Tacitus*, vir eruditiſſimus æque ac clariſſimus, *Plinio* juniore paulo ætate major fuit. Floruit autem ſub *Veſpaſiano*, ac deinceps. Ab hoc ipſo Imperatore Galliæ Belgicæ datus procurator eſt; unde reverſi honoribus acceſſiones *Titus* largiebatur. Prætura XIV Conſulatu *Domitiani* auctus eſt; &, ſub imperio demum *Nervæ*, ad Conſulatum pervenit A. U. C. 850, ſuffectus in locum *T. Verginii Ruſi*, qui delatum a Germanicis legionibus imperium ſpreverat, quemque pro roſtris etiam noſter laudavit. Uxorem duxit *Agricolæ*, tunc Conſulis, filiam, quacum ad extremam ætatem placide vixit. Inter poſteros habere dicitur *M. Claudium Tacitum* Imperatorem, qui certe imaginem noſtri omnibus in Bibliothecis collocandam, ac libros, ne quando interirent, decies ſingulis annis deſcribendos, inque ſcriniis publicis aſſervandos, curavit. A *Plinio* juniore *C. Cornelius* inter principes ætatis ſuæ Oratores refertur; cujus etiam Orationes quædam olim exſtiterint. Ad Hiſtorias vero condendas maturioribus demum annis acceſſit, non tamen omnino ſenex, ut *Lipſius* ait; dum principatum *Nervæ* & *Trajani*, utpote uberiorem ſecuriorem-que materiam, repoſuerat ſenectuti. *Hiſtoriarum Libros quinque* priores manibus terimus, quorum & poſtremus in fine mutilus

mutilus eſt. Agitur ibi de rebus, quæ a Conſulatu *Galbæ* ac *Titi Vinnii*, uſque ad pacem, initam inter Cerealem & Civilem Batavum, geſtæ fuerunt. *Annalium Libros XVI* a *Tiberii* dominatione ad mortem uſque *Neronis* conſignarat. Horum quinque priores inventi ſunt primo Corbejæ ad Viſurgim. Illinc redemtos ad *Leonem X* Pontificius quidam quæſtor detulit, atque ideo 500 aureos præmii loco accepit. *Philippus* autem *Beroaldus*, ad mandatum Pontificis, Romæ A. 1515 publicavit. Mentitum eſſe aliquando *Tacitum* in Hiſtoria, dicit *Vopiſcus*, & *Tertullianus* mendaciorum loquaciſſimum nominat. Sed *Vopiſcus* ipſe non utique fidem meretur, ac *Tertullianus* ea tantum reſpicit, quæ adverſus Chriſtianam religionem, quæque de Judæorum gente fabuloſa, protulit, impuris aliorum ex fontibus hauſta. Majore veritatis ſpecie alii obſervant eruditi, *Tacitum* verba non paucorum & facta eo torquere, quo iſti ne quidem cogitarint, ſed quo ſaltem callida ſcriptoris diſſidentia, atque alios de ingenio ſuo judicandi ratio, interpretata fuerit. Nihilo minus tamen habet quoque *Baudius*, cur, indulgentiam largitus, maximum prudentiæ magiſtrum & ſincerum humanarum actionum arbitrum appellet. Præcipue autem ſententiis moralibus pollet, & opera illius, non ſine ratione, perpetua inculcatio ſapientiæ ac virtutis a *Gordono* vocantur. Ita etiam ſtilus, dum ſingulis nonnunquam verbis ſingulæ ſententiæ ſubſunt, tanto erit majoris æſtimandus, quanto magis indicat, in animo ſe, non in ore, natum fuiſſe. Orta potiſſimum *Tacito* fuit dexteritas iſthæc ex imitatione *Thucydidis* feliciſſima. Hinc & τὸ σεμνὸν oritur, quod in noſtro vidit *Plinius*; neque aliunde doctiſſimorum hominum teſtimonia, ac vel principum perſonarum amor. Vani ergo ſunt, qui, non eſſe bonum Latinitatis ſcriptorem, pronuntiarunt; quanquam homo fuit, a quo nec hic omne humanum remotum. Poſt vituperatores, editores, & commentatores *Taciti*, quos ſicco, quod ajunt, pede præterimus, interpretes occurrunt, quos inter vel Gallicos nominamus. Eminet ibi, præter *Nic. Perottum*, *Ablancurtium*, & *Amelotum Huſſæum*, *Guerinus*, Profeſſor eloquentiæ Pariſienſis, qui anno ſuperiori *tribus Voluminibus* minoris formæ

formæ Annales & Hiſtorias *Taciti*, una cum *Agricolæ* Vita, lingua iſthac publicavit, librum autem de moribus Germanorum, quem ſatis alias notum judicavit, omiſit. *Amelotti Huſſæi* verſio commendatur etiam Diſſertatione critica de variis *Taciti* interpretationibus. Æqualis argumenti tractationem inter decem illas, quas verſioni Anglicanæ præmiſit, primam eſſe voluit *Thomas Gordonus*. Publicata iſthæc editio Londini eſt A. 1728 fol. Commentationes autem præfixæ in linguam quoque Gallicam verſæ ſunt, atque Amſtelædami ſuperiori anno *Voluminibus duobus* formæ 12 editæ, cum hac inſcriptione: *Diſcours hiſtoriques, critiques, & politiques, ſur Tacite, traduits de l' Anglois de Mr.* Thom. Gordon, *par Mr.* D. S. L. Quodſi vero, qui ex omnibus *Taciti* libris præcipue Germanos delectare poſſit, libellus appellandus ſit, quem publici jam juris facit, quemque poſt C. N. anno 98 Conſulatu ſecundo *Trajani* is lucubravit, Cl. Autor nominat. Quo quid nos propius tangit, eo ſtudioſius pernoſcendum; quo quid rarius, eo eſſe carius ſolet: præſertim cum hoc etiam accuratius verſari potuerit Autor, quo propinquior vixit, Belgarum Præſes. Gratiſſimum omnino atque utiliſſimum exiſtimari debet, majorum noſtrorum ritus paulo penitius cognoſcere. Scrutamur cum cura Romanorum, Græcorum, Ebræorum, antiquitates; num in patria ſola manebimus hoſpites? Supinam certe indicat negligentiam, ſuorum ſi quis parum curioſus perveſtigat aliena. Præterea multi hodieque mores, multæ leges noſtræ ac cerimoniæ, majorum nituntur inſtitutis, nec ſine his ipſis ſatis intelliguntur. Perſpexerunt hæc non pauci ſapientiſſimi & eruditiſſimi viri, atque indidem nihil prius habuerunt, nihil antiquius, quam illi ipſi pio quaſi patriæ deſiderio, civiumque illius utilitati tam jucundæ, feciſſe ſatis. Pertinent huc *Franciſcus Grenicus, Beatus Rhenanus, Abr. Ortelius, Herm. Conringius, Jo. Phil. Vorburgius, Phil. Cluverius, Jo. Nic. Hertius, Jo. Mich. Dilherrus, Jac. Car. Spenerus*, quorum opera laudantur: quibus accenſeri *Pauli Hachenbergii, Melch. Goldaſti, Jo. Strauchii, Erpoldi & Frid. Lindenbrogiorum, Eliæ Schedii, Guil. Ern. Tentzelii, Jo. Schilteri, Chr. Franc. Paulini, Gothofr. Guil. Leibnitii, Jo. Henr. Hagelganſii, Jo. Mich. Heineccii, Chr. Juncheri,*

Jo. Georg. Eccarti, *Jo. Herm. Schminckii*, atque aliorum, labores non immerito debent. Omnium autem iſtorum conatus ad uſum magis eruditorum, quam ſtudioſæ juventutis, accommodantur, ſi unum forte *Paulum Chriſtianum Hœpfnerum* excipiamus, in quo tamen & ipſo, non ſine ratione, Cl. *Hauptmannus* varia deſiderat. Donec igitur vel ipſe, vel alius, commodo juventutis ac voto magis ſatisfaceret; nihil convenientius eſſe duxit, quam *Taciti* hunoce libellum in recitationibus ſuis antiquariis exponere, ac variis obſervationibus locupletare. Hoc idem explicans propoſitum, varias ſimul hujus libelli editiones, nonnullosque in illum Commentarios, enarrat. Ad quos dum pervenimus, non abs re fore arbitramur, rariſſimum quendam librum, cùjus recenſionem in Novis, quæ Hamburgo ad nos perferuntur, literariis, & quidem hoc ipſo Anno *pag. 475 ſeq.* offendimus, ſimul annotare. Sunt autem: *Gabrielis Ackeleye* XXV Exercitationes, ſive politico-philologici Diſcurſus, in librum *C. Cornelii Taciti* de moribus Germanorum veterum, ad Sereniſſimum Potentiſſimumque *Chriſtianum IV*, Dan. & Norweg. Regem. Soræ, 1646, 8. Ibi e. g. *Exerc. I* propoſitum expenditur: Germania omnis a Gallis, Rhætisque, & Pannonis, Rheno & Danubio fluminibus, a Sarmatis, Dacisque, mutuo metu aut montibus, ſeparatur. *Prop. II*: Carmina Germanis unum memoriæ & annalium genus; & *Prop. III*: Germaniæ populus nullis aliarum nationum connubiis infectus, &c. Has ipſas Exercitationes egregio plane teſtimonio munivit Hiſtoricus tunc Regius, *Stephanus Joannes Stephanius*.

Leben des Freyherrn Gottfried Wilhelm von Leibnitz, ꝛc.

hoc eſt,

VITA L. B. GOTHOFREDI GUILIELMI DE LEIBNITZ, edita a LAMPRECHTO.

Berolini, apud Ambroſ. Haude, 1740, 4.

Plag. 17.

Non ſine cauſa vitæ *Leibnitianæ* curriculo locus præfigitur *Ciceronis: Quid eſt enim optabilius ſapientia? Quid præſtantius?*

ſtantius? Quid homini melius? Quid homine dignius? Probavit hoc dictum, atque exemplo ſuo commendavit, celeberrimus ille Baro, digniſſimus omnino, cujus memorabilia quævis ac merita omnem ad poſteritatem propagentur. Et ſane eximium eadem hic recens ſplendorem accipiunt, dum ipſius potentiſſimi æque ac ſapientiſſimi Pruſſorum Regis auſpiciis iſte liber evulgatur. Occaſionem editioni præbuit manu conſignata Commentatio, cujus autor *Jo. Georg. de Eckart* eſſe perhibetur, quæque, cum antea in manu eminentiſſimæ Ducis Aurelianenſis fuiſſet, ad Pruſſorum Regem ex Gallia miſſa eſt. Eo majorem fidem meretur iſta memorabilium *Leibnitianorum* conſignatio, quod diu & admodum familiariter *Leibnitio* uſus fuit *Eckartus*. Dum autem alium iſta in ordinem, Domini ſui juſſu, redegit *Lamprechtus*, duæ potiſſimum uſibus ipſius inſervierunt ejusdem vitæ deſcriptiones. Altera, lingua Gallica concepta, Theodiceæ *Leibnitii*, eadem lingua Amſtelædami publicatæ, præfixa eſt; alteram vero dedit Cel. noſter *Ludovici*, cujus compendium legitur in Delectationibus liter. mor. & polit. (*Amuſemens literaires, moraux, & politiques,*) A. 1739 Berolini editis. Natus eſt *Leibnitius* A. 1646, d. 23 Junii, apud Lipſienſes. Patrem habuit *Fridericum Leibnitium*, doctrinæ moralis Profeſſorem, & Academiæ Actuarium; quem autem prima in pueritia amiſit, a matre deinceps *Catharina*, nata *Schmuckia*, ſolicite educatus. In Matheſi audivit *Jo. Kühnium*, in Philoſophia *Jac. Thomaſium* & *Frid. Rappoltum*. Ex Academia patria Jenam profectus, hic profecit a doctoribus *Erh. Weigelio*, *Jo. Andr. Boſio*, *Jo. Chriſtoph. Falcknero*, & *Jo. Strauchio*. In patriam redux, anno ætatis duodevicesimo Philoſophiæ Magiſter creatus eſt, ac *de Principio individui* diſputavit; nec minus *Specimen quæſtionum philoſophicarum, ex Jure collectarum*, Præſes defendit. Diſcebat autem tunc Jura a *Bartholomæo Leonh. Schwendendærffero* & *Quirino Schachero*. Priore Præſide A. 1665 in cathedra juridica diſputavit *de Conditionibus*, & primam hac ratione Juris lauream adeptus eſt. Nec vero elegantiores literas contemſit; ſed ſtili elegantioris ſtudioſior ſcriptores Lipſianizantes peculiari ſcripto carpere laboravit. Anno ſequenti pro loco



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

AD NOVA ACTA ERUDITORUM
QUAE LIPSIAE PUBLICANTUR SUPPLEMENTE

BAND 5
LEIPZIG 1745

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ERLANGEN-NÜRNBERG ZUGRUNDE

SIGNATUR: LTG. IX,88.

in Ordine Philoſophorum obtinendo diſſeruit *de Complexionibus*, ac *de arte combinatoria* tractationem evulgavit, cui demonſtratio exiſtentiæ Dei, ad mathematicam certitudinem exacta, ſubjungebatur. Eodem fere tempore Doctoratum Juris petiit; cum vero, neſcimus, qua de cauſa, repulſam tuliſſet, titulum iſtum apud Altorfenſes accepit, ibique *de Caſibus perplexis in jure* diſputans, adeo præclare ſtetit, ut munus ipſi, Jus extra ordinem publice docendi, offerretur. In itinere tunc ſine librorum apparatu conſignavit *novam methodum diſcendæ docendæque Jurisprudentiæ*, cum ſubjuncto catalogo deſideratorum in Jurisprudentia, quæ vero demum biennio poſt edita fuit. Altorfio Norimbergam profectus *Leibnitius*, ſocietatem hominum reperit de lapide philoſophorum curioſam, cui quidem ſe adjungens, Secretarii in eodem munus obtinuit. Interea *Boineburgius*, aulæ Moguntinæ miniſter, Norimbergam, ibidemque in cognitionem *Leibnitii*, venit, cui cognito tantum ſtatim patrocinium indulſit, ut locum ipſi in Principis Electoris aula promitteret, utque propior huic eſſet, Francofurti ipſum vivere juberet. Obſequens Noſter, A. 1667 Francofurto Moguntiam evocabatur a *Jo. Philippo de Schœnborn*, ſupremo tunc ibidem Antiſtite. Sequenti anno, poſtquam *Jo. Caſimirus*, Rex Polonorum, imperio ſe abdicarat, pro *Philippo Guilielmo*, Comite Palatino Neoburgico, regni candidato, edidit *Specimen demonſtrationum politicarum pro eligendo Rege Polonorum*, novo ſcribendi genere ad claram certitudinem exactum, ſub nomine *Georg. Ulicovii*, Lithuani. Ita vero cum apud illum pariter gratioſus factus eſſet, non minus deinceps, commendante *Boineburgio*, clementiam obtinuit *Jo. Friderici* Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis. Sed nec Germaniæ tantum terminis gloria *Leibnitii* continebatur; quin potius ad exteras pariter gentes erupit. Ipſe A. 1672 patroni filio præfectus, in Galliam venit, ubi in familiaritatem *Hugenii*, *Colberti*, aliorumque, quos Lutetia tum atque omnis Gallia venerabatur, principum eruditorum pervenit, præſertim cum in Geometria ſublimiore ſe exerceret, atque etiam *Paſcalii* machinam, rationibus inſervientem, emendaret, inque aliam fere formam redigeret. Sequenti

quenti anno in Angliam venit, ac Londini *Iſaacum* præcipue *Neutonum* inviſit, ibidemque florenti Collegio literario aſſociatus eſt. Poſt patroni æque ac Domini ſui mortem Lutetiam redux, ad Ducem Brunſuicenſem literis datis, ab eodem Conſiliarii titulum annuosque reditus 600 philippeorum obtinuit. Sed & Galli *Leibnitio* ita delectabantur, ut ſumma quæque ei pollicerentur, ſi, ſacris mutatis, ſecum permanere vellet; ſed non ille, ſacra avita relinquere, e re ſua duxit. Hinc per Angliam & Belgium in Germaniam revertebatur, quo A. 1676 rediit. Hanoveræ deinceps, præter Conſiliarii aulici dignitatem, hoc obtinuit, ut Bibliothecæ publicæ præficeretur. Inde, cum in congregatione Nimwegenſi contentio oriretur, num & Imperii Principibus, Regibus nempe, Principibus Electoribus, atque Italicis, Legatos mittere liceret, jus illud defendens *Leibnitius*, ſub nomine *Cæſarini Fürſtenerii* ſcripſit *de jure ſuprematus ac legationis Principum Germaniæ* librum nunc rariſſimum, cujus ſimul compendium evulgavit lingua Gallica. Domino ſuo mortuo, cum a fratre illius ac ſucceſſore, *Erneſto Auguſto*, moneretur, ut Hiſtoriam domus Hanoveranæ conſcriberet, aulæ impenſis *Leibnitius*, ut opus illud eo felicius ac plenius exequeretur, omnem fere Germaniam, atque etiam Italiæ partem, peragravit. Eodem tempore, cum *Acta* noſtra inciperent ab *Ottone Menckenio* publicari, inſtitutum illud plurimis ſpeciminibus juvit ſæpe ac ſuffulſit. Nec Hiſtoriæ Brunſuicenſi, Hanoveram redux, defuit, quin potius & conſpectum Duci, non ſine illius approbatione, tradidit, & *Protogæa*, ſeu tractationem de conditione naturali illarum regionum, compoſuit. Ex eodem inſtituto A. 1693 *Codex Juris gentium diplomaticus* natus eſt. Poſt plurimos alios labores eruditos *Theodiceam* maxime conſignavit, qui liber ceteris omnibus ejus ſcriptis palmam præripit. Inde in cognitionem & exiſtimationem venit *Petri I*, Ruſſorum tunc magni Ducis, *Friderici*, primi Boruſſorum Regis, *Caroli VI*, Romanorum Imperatoris, & *Georgii I*, M. Britanniæ Regis, de quibus ipſe ſingulis bene merebatur, quique etiam certatim honoribus eum & præmiis proſequebantur. A primo largiter donatus, intimus Juſtitiæ Conſiliarius cum

annuo 1000 thalerorum Albertinorum ſtipendio nominabatur; ab altero autor & primus Director Societatis Scientiarum Berolinenſis conſtituebatur; ab Imperatore ad dignitatem Conſiliarii aulici Imperii & liberi Baronis evehebatur; neque poſtremus a veſtigiis majorum ſuorum ac neceſſariorum receſſit. Ita vero meritis pariter ac honoribus, ut & ætate, gravis mortuus eſt *Leibnitius* A. 1716, ætatis autem 71.

PAULI SCHAFFHUSII, A. M. ET SOCIETATIS LATINÆ Jenenſis Sodalis, Commentatio hiſtorico-literaria, conſilium de conſcribenda proxime Methodiſtarum, rempublicam Anglorum ſacram mire turbantium, hiſtoria, exponens, ſimulque ſpeciminis loco Vitam Georgii Whitefieldii, ducis Methodiſtarum primarii, ſiſtens.

Hamburgi, apud Conradum Kœnigium, 1743, 4.

Plag. 5.

Arduum opus molitur Cl. Autor, de Methodiſtis ſcripturus. Operæ pretium duxit, hanc Commentationi graviori promulſidem præmittere, id ſpectans obnixeque rogans, ut opem Anglorum, eruditionis laude illuſtrium, acquirat obtineatque. Originem Methodiſtarum ex motibus pietiſticis arceſſit, quibus & *Zinzendorffianas* turbas, mare nunc transgreſſas, deberi monet. Methodiſtis ex eo nomen obtigit, quod ipſi ſingularem pietatis ſpeciem ſimulant, ſeveramque vivendi rationem ſequi & ſervare ſolent. Nonnihil de eis legitur in *Actis hiſtorico-eccleſiaſticis Vol. IV pag. 287 & 727.* Graviora reſtant inveſtiganda ſectæ momenta. Quo fine Noſter omnes & ſingulos, qui literarum ſtudiis delectantur, inprimis eos, qui Angliam
Pag. 2. incolunt, viros & eruditione & fama præſtantiſſimos obſervanter decenterque rogat, ut, ſi circa opus, cujus figura & ſpecies hic delineatur, monendum ipſis aliquid videatur, nec conſiliis ipſi deeſſe velint, nec auxiliis ſuis graviſſimis hocce ipſius orbi literato inſerviendi ſtudium & adjuvare & inflammare graventur. Diſpeſcere opus ſuum in *Partes duas* conſtituit, ita quidem, ut in *priori* originem, fata, atque doctrinas, familiæ Methodiſtarum ſit enarraturus; *poſteriori* autem ſcripta, quæ

quæ ab utraque parte in lucem edita ſunt, nec non præcipua doctrinæ capita, in ſingulis ſcriptis pertractata, commemoratum eat ac dijudicatum. Hinc recenſet libros & ſcripta Anglorum, quibus ad illud perficiendum jam eſt inſtructus. *Partis prioris Capite primo* originem Methodiſtarum recenſebit. *Secundo* eos e Methodiſtarum familia indicabit, qui ante *Whitefieldum* celebritatem nominis conſecuti ſunt, nominatim *Wilhelmum Law*, Pag. 3. *Joannem Tennent*, *Ralph. Erskine*, *Joannem* & *Carolum Wesleios*, ubi ſimul de ſcriptis *Lawii*, & itineribus, a *Joanne Wesleio* tum in Americam, tum in Germaniam, factis, diaria ejus ſecutus, exponet. *Capite tertio* tractare ſtatuit de *Georgio Whitefieldio*, ejusque moliminibus, nec non de ejus cum *Wesleio* contentione ac diſſenſione. *Capite quarto* diſcipulos atque aſſeclas *Whitefieldi*, 4. qui nominis famam ſibi compararunt, exponet. *Capite quinto*, quænam hodie Methodiſtarum ſit conditio, qui mores, quis rerum ab ipſis geſtarum ſtatus, ſignificabit. *Pars ſecunda* recenſebit ſcripta eorum, qui Methodiſtas oppugnarunt, & qui eis ſunt patrocinati. Dicet præcipue de *Joſephi Trappii* laboribus, quos hic infringendis Methodiſtarum molitionibus impendit. Quibus 5. præmiſſis, Doctiſſ. Autor ſeſe ad vitam *Whitefieldi* exhibendam accinxit. Vir hic ingenii turbulenti Gloceſtriæ A. 1714, 11. menſe Decembri, natus fuit, uſus parentibus cauponariam exercentibus. Annum cum attigiſſet duodecimum, Gloceſtriæ in diſciplinam ſcholæ Marianæ traditus, approbavit magiſtris firmam memoriam ſuam vocemque ſuaviorem. Arripuit vero ſtudia juvenilia tam avide, tamque celeriter, ut, natus annos 18, qui ſcholam cum Academia commutaret, dignus judicaretur. Oxonium delegit, ubi maturiora circumſpiceret. Rector Collegii *Pembrockiani* vices famuli ſibi præſtandas ei demandavit. Abhorruit a ſocietate infrunitorum. Quotidie precibus, ſacris privatis, hymnisque piis decantan- 12. dis, vacavit, ſingulis Veneris diebus jejunavit, ac in Æde curiali euchariſticum epulum adhibuit ſuis, uti putabat, animæ recreationibus, jam Methodiſtis favens, ac a *Carolo Wesleio* plura edoctus. Ex *vita Dei in anima hominis*, quod eſt libelli nomen, intelle-

intellexit, quam neceſſaria ſit generatio nova, eoque ipſo totum ſeſe ſacris literis legendis, ac meditationi adjungendæ, addixit, ceteris libris quaſi per tranſennam modo inſpectis. Inde alii, ipſum mente captum eſſe, exiſtimare cœperunt. *Wesleius* eum in ſocietatem Methodiſtarum cooptavit. Quo facto, ſingulis diebus dominicis epulo ſanctiſſimo fruitus, bis hebdomadibus ſingulis jejunavit, pauperes ac captivos
Pag. 13. inviſit, ſingulisque diebus horam quandam operibus charitatis perficiendis cœpit inſumere. A diabolo in modum *Jobi* vexatus, ſtuduit hominem externum ſubigere per abnegationis propriæ exercitia. Tantopere hanc in ſeſe duritiem provexit, ut inde in morbum ſeptem
14. hebdomadum fuerit implicatus. Gloceſtriam revocatus a tutoribus, inviſit ægrotos, & homines, quæ ipſius eſt dictio, e ſomno ſpirituali exciravit haud paucos. Prædicat, ſeſe tunc temporis adeo fuiſſe illuminatum, ut libertatem gratiæ, & juſtificationis per ſolam fidem neceſſitatem, agnoverit. Vix unum & viginti annos natus, ex conſiliis amicorum, & pariter urgente Epiſcopo Gloceſtrienſi, ſacro
16. Eccleſiaſtæ muneri initiatus fuit, ac Diaconus renuntiatus. Poſthæc Londinum abiit, obtulitque Epiſcopo Londinenſi operam, cœtibus eis, qui in Anglicanis Americæ regionibus colliguntur Chriſto, addicendam. Qua venia impetrata, in variis Londini templis ſermones ſacros ejus generis, qui *charitatis* vocantur, ad populum, magno numero confluentem, habuit, ampliſſimamque ſtipis voluntariæ meſſem ſenſit. Iniit iter Americanum A. 1737, 28 Dec. Ex America
18. delatus fuit Limericum ac Dublinum, rediitque A. 1738, 8 Dec. Londinum. Anno ſequenti, 14 Januarii, ſacerdos fuit Oxonii inauguratus. Ex eo tempore cœpit in templis, cœmeteriis, agris, plateis, atque foris, concionari. Haud procul Savanna exſtrui curat in America or-
20. phanotropheum. Ad quam ſeſe recepit 4 Aug. ſocium nactus e Methodiſtarum familia *Guilielmum Sewardum*, hominem æque fanaticum. Denuo rediit in Angliam, uxorem ducturus. A. 1742 famoſum illum ſectæ Herrenhutanæ aſſeclam, *Auguſtum Gottlob Span-*
23. *genbergium*, in ſocietatem recepit. Accidit paulo poſt, ut ipſi cum *Wesleio* diſſenſio intercederet, gratiam univerſalem propugnante, quam haud admittit *Whiteſieldus*. Ejusdem anni æſtate & autumno Scotiam hic quoque pervagatus fuit. Editi ſunt Sermones ejus ſacri XIX A. 1739 Londini, ne quid de ejus commentariis itineratiis commemoremus. Adjungit Noſter literas famoſi Angli nonnullas. Noſtrum fuit, cum Lectore ſummam argumentorum communicare. De cetero autem optamus, ut propediem Cl. Vir nobis penitiorem de Methodiſtis expoſitionem impertire dignetur. Facile enim perſpicimus, tractationem eam huic promulſidi, terſe & eleganter apparatæ, nec argumenti dignitate, nec diligentia, nec dictionis venuſtate, eſſe ceſſuram

* * *

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi V Sectio IX.

HISTOIRE ET DESCRIPTION GENERALE du Japon, &c.
hoc eſt,
HISTORIA ET DESCRIPTIO GENERALIS JAponiæ, in qua reperiri poteſt, quicquid noſſe datum fuit de natura & proventibus regionis, de indole & moribus incolarum, gubernatione & commercio, mutationibus imperii ac religionis. Accedit examen omnium Autorum, qui ſcripſerunt de eodem argumento, cum faſtis chronologicis orbis novi detecti, ac Figuris plurimis æri inciſis. Opera Rev. Patris DE CHARLEVOIX, Societatis Jeſu.

Tomi IX.

Pariſiis, apud Julianum Michaelem Ganduinum, Jo. Bapt. Lamesle, Petr. Fr. Giffart, Rollinum, filium, & Nyonum, filium, 1736, 12.

Tom. I Alph. 1, Tom. II Alph. 1 plag. 2, Tom. III Alph. 1 plag. 1, Tom. IV Alph. 1, Tom. V Alph. 1 plag. 1, Tom. VI plag. 18, Tom. VII plag. 21, Tom. VIII plag. 17, Tom. IX plag 21.

Eminentiſſimo Curiæ Romanæ Purpurato, *Fleurio*, primario Regis Galliarum olim adminiſtro, hoc Opus, divina & adamantina diligentia concinnatum, Rev. Au-

tor ſacrum eſſe juſſit. Huic plenum nomen eſt *Petri Franciſci Xavierii de Charlevoix*. Ipſe in admonitione præmiſſa exponit de vitiis Hiſtoricorum, ignorantia & opinione anticipata, quam libertatis inopia adjuvare ſolet & confirmare. Diſſerit ſimul de morborum illorum remediis, ac de Hiſtoricorum varietate circa idem argumentum ac idem factum. Tempus & examen eruunt veritatem, & claritas lucis caliginem ſenſim diſpellit. Fieri enim vix poteſt, ut Hiſtoricus affectum ſuum & cupiditatem dominantem ubique occultet, nec radios veritatis hinc inde emittat. Hac cautione uſus fuit Rev. Autor, ut ex nævis aliorum proficeret, ac nihil citra inveſtigationem maturiorem dimitteret intactum. Ea tamen eſt modeſtia, ut haud inficietur, fieri potuiſſe, ut & ipſe in complura inciderit errata. Pyrrhoniſmum ab hiſtorico ſtudio removet, & hoc pro animæ habet nutrimento, dummodo id recte digeratur, & menti cujusque accommodetur. Lectorem inter hæc de diuturnitate laboris, in hunc librum inſumti, ac diligentia examinis adhibiti, jubet eſſe certiorem. Reſpexit tum ad pietatem alendam, tum ad mentes notitiis utilioribus imbuendas. Idem finis eſt mundi divinitus creati, idem uſus. Ut res eccleſiaſticas ediſſereret, res in imperio geſtas haud neglexit. Ut Japoniam & Japonios præberet cognoſcendos, deſcriptionem phyſicam conjungere cum rebus eccleſiaſticis & politicis haud omiſit. *Kæmpferi* fidem in hiſtoria Japoniæ eccleſiaſtica elevat, ac Proteſtantium in hac cauſa ſcriptores averſatur. Ipſe tamen id, quod in Hiſtoria eccleſiaſtica videri poterat minutulum, ac a varietate perquam remotum, reſecuit a tractatione ſua, cauſatus, in pretio eſſe apud Italos *P. Bartoli* Opus de Japonia, in quo copioſe fuerit de progreſſu ac excidio religionis Chriſtianæ inde a morte S. *Franciſci Xavierii*, quæ incidit in annum 1552, ad annum uſque 1640 expoſitum; hoc opus a ſeſe circa annum 1711 in *tria Volumina* formæ, quam duodecimam appellant, redactum, ac additionibus, omiſſorumque ſupplementis, locupletatum eſſe. Si qua in hoc Opere apparent ſuperflua, ea floribus ſunt ſimilia, qui, licet haud decerpi ſoleant, paſcunt tamen adſpectum. Noſtrum eſt,

cum

cum Lectore communicare totius Operis ſciagraphiam, antequam narciſſos violasque aliquot ſuaveolentes ipſi exhibeamus, ex hoc vireto deſumtas. *Volumine primo* recenſentur varia Japoniæ nomina, ſitus, magnitudo, Inſulæ Riuku, Corée, Buneſima, Fatſiſio, Yeſſo; nec non temperies aeris, tellus, flumina, terræ motus, aquæ calidæ, ſeu thermæ, montes ignivomi, ſulphur, metalla, mineralia, quorum inibi eſt penuria, lapides pretioſi ac uniones, naphta, rariora maris circumvicini; deinde numerus & forma urbium, caſtellorum, ac pagorum, horti, minerale Kiomitz; tum viæ, limites, equitandi modus, navigia, veredaria, hoſpitia, meretricum collegia; porro origines Japonenſium pro ſua opinione & probabiles ex Tartaria, notio incolarum de honore, eorum forma imperandi, indoles, veſtitus, nominum mutatio; hinc ſcientiæ Japonenſium, eorum epochæ, aſtronomia, arithmetica, inſtitutio, artes egregiæ, libri, jurisprudentia, Academiæ, exercitia armata, hiſtoria, medicina, variolæ ac earum remedia, duo medicamenta univerſalia, artes mechanicæ, terræ, ac commerciorum cultura. Inde ediſſeruntur ea, quæ ad formam imperii civilis ſpeciatim ſpectant. Excipit hæc ſpecimen commemorationis de Dairo, ſeu Imperatore hæreditario, ejus tituſis, veſtitu, deliciis, miniſtris aulicis, ſede conſueta, ac ſacramento, quo *Cubo-ſama* ſe ei obſtringit. Tum vero propius Autor contemplatur illum *Cubo-ſama*, ac procerum indolem. Porro agit de Japoniorum religione antiqua, quam *Sinto* vocant, de conformitate ſectarum Japoniæ cum Chriſtianæ profeſſionis ſectis, de dynaſtiis, de Diis *Sin* & *Cami*, eorumque cultu, templis, & miniſtris. Subjungit ea, quæ attinent ad cultum *Sini* externum, feſtos dies, peregrinationes ſacras, mendicantes. Procedit inter hæc ad exponendam religionem Indicam, ad Deum *Denix*, *Amida*, *Canon*, & *Gizon*, nec non *Xaca*. Inquirit etiam in tempus, quo doctrina hæc in Japoniam fuerit introducta, indicat ejus religionis Martyras, ediſſerit peregrinationes Budſoiſtarum, linguamque ſacram, & dies *Budſo* Dei feſtos, exponit. Idem memorat exequias, luctum, feſtum animarum, & ritus conjugales. Exequitur

Tom. I. Pag. 24. 58. 78. 109. 189. 222. 241. 288. 325. 353. 379.

quitur momenta Bonziorum Budſoicorum, Tundes, ſeu ſuperiores Bonziorum, Bonziorum veſtitum, ſectas, mores, occupationes, modum concionandi, templa. Exponit de Siuto, ſeu ſecta Moraliſtarum, eorum doctrina, modo ſeſe gerendi erga defunctos, de ſectæ hujus imminutione, ac reſtituendi eam artibus. *Volumine ſecundo* exhibet Imperatorum Japoniæ ſeriem, inde a fundati imperii origine uſque ad Seculi XVII finem pertextam, nec non Imperatores Cubo-Samas. Poſthæc oſtendit, qua ratione Japoniam diverſi Europæi detexerint. *Franciſci Xaverii* ex India orientali in Japoniam iter percenſet. Acta *Pauli de S. Fide* adjungit, & linguæ Japonicæ naturam. Multus longusque eſt in exequendis *Xaverii* rebus, in Japonia concionando geſtis. Attingit impedimenta, quæ a Bonziis oppoſita fuerunt doctrinæ Jeſu, ac reditum ejus in Indiam ſubjungit. Reſidui inter Japonios præcones doctrinæ Romanæ nulli labori pepercerunt, ut regulos Bonziosque ad eam invitarent. Hiſce annectit Rev. Autor progreſſum religioſæ immutationis, nec turbas, inde enatas, omittit. Deſcribit lacum Oiz, ſeu Omi, ac montem Jeſan, ipſamque urbem Sacay, principatum Omurenſem, *Omuræ* Principis indolem, *Almeydæ* Monachi colloquia cum eo habita, initia urbis Vocoxiura, pro Luſitanis & Chriſtianis exſtructæ, baptiſmum Principis *Omuræ*, conſtantiam neophytorum in terra Ximabara, pericula, quibus *Omura* fuit implicatus, victoriam ejus de ſeditioſis reportatam, ac incrementa religionis Chriſtianæ inter varia bella inteſtina. Expendit convivium Japonenſe, deſcribit urbem Nara, ac tria ejus templa illuſtria, emendationem Regis *Tamba* exhibet, Jeſuitarum ad Cubo-Samam & Imperatricem acceſſum illuſtrat, Meaci viciniam magnifice celebrem, ac duo templa, Bonziique orationem, perſequitur, & conjuratorum in Cubo-Samam impreſſiones, quibus iſte ſuccubuit, recenſet. Deſcribit *Firandi* improbitatem in Luſitanos. Exponit etiam de regno Gotto, ejusque religione, & *Gotti* bello cum *Firando*. Progreſſum doctrinæ Romanæ in terris Ximo ſignificat, actionem *Omuræ* fortem collaudat, & Martyras Firandicæ regionis recenſet. Fratrem Cubo-Samæ *Volumine III* illuſtrat, a *Nobunanga*

Pag. 395. 410. Tom. II. Pag. 122. 147. 184. 280. 355. 399. 410. 501. 513. 560. 582. Tom. III.

nanga in ſolio confirmatum. A *Dairyo* religionem Chriſtianam fuiſſe proſcriptam, oſtendit. Deſcribit regnum Mino, & urbem Anzuquiama. *Niquixoxuni Bonzii* fata, & ex aula ejectionem, repræſentat. Dominum Xequii apoſtatam & inſectatorem haud omittit. Viciſſitudines rerum, in inſula Amacuſa geſtarum, exponit. *Vatadoni* fortitudinem mortemque Pag. 49.
tragicam ediſſerit. *Nobunangæ* notat indolem minus circumſpectam. Ipſum tamen imperio potitum fuiſſe, addit. 115.
Regis Bungiorum filium ad doctrinam Jeſu acceſſiſſe, nec non affinem Regem Toſæ, narrat. Principis Bungiorum *Sebaſtiani* fervorem, doctrinæ Romanæ exhibitum, extollit. Converſiones Principum ad Romanam eccleſiam cum perpetuis bellis inteſtinis fuiſſe conjunctas, exemplis perpetuis docet. Regem 240.
Arimæ reſipuiſſe, indicat. Luſitanos infirmis Regibus opem tuliſſe, ac doctrinæ Romanæ incrementa armis fuiſſe defenſa, demonſtrat. *Nobunangam* fœderatis hoſtibus fuiſſe ſuperiorem, ac unam Bonziorum ſectam expuliſſe, memorat. Exitum 253.
P. *Acoſtæ* deplorandum ediſſerit. Legatos Regum Bungii, *Arimæ* & *Omuræ*, Romam miſſos deſcribit, recenſetque modum, quo *Gregorius XIII* eos ſuſcepit. Memorat eorum reditio- 315.
nem. Narrat, qua ratione *Nabunanga* cum filio majori in palatio ſuo ſit combuſtus. *Faxibam* imperium arripuiſſe, addit, 400.
eumque Chriſtianæ religioni haud adverſum fuiſſe, docet. Deſcribit urbem Ozaca & flumen Jodogowa. Imperator recupe- 457.
ravit terram Ximo, & Jeſuitas revocavit Facatam. Luſitanis inclementior merito redditus, ipſos etiam Jeſuitas & Chriſtianos odiſſe cœpit, tandemque religionem proſcripſit. Haud diſſi- 521.
mulat Rev. Autor cauſam hujus mali geminam, unam in Luſitanorum actionibus offendiculi plenis quærendam, alteram in eo ſitam, quod Chriſtiani Arimæ male Bonzium quendam tractarant. Paulo poſt Jeſuitæ juſſi ſunt regno cum religioſis univerſis exire. Nihilo minus ipſi reſtiterunt ibi, ac Romanam 534.
fidem hoc pacto conſervarunt indidem. Subjunxit hiſce Autor 611.
Orationem, a P. *Caſparo Gonzalez*, e Societate Jeſu, in Conſiſtorio Romæ nomine Regum & legatorum Japonicorum recitatam. *Volumine quarto* triſtiora exponuntur fata. Rex Bungii *Joſci-* Tom. IV.

mon a doctrina Romana receſſit, & Imperator templa Chriſtianorum in villis imperialibus evertit. Imperator reædificavit Meaci templum famoſum *Daibods*, finxitque, ſe priſtinum ſplendorem rurſus induturum eſſe Dairyo, ſeu Pontifici Japoniorum, cujus conditionem & palatium Autor perpendendum offert.
Pag. 41. Imperator idem ſtatuit apud animum occupare imperium Tzinenſe. Legationi P. *Valegnani* audientiam præbet, ac literas, a Prorege Luſitanorum Indico redditas ſibi, recipit eventu Jeſuitis pergrato. Ipſe P. *Rodriquezium* conſtituit interpretem
130. ſuum. Examinandam curat *Valegnani* legationem, quam exiſtimabat eſſe fictam, & literas cum donis ad Proregem remittit. Imperatori majora hinc videbantur ſuſcipienda. Accinxit ſeſe apparando bello Tzinenſibus faciendo, nepotem imperii in ſo-
146. cietatem adſcivit, & titulum *Taycoſamæ* aſſumſit. Hiſce commemoratis, junxit Autor deſcriptionem Coreæ, ac exſcenſionem Imperatoris in Corea factam. Bellum & pacem, ex illo extortam, deſcripſit. Ex eo tempore res Chriſtianorum in Japonia in pejus ruiſſe, copioſe docet. In Corea tamen doctrina Romana radices egit. Pullularunt ea ætate diſſidia Jeſuitas inter
307. & Franciſcanos in Japonia. Legationem Tzinici Imperatoris Imperator ſuſcepit, ac, indignatione recrudeſcente, in Coream
332. movit naves, bellumque renovavit. Jeſuitæ Hiſpanos pro horum indigentia ac ſua ope ſublevarunt. Ex eo factum, ut exi-
344. ſtimati ſint Japonicos theſauros ſibi paraſſe. Delati ſunt ipſi apud *Clementem VIII*, Imperator tunc miſſos doctrinæ Romanæ doctores odit, ac nonnullos ipſorum interemit. Differit ſub-
Tom. V. inde Autor de miraculis, per ſuos in Japonia patratis. *Volumen quintum* ab obitu Taicoſamæ orditur. Bellum perſequitur civile, mortuo illo conflatum. Tutor regni nomen ſumſit *Cubo-Sama*, ac ſenſim Chriſtianis redditus fuit parum benignus, Monachosque Hiſpanos regno juſſit excedere. Perſe-
Pag. 189. cutiones inde exarſerunt paſſim, eæque dolendæ. Commerciorum Hollandicorum initia Japonica in id tempus incidunt. Luſitani a regulo uno ac altero apud Imperatorem fuerunt accu-
200. ſati. Rex Arimæ juſſus fuit ab Imperatore in eos inſurgere.
229. Quid fuerit actum inter theſaurarium Cubo-Samæ generalem & Hol-

& Hollandos, diligenter expoſuit Autor, ratus, ea ætate in Japonia inventas fuiſſe cruces miraculorum effectrices. Angli circa id tempus in Japoniam commercii cauſa navibus acceſſerunt. Hoſce contendit Pl. Rev. Autor exaſperaſſe Imperatorem in Hiſpanos ac ſocios miſſionis ſacræ. Ad *Volumen ſextum* progredi libet, quo ſtudium Regis *Mazameney* erga Chriſtianos deſcribitur. Jeſuita *de Angelis* in Japonia ſeptentrionali multam impendit operam rebus eccleſiæ Romanæ firmandis. *Mazomeney* miſit legatum ad Papam, qui Madriti baptiſmum ſuſcepit quidem, ſed poſtea ad ingenium priſtinamque rediit religionem, ac ipſe *Mazomeney* religioni Chriſtianæ gravis eſſe cœpit. In Jeſſo regione doctrinam Evangelii A. 1620 nuntiavit idem Jeſuita, regione, quam A. 1613 jam P. *Camillus de Conſtantio* per Medicum quendam præparare & illuminare cœperat. Deſcripſit Noſter fodinas auri, juxta urbem Matſumay in regione Jeſſo repertas, nec dicere omiſit, ejus terræ principem Imperatoris Japonici ditionem revereri. Fodinas illas præbuit fluvius, in cujus ſabulo multum venarum auri detectum fuit. Jeſuita Jeſſoenſes expertus eſt Evangelio haud repugnantes, homines proceros, Japonenſibus robuſtiores ac magis albos, barba prolixa delectatos, ſinciput & frontem tondere ſolitos, auribusque perfoſſis inſignes, e quibus annuli aurei, vel fila ſerici, pro cujusque fortunis dependent. Laudat illos Vir Cel. quod vino affluentes haud ſtudent ebrietati, nec ultra hilaritatem bibunt. Oryzam eis pro pane tribuit. De religione eorum hæc tradit: *Hæc natio non niſi confuſam de Numine notionem tenet. Vota facit ſoli ac lunæ, veluti bonorum autoribus. Veneratur nihilo minus Regem minus adſpectabilem, cujus ditioni obnoxii ſint montes, ſilvæ, maria, & fluvii, & a quo homines alimenta vitæ accipiant. Caret forma religionis, ad regulam limitesque conformata, nec in urbe Matzumay præſto eſt ſacerdos ullus, vel ulla religionis profeſſio externa. Uſus ſcribendi ignotus ibi eſt, ac hiſtoria patriæ per manus traditur poſteritati, quæ inde perparum conſervat.* Commerciis res ſuas permutant Jeſſoenſes. Recipiunt nec aurum, nec argentum, in ſoluti vicem, ſed oryzam, xylinum, fila lini lanæque,

Pag. 254. Tom. VI.

Pag. 5.

24.

27.

29.

lanæque, pannos veſtiarios, linum, & res alias. Dant aliis viciſſim piſces ſiccatos, halec, cygnos, grues, falcones, aves rapto viventes alias, balænas, ac piſcis Todo-Noevo pelles. Hunc piſcem Autor ita deſcribit: *Eſt exiguus piſcis, omnino villis obſitus, ac pedibus quatuor, qui porcinis ſunt ſimiles, præditus.* Non dubitamus, quin is ipſe ſit, quem alibi *le-mnati* vo-
Pag. 51. cant. Dijudicat poſtea idem narrationes Batavorum ac *Kæmpferi* de terra Jeſſo, & trajectum, inde Tartariam verſus patentem, inveſtigat. Intexit nonnihil de inſula Formoſa. Perſecutionem, Pontificiis in Japonia inflictam, copioſe exequitur. P. *Spinola*, multique ejus ſocii, in carceres detruſi ac ſupplicio exſtincti. P. *Collado* in Europam revertit, ac Jeſuitis vitia criminaque multa objecit, quæ ab hiſce fuerunt retuſa.
132. Epiſtola P. *Sotelo*, Jeſuitæ, excitavit nonnihil incommodi. Jeſuitæ autem, eam a *Sotelo* datam fuiſſe, ſtrenue inficiantur. Inter hæc decretum Papæ ad Chriſtianos Japonenſes fuit transmiſſum. Angli & Batavi urbem Macao obſidione premunt irrita, & Luſitanos paſſim infeſtant. P. *de Angelis*, ejus ſocius, & Francifcanus quidam rapiuntur in carcerem, & cum 50 Chriſtianis
160. vivi comburuntur. Transſilit infectationis æſtus in Japoniam borealem, ibique creberrimos haurit Chriſtianos. Legatio Hiſpanica quo minus terram attingeret, vetitum fuit. Peregrini omnes arcentur Japoniæ a littoribus. Edicta adverſus Chriſtianos promulgantur dura & moleſta. Imperator Principes re-
195. gulosque Japoniæ univerſos ſub jugum mittit. Præfectus provinciæ Nangazaqui artem invenit exterminandi religionem Chriſtianam. Jeſuitis Monachisque, quibus a miſſione ſacra adhæret nomen, introitus in imperium omne denegatur. Prædicat Autor miracula, quæ inter haſce turbas in Japonia juxta
200. tumulum Martyris contigerint. Poſthæc diverſi Jeſuitæ fuerunt
256. comprehenſi, vivique conflagrarunt. Imperator favorem exhibet legato Batavorum. Exſtirpati, exuſti, ſulphureisque aquis exſtincti ſunt Chriſtiani Pontificii. Multus ideo Noſter eſt in martyriis eorum delineandis ac deſcribendis. Corollarii
393. loco adjicit acceſſiones tres. Prima offert opinionem *Bellini* de terra Yeſſo. Secunda cum Lectore communicat relationem

de

de detecta terra Yesso per navim Castricoomii ad annum 1643, ac epitomen descriptionis morum rituumque, quibus incolæ illius regionis utuntur. Tertia complectitur testimonium, a 12 Jesuitis sigillo munitum, eisque in Japoniam religionis causa ablegatis, quorum novem martyrio perierunt. At procedendum est ad *septimum Volumen*. Si dixerimus, Imperatorem quidem e vita discessisse, persecutionem vero, Pontificiis gravem, haud quievisse, summam & argumentum ejus indicavimus. Addit Autor, Batavos denuo operæ pepercisse nulli, ut Lusitanos a commercio Japonico excluderent. Adjungit edictum, Christianis oppositum. Nec tacet Jesuitas illos, qui metu supplicii a professione fidei Christianæ desciverunt. Batavos copiis Imperatoriis, Pontificios Japonenses obsidentibus, suppetias iviſſe, contendit. Edicto proposito arcuisse Imperatorem Japonensem ab imperii sui limitibus Lusitanos, significat. Pontificii tentarant per legatos Macai oppidi, eosque Christianos, res suas in Japonia restituere. At hi fuerunt vix admissi, cum sententia in eos lata est, ut, nisi Christianæ religioni mitterent nuntium, vita privarentur. Batavorum licentia apud Japonenses & ipsa restringi cœpit. Jesuitæ, qui reditum tentarunt in insulam, seriem martyrum cruore suo auxerunt. Ex eo tempore Batavi jus commerciorum sibi in ea reddiderunt præstantius florentiusque in dies. Copiose significat Rev. Autor illud operæ, cum Angli, Chinenses, Siamenses, aliæque nationes, tentarunt, ut consequerentur facultatem importandi exportandique ibi merces. Injicit præterea mentionem consilii, quod *Colbertus* ceperat, exstruendæ societati nauticæ accommodatum, per quam cum Indis eois & ipsis Japonensibus commercia possent tractari. Quanta cautione Japonenses, cum Batavorum mercatoribus versantes, utantur, commemorat, plerumque fide *Kæmpferi* usus. Hoc teste docet, A. 1692 adhuc superfuisse in Japonia Christianos quinquaginta, eosque in custodia degisse. Fatetur ingenue, indicia haud dari, quibus convincamur, Batavos esse autores cerimoniæ Japonensis, quæ *Josumi* vocatur. Hæc in eo consistit. Anno exeunte homines provinciæ illius, in qua existimantur clanculum restare Chri-

Pag. 418. Tom. VII. Pag. 53. 107. 120. 167. 308. 312. 335. 338.

ſtiani, jubentur ſinguli crucem, quæ Jeſum præfert, & effigiem Mariæ Θεοτόκε, impoſito pede calcare. Mos A. 1666 demum cœpit, Pontificiis tam moleſtus. At nihilo minus tentant eorum nonnulli eccleſiam ibi reparare, in quorum numero fuit *Sidotti*, Siculus, ſocius itineris, quod Cardinalis *Turnon* A. 1704 in Chinam ſuſcepit, ſed, ut fama fert, in Japonia
Pag. 349. fame periit. *Tomus VIII* vicem ſupplementi ad iſagogen ſu-
Tom. VIII. ſtinet, ac notitiam imperii Japonenſis geographicam, politicam, & phyſicam, ſubminiſtrat. *Tomus IX.* ſcriptores recenſet, qui de rebus Japonenſibus commentarios ediderunt, tandemque indicem offert univerſalem. Redimus ad *octavum*. Deſcribit ibi urbem portumque Nangazaqui, in qua naves Batavorum mercatoriæ appelluntur. Adjicit figuram æri inciſam, ut deſcriptio feliciter queat intelligi. Primaria tem-
Pag. 21. pla, quæ circa urbem Meaco ſunt, deſcribit ex *Kæmpfero*. Feſtum primarium Dei, urbes tegentis, quod vocant *Matſury*,
58. ediſſerit. Exponit de eorum remediis, igne & ſubula aurea, ſeu argentea, in pellem ſeu cutem hominis per chirurgum adacta, pulvere ex coſto amaro, & pilulis ex catchu factis, nec
65. non de cauſtico, cui nomen *moxa*. Diſſerit de quadrupedibus, de reptilibus, ac infectis Japoniæ. Aſini, muli, cameli, elephantes, ibi haud viſuntur. Oves caprasque eo invexerunt Luſitani, ſed quas curat nemo. Equi Japonenſes ſunt
77. exigui, pulchri, & perniciſſimi. Tauri ſunt ſarcinarum bajuli, mercesque portant. Transmigratio animarum, ibi credita, obſtat, quo minus carnibus Japonenſes veſcantur. Feles ſunt albæ magnæque, fœminarum deliciæ, muribus captandis haud invigilantes. Damæ, lepores, apri, & ſimiæ, uri exigui, vulpes, & beſtiæ alibi ignotæ, ibi inveniuntur. Tum vero Autor aves deſcribit, de piſcibus & conchis agit, de equo marino
110. eſculento, de piſce volucri, & de polypo, exponit. Addit nonnihil de fertilitate ſoli, de plantis & agricultura, nominatim de xylino & cannabi ſilveſtri, unde telæ fiunt. Diſſerit de arbore, ex cujus ſucco fit Vernis Japonicum, quam *Sitz*
151. vocant. De frutice Thé exponit ex profeſſo, ejusque partes ſingulas figuris æri inciſis illuſtrat, *Kæmpferum* ſecutus, quem tamen

tamen paſſim ſupplet, ordinemque emendat. De bituminoſa materie, quam *ambragris* vocant, ſolicite exponit, ratus, eam eſſe congeriem ceræ & mellis, fluctibus maris agitatam, & in littus ejectam, aut ſpeciem bituminis, in viſceribus telluris generatam. Tandem ad præſentem Japoniæ ſtatum ſe convertit, ac notat, ignoramus quam ſolide, *Kæmpferum* noſtratem, cujus tamen obſervationes phyſicas dilaudat. Hiſce ſubjecit deſcriptionem plantarum Japonicarum, earumque uſus, obſervatos opera *Engelberti Kæmpferi.* Epitomen hic habemus obſervationum *Kæmpferianarum*, tabulasque æri inciſas, quæ exhibent plantas modo memoratas. Addidit ſeriem earum alphabeticam. Non eſt, cur ex *Volumine IX* quidquam delibemus. Qui enim & *Kæmpferi* & Rev. *Charlevoixii* labores ſibi comparavit, is ſibi Bibliothecam rerum Japonicarum acquiſitam poterit gratulari. Pag. 194, 207, 213.

Gedächtniß Chriſtophs von Wrißberg, des Kriegs-Oberſten, ꝛc.

id eſt,

COMMENTARII DE REBUS CHRISTOPHORI DE WRISBERG, Ducis bellici, ex Actis maximam partem ineditis collecti, ac ad emendandos varios Seculi XVI Hiſtoricos, inprimis ad illuſtrandum bellum Schmalcaldicum, nunc in lucem editi, ac Præfatione inſtructi, a M. JOANNE JUSTO LOSIO.

Hildeshemii, apud Chriſtophorum Joannem Hieronymum Harz, 1742, fol.

Alph. 3 plag. 8.

In celebritate verſantur dudum fata & facta admodum gloriosa, quibus generoſiſſima & illuſtriſſima *Wrisbergiorum* gens longe lateque effulget. Prædia ipſorum equeſtria in Ducatu Brunſuico-Luneburgico ac terris Epiſcopatus Hildeneshemenſis eminent. Supereſt ex eis Perill. *Rudolphus Joannes*, primus

mus Electoris Hannoverani Conſiliarius publici ſtatus intimus, ac tribunalis provocationum ſupremarum Electoralis, quod Cellæ floret, Præſes, orbis politici ac literati decus perenne, cujus in eruditam civitatem propenſioni hoc monumentum hiſtoricum debemus. Clariſſ. Vir, qui Commentarios hoſce dedit elaboratos, in Præfatione diſſeruit de Commentariis, quos Galli *Memoires* ſolent appellare, majoresque noſtri poſt Gallos condere cœperunt. Laudandum eſt id inſtitutum, quo Germani inde a temporibus *Maximiliani I* Diplomata & acta publica inſpicere dignati fuerunt, ut robur narrationibus ſuis hiſtoricis, de rebus ante ſeſe geſtis, conciliarent. Id vero Noſter ceu legem ſuam ſectatus fuit ea felicitate, ut nævos haud unos, ab aliis admiſſos, & *Chriſtophoro* illi adſperſos, qui jam credulitatem invenerant fautricem, notarit atque profligaverit. In Præfatione ſpecimina profert duo, quibus, quantopere ſcriptores in rebus *Chriſtophori* illius ſe & alios fefellerint, demonſtrat. Primo quidem docet, illum haud interfuiſſe A. 1547, 24 Maji, prælio Drachenburgenſi apud Dithmarſos, nec de eo antea fuiſſe redditum certiorem. *Lambertus Hortenſius*, *Chriſtianus Cilicius*, (id eſt, *Kellinghauſen*,) *Ludovicus d' Avila*, Chronici Verdenſis conditor, aliique, hic in omnia alia iverunt. Deinde adjungit, quantopere ſcriptores in delineata expeditione, Worſatis illata, a janua aberraverint, ſiquidem *Wrisbergius*, dux bellicus Imperatorius, in terris Bremenſibus hæſerit, donec a *Bobustao Felice ab Haſſenſtein*, juſſu *Maximiliani II*, per literas monitus, A. 1557 conciliata cum Bremenſium ordinibus provincialibus tranſactione exceſſerit ſponte ſua, ac milites ſuos exauctoraverit. Non omittit ſignificare, ducem illum bellicum, itineri Meclenburgico intentum, juſſu Imperatoris, accuſationibus *Henrici* junioris obſecundantis, in vico Wedel haud procul Hamburgo a præfecto Pinnebergenſi captivum fuiſſe redditum. Nec minus oſtendit, *Neofanium*, *Thuanum*, ac *Chytræum*, ſine ulla ratione de *Chriſtophoro* memoriæ prodidiſſe id, quod ab omni abhorreat veritate. Vetitum fuerat cautumque a tribunali, ne *Chriſtophorus* commemorationem rerum a ſeſe geſtarum in vulgus ederet. Cauſam igitur ſuam dixit per Jure-

conſultum

conſultum *Portium*, *Henricus* autem junior per D. *Fichardum*. At latet adhuc illa apologia in tribunalium imperialium receſſibus. Operæ itaque pretium fecit Cl. *Loſius*, dum ex tabulariis *Wrisbergholthuſenſibus* chartas & documenta eruit, e quibus res tanti ducis bellici patefiunt, ac in lucem poſt ducentos inde annos protrahuntur. Expoſitioni ſeu memoriæ ad finem perductæ ſubjectæ apparent chartæ, nullo pacto mutatæ, & propriæ ac amicæ, & adverſariæ. De prælio, ad Calevelde A. 1545 commiſſo, literæ *Philippi*, Landgravii, ac *Mauritii*, Electoris, curatius exponunt, quam *P. J. Rethmeierus* & *J. F. Pfeffingerus*. Narratio *Chriſtophori* de prælio Drachenburgenſi eſt magni pretii, & prorſus antehac inedita. Quam *pag. 84 ſeq.* nunc editam fuiſſe, læti intelleximus. Tractatio omnis legibus Chronologiæ & apologeticæ expoſitionis fuit conformata, & annotationibus hinc inde perfuſa. Erratis ſex prægravata eſſe ea, quæ de *Chriſtophoro* leguntur in *Lexico hiſtorico univerſali*, Autor declarat. In limine tractationis ipſius idem ſtirpem Wrisbergiorum ab *Erneſto*, qui cum Epiſcopo *Godehardo* A. 1028 in terras Hildeneshemenſes venerit, deducit, ac generoſiſſimos *Wrisbergios* ad commune ſtemma cum *Würsbergiis* Franconiæ, & *Wirsbergiis* Bavariæ, refert. *Holthuſen*, villa a *Godehardo* exſtructa, pervenit ad *Wrisbergios* A. 1278, cum *Hermannus de Wrisberg* dictus in uxorem duxit filiam hæredem militis *Diterici de Holthuſen*. Ex eo tempore loco adhæſit nomen *Ditrichholzen* & *Wrisbergholzen*. *Erneſtus*, *de Wrisberg* appellatus, A. 1393 prædium Brunckenſen emit a dominis nobilibus *de Homburg*, *Henrico* & *Gebhardo*, quos Autor, neſcimus quo jure, *Comites* vocavit. *Chriſtophori*, de quo dicendum, res ſuccincte juvat repetere, ut poſteri ſibi caveant ab erroribus. Ipſe, ex *Erneſto* ſeniori & *Catharina de Zerſſen* genitus, fratre uſus *Erneſto*, gentis propagatore, didicit a fratre *Liborio* artem militarem. Natalis ejus incidit in annum circiter 1511. Patre A. 1530 orbatus, animum appulit ad operam bello Turcico addicendam, ac A. 1532 in Hungariam abiit militatum per menſes novem. Inde ſtipendia ſub Danis fecit. Anno 1544 interfuit prælio Bullionenſi in Piccardia, quod *Henricus VIII.* Pag. 2. 15.

Rex Angliæ, cum Gallis commiſit. Anno 1545 copias pro *Henrico* juniori inſciens conſcripſit, ac in Hadeleria invitus aſſectatus fuit advenientem. Quam ob cauſam Haſſus, qui majorem Epiſcopatum Hildeneshemenſem ac terras Wolferbuttelanas tenebat, ipſum monuit, ut ab hoc *Henrici* junioris negotio diſcederet. Cum vero ipſe jurejurando ſua munia *Henrico* illi addixiſſet, & *Philippus*, Haſſus, & *Mauritius*, Elector Saxoniæ, ſcripta curarunt edenda, quibus ipſius famæ fuit obtre-
Pag. 35. ctatum. Id vero adjiciendum videtur, *Henricum* Ducem præ ſeſe tuliſſe reconciliationis cum hoſtibus rationes, ac dicis cauſa a bello abhorruiſſe. Momenta ſcripti Haſſiaci Noſter diluit & excuſſit, nec diſſimulavit Haſſorum impreſſiones in prædia ac fortunas *Chriſtophori*. *Henrici* junioris animum pervicacem,
40. ſibique ſoli fidentem, hinc inde adumbrat. *Chriſtophorus* diſſuaſit *Henrico* prælium Calefeldenſe, idque fuga arrepta, quam ſuis permiſerat dux, dereliquit. Ex eo tempore idem operam ſuam Cæſari, Smalcaldicos ſocios refrænaturo, commodavit, ſubjectus Comiti *de Groningen*, produci Selandiæ, eo quidem nomine. Profectus fuit ideo in Belgium, nec prælio
49. Drachenburgenſi, nec obſidioni Bremenſi, interfuit. *Henricus*, A. 1549 e captivitate dimiſſus, *Chriſtophoro* pro viribus ægre fecit, immo A. 1548, 19 Jan. eum apud Cæſarem accuſavit.
52. Inſeritur hinc animadverſio Autoris de diverſa indole judicii Imperatorii aulici, quale exſtitit *Caroli V* ætate, & ejus, quod viguit inde a pacis Weſtfalicæ ævo. Illius aſſeſſores A 1549 & duci *Henrico*, & *Chriſtophoro* duci, quo minus porro durius ſeſe tractarent, legem injunxerunt. *Chriſtophorus* eodem anno Bruxellis in amicitiam *Viglii Zuichemi ab Aytta* ac *Lazari*
54. *Schwendi*, magnorum nominum, pervenit Per *Antonium de Muſica*, ſeu *de Muſicha*, qui *Commentariolum de rebus geſtis ſub Carolo V Imperatore ad S. Digerium* ſcripſit, innotuit *Eduardo*,
57. Anglorum protectori. Anno 1552 expeditionem bellicam ſecutus fuit in Tranſilvaniam Hungariamque, atque d. 20 Oct. in caſtris ad Mühlbachium prope Petersdorf in regione priori verſatus eſt. A. 1553 *Philippi Magni* fuit aſſectator, ac, *Henricus* Dux ut æs alienum exſolvere poſſet, pecuniis paſſim

per

per Saxoniam inferiorem congeſtis, effecit, adductus ſpe obtinendi Hohenbuchen, prædium, quod *Domini de alta fago* quondam tenuerant. A. 1554 uxorem duxit *Lucretiam de* Pag. 65.
Schoën, Geblen dictam, liberis antea jam ex concubina procreatis. A. 1555 *Henricus* junior fuit in eo totus, ut *Chriſtophorum* bonis dejiceret, ac vita privaret, indignatus, quod hic Wolferbuttelam venire recuſarat. Ad Ducis Megalopolitani *Joannis Alberti* terras, ut maneret incolumis, A. 1556 ſeſe contulit. *Henricus* Dux A. 1557 vulgavit famam, *Chriſtophorum* Regis Gallorum uſibus militem hinc inde conſcribere, Belgioque imminere ab eo incommoda, quam Hiſpani & *Emanuel Philibertus*, Dux Sabaudiæ, confirmarunt, Archiepiſcopus autem Bremenſis pro viribus refellit. Re vera autem in gratiam Cæſaris legerat milites, a *Bohuslao Felice de Lobkowiz ac Haſſenſtein* impulſus, qui *Bohuslao* juniori filio ſuo Bibliothecam ſuam ornatiſſimam in arce Haſſenſtein reliquit, heroi eruditiſſimo. In gratiam Archiepiſcopi Bremenſis Vorſatos Friſios fregit. In terras Meclenburgicas, expeditione peracta, abiturus, 78.
in vico Wedel juſſu Imperatoris, ab *Henrico* Duce incitati, corripitur a 500 armatis ruſticis, captivusque in caſtrum Pinneberg deducitur. Quamprimum vero de itinere, animo, & captivitate, *Chriſtophori* ad Imperatorem fuit relatum, ipſe haud ſecus ac ſatrapes *Henricus de Salza* juſſus fuit libertate frui, 82.
præſtitis fidejuſſoribus, ac jurejurando de omittenda ultione nuncupato. A. 1558 arceſſitus fuit Viennam, ut ad ea, quæ Duces, *Henricus* & *Ericus*, adverſus ipſum detuliſſent, reſponderet. Emanſit *Henricus* Dux, ac citatio in Calendas Sept. fuit dilata. Rex Hiſpanorum *Henrici* accuſationes it ſtabilitum. Paulo poſt, demortuo *Henrico*, lis illa omnis conquievit. *Thuanus*, Autor Chronici Verdenſis, *Spangenbergius* in Chronico Schaumburgico ac Mansfeldenſi, *Ph. Jul. Rehtmeyerus*, *Jo. Leznerus*, 92.
Sleidani continuator, aliique, de bello, Vorſatorum cauſa geſto, ejusque fine, & de *Chriſtophori* captivitate, ſcripſerunt ea, quæ multiplici ſcatent errore. Qui meliora edoceri cupiunt, eorum eſt, ſalutare Noſtrum. Bello Ditmarſico operam inſumſit *Chriſtophorus* A. 1559, tradentibus id *Chriſtiano Cilicio* ac *Jac. Auguſto* 95.
Thuano.

Thuano. Poſthæc quietis ſeſe præbuit amantiorem, ac obiit A. 1580, 10 Jun. ſepultus Alfeldæ. Non eſt, quod addamus plura, hoc excepto, quod Diplomata, chartæ, & acta publica, numero 108, in calce conſpiciantur. Id vero dolemus, quod chartæ haud paucæ, e quibus paſſim dari potuiſſent luculentiora, ſuoque heroe digna, pulveri, tineis, muribusque, ceſſerint pabulo. Oramus ad poſtremum Cl. Autorem, ut univerſæ *Wrisbergiæ* gentis hiſtoriam, cujus edendæ ſpem lectori ſuppeditavit, in dias luminis auras enitatur, caveatque, ne fructu multorum Diplomatum civitas diu careat erudita. Quem in finem ipſi firmitatem virium, animumque & corpus robuſtum, certe ſuffecturum labori, haud ſecus, ac par eſt, comprecamur.

Kurtze und ſichere Anfangs-Gründe zu einer richtigen Chronologie, ꝛc.

hoc eſt,

SUCCINCTA ET SOLIDA ACCURATÆ Chronologiæ Elementa, tam conſenſioni Scriptorum ſacrorum & profanorum, quam breviori & planiori œconomiæ temporum Danieliticæ, ad Meſſiam uſque, accommodata. Demonſtravit ſupputationes, eas illuſtravit, ac multa Codicis ſacri loca paſſim pertractavit, JAC. KOCH, Eccleſiaſtes in Berkela majori prope Hamelium ac Viſurgim.

Lemgoviæ, impenſis typisque Joannis Henrici Meyeri, 1742, 4. Plag. 21.

Ex annotationibus, ad Tabulas chronologicas ſuccinctas congeſtis, ſuccrevit hæc tractatio, in qua Rev. Autor nævos aliquot, antea admiſſos, ingenue emendavit, & variis ſacrarum literarum locis mirificam lucem accendit. Epocham mundi conditi ponit in Niſan, ſeu tempus vernale, ad diluvium univerſale, Codici Ebraico innixus, annos computat 1656, inde ad natalem *Iſaaci* definit annos 393, ac inde ab hoc natali ad exi-

tum

tum Ægyptiacum annos 430 determinat, & ex pugna ſtellarum adverſus *Siſſeram Jud. V*, 20, exſculpit eclipſin ſolis totalem. Ab exitu Iſraelitarum illo ad ædificationem templi Salomonei ſupputandos credit plenos 479 annos ob *1 Reg. IV*, 1. Formulam לִקְצֵי שָׁנִים, *ad finem annorum*, exponit de completa periodo ſabbatica *2 Par. XVIII*, 2. Ad *Jechoniæ* abductionem inde ab illa ædificatione computat annos 399½. Exilii Babylonici ſeptuagenarii finem locat in primum *Cyri* annum Babylonicum, ac inde ad excidium Hieroſolymitanum ſupputat annos 609. Natalem Jeſu ponit in anno mundi 3961¾. Comparat deinde cum ſupputatione ſua ſupputationem Judaicam, Ægyptiacam, Tyriam, Sinenſem, Aſſyriorum, & Chaldæorum, & *Cteſiæ* calculum aſſenſione ſua dignatur adeo, ut *Herodotum* cum eo ſtudeat conciliare. Monarchiæ Perſicæ tribuit annos 209. Græcam monarchiam ad *Cleopatræ* obitum uſque definit fuiſſe annorum 300. Hebdomadas anniverſarias *Danielis* contendit inchoandas eſſe a fine exilii Babylonii, ac finiendas excidio Hieroſolymitano. Notat nonnihil in Calendario Judæorum *Schuckfordiano*. Hinc confert ſeſe ad *Caput Danielis IX* exponendum, quatenus illud notas comprehendit chronologicas. Tum vero argumenta Chronologiæ ſuæ nonnulla ſpecialius expedit & enodat. Primum oſtendit Hebraicorum ſabbaticorum & jobeleorum annorum rationem in computando poſitam. Initia eorum adſtringit autumno. Annum, per vocem שנה deſignatum, putat a Calendis Niſani menſis fuiſſe ſupputandum. Formulam loquendi שנת שנה exponit per annum, qui in alio anno inchoatur & finitur. Ipſi eſt שַׁבַּת שָׁנִים ſabbatum, quod incidit in feriem ordinariorum ſeptem annorum eccleſiaſticorum. Quibus diſputatis innectit expoſitionem *Leviticí XXV*. Per voces *Danieliticas* שנים קץ השתים deſignari putat *finem prophetici termini*, *annos ſabbaticos complexi*. Tum vero attentionem ad ea Codicis ſacri loca, quæ mentionem aſtronomicorum eventuum indicant, affert, calamum diſputatorium conſerens cum Cel. Præpoſito Ratzeburgi, *Kohlreiffio*, Chronologo ſacro perquam celebrando. Negat, in libro *Jobi* de Apogæis, Perigæis, vi & centrifuga & centripeta, jam fieri

Pag. 2. 5. 15. 18. 21. 33. 37. 40. 43.

mentionem. Inquirit in ſtellas עַיִשׁ, כְּסִיל, & כִּימָה, easque exponit per *congregatorem*, *inconſtantem*, & *faminam ſideream*, id eſt, *Saturnum*, *Mercurium*, & *Venerem*. Hiſce Hebraicis ſtellis, ni ſideribus, tribuuntur חַדְרֵי־תֵמָן, מַעֲרוֹת, & מוֹשְׁכוֹת, id eſt, hoc judice, *loca conventus*, *blandimenta amatoria*, & *conjunctiones*. Conjunctionem horum planetarum putat *Jobi* ætate contigiſſe, Chronologiæ Ægyptiorum innixus. Ex hac conjunctione librum *Jobi* reddit multo recentiorem,
Pag. 47. quam aliis fuit ille viſus. Loca *Jobi XXXIV, 10 ſeq.* & *XL, 5 ſeq.* de exitu Iſraelitarum per mare, Ægyptiis funeſtum, exponit, additque locum *XXXVIII, 21 ſeq.* qui apparet pellucidus. Priora duo loca videntur nævo typothetico immutati. Nobis enim nihil ibi licuit de eventu illo calamitoſo deprehendere. In *Jud. V, 20*, Cl. Autor viſus ſibi fuit videre non ſolum eclipſin ſolis plenam, ſed etiam tempus ejus paſchale, conjunctum cum neomenia Ijar anno mundi 2713, Per. Jul. 3460. Inciſum 8 ſic vertit: *Iis, quæ Deus elegit, anni auſpiciis, cum comeſtio* agni paſchalis *erat per portas*, ſeu urbes, *num clypeus*
54. *vel haſta viſebatur inter 40000 in Iſrael?* Locum *Amoſi V, 8*,
exponit de duobus ſolis deliquiis, quæ A. 3182, 17 Aug. 11
57. hora antemerid. & 10 Febr. 4 hora pomerid. contigerunt. Locum *2 Par. XXV, 27*, ita cum *2 Reg. XIV, 17*, conciliat, ut *Amaziam* depoſitum credat vixiſſe adhuc 15 annos, titulo ac nomine regio utentem. Apud *Jeſaiam VII, 8*, adhiberi æram *Uſiæ*, A. 3172 inchoatam, probabiliſſime oſtendit. Lege tamen *pag.*
60. *60 lin. 4* pro anno ſexto annum 65. Ipſe, loca Scripturæ ſacræ, in quibus menda librariorum ineſſe, Cel. *Vignolius* crediderat, a nævis ac librariorum corruptelis immunia eſſe, contendit, negans, primum menſis Abib diem exſtitiſſe primum in-
65. euntis anni Ægyptiaci diem. Periodi Sothicæ fundamenta eruit induſtria ſingulari. Ipſa enim dicitur complexa 36525, ſeu 1461 annos Ægytios, aut 113 generationes, ſeu cyclos mi-
70. nores. Ex debili Ægyptii calendarii notitia *Vignolium* in *1 Reg. VI, 1*, corruptos numeros vidiſſe, monet, & notitiæ illius elementa labefactat. Quo facto, in certamen deſcendit cum *Kohlreiffio*, qui ſibi perſuaſit, in Vet. Teſt. omitti annos ab orbe condito
milleſi-

milleſimos, & in *1 Reg. VI, 1*, per annos 480 deſignatos fuiſſe annos 3480, ratus, hypotheſin illam eſſe emendicatam & precariam. Deinceps Cl. *Bengelio* judicia ſua chronologica imper- Pag. 78,
tit. Cometam diluvii *Noachici* fuiſſe conciliatorem, inficiatur, cauſam interſerens, vim illam a cometis abeſſe, nec locum *Amoſi V, 8*, ad cometas trahendum, quippe qui de planetis agat 81,
ac de rebus, in tempora *Amoſi* ac ſecutura congruentibus. Annos illos 430 famoſos deducit ab anno *Abrahami* centeſimo, eoque *Iſaaci* natali, ob *Gal. III, 17*, ubi ipſorum exordia locantur in *confirmato promiſſionis inſtrumento*. Locum *Exod. XII, 40*, ita vertit: *Commoratio Iſraelitarum, qui in Ægypto habitarunt, erat annorum 430*. Quæ translatio utique & Hebræo codici convenit, & tricis Chronologorum expediendis admodum 84.
eſt apta. *Pharaonem*, qui Iſraelitas in Ægypto afflictavit, appellat *Apappum*, ejusque filium *Aſſin* in mari ſubmerſum eſſe, contendit. *Aſſin* pro conditore epochæ Soticæ habet, ejusque 89.
initium collocat in annum P. J. 3926. Ut annos libri Judicum cum annis 480 *1 Reg. VI, 1*, componat, annos quietis ac afflictionis exiſtimat fuiſſe provinciæ annos, annosque judicum arbitratur eſſe annos perſonarum, quarum aliquot eodem tempore judiciis præſederint. Dictum *1 Sam. VII, 2*, ita exponit: *Et factum eſt ex die repoſitionis arcæ in Kiriathjearim, & multiplicabantur dies, & fiebant viginti anni. Tunc luxit omnis Iſraelitarum cœtus retardationes Domini, Samuel vero dixit* - - Annos exilii Judaici inter Babylonios, 70 vulgo meritoque dictos, ita docet computandos eſſe. Incidit eclipſis in annum quintum *Nabopolaſſari*, isque annus fuit æræ *Nabonaſſareæ* 109. Prius tradidit *Ptolemæus* in Almageſto. Poſterius monſtrarunt 103.
Keplerus & *Megerlinus*. Septimus *Nabopolaſſaris*, ſeu *Nebucadnezaris*, annus cohæret cum regno *Jojachini*, ac ex eo tempore fluxerunt porro 36 pleni *Nebucadnezaris* anni, ob *Jer. LII, 31*. *Evilmerodachus* regnavit annos 18, & *Belſazar* annos 17. *Nirigliſſor* vicariam deliranti *Nebucadnezari* regnandi operam accommodavit. Sic ille rationes ſubduxit, ut ad *Cyrum* progrederetur per annos 70. Epocham *Fl. Veſpaſiani* in anno Chriſti 70 vulgari figit. Hieroſolymam anno Chriſti 71 exciſam, 115.

contendit. Munus *Joannis* Baptiſtæ præcurſorium $3\frac{1}{2}$ annis miniſterio Jeſu fuiſſe prius, ſuſpicatur. Tandem diſputat adverſus Ven. *Kobreiſſium* de calculo ſuo *Danielitico*, & 70 hebdomadibus. Qui reliquis Cl. Autoris inſtructi ſunt ſcriptis chronologicis, eis facile ſubolebit, permulta in hoc ſcripto fuiſſe enucleatius tradita, nonnihil etiam fuiſſe immutatum.

Johann Hobbelings Beſchreibung des gantzen Stifts Münſter, und Johann von der Bersworde Weſtphäliſches Adeliches Stammbuch, ꝛc.

id eſt,

JO. HOBBELINGI DESCRIPTIO UNIverſi Epiſcopatus Monaſterienſis, & JO. DE BERSWORDT Weſtphalicum Nobilium album gentile, quæ, veluti continuatam acceſſionem Weſtphalicarum hiſtoriarum, in lucem protraxit, primus, & illam triplici nova Appendice auxit & illuſtravit, JOANNES DITERICUS DE STEINEN.

Tremoniæ, impenſis Godeſchalci Diterici Badekeri, 1742, 8. Alph. 1 plag. 14.

Fidem dederat publice Pl. Rev. Editor in Præcognitis ad fontes hiſtoriæ Weſtphalicæ, ſeſe publicaturum eſſe collectionem nonnullorum libellorum hiſtoricorum, qui nondum formis publicis deſcripti fuerunt. Ut promiſſo hoc ſeſe exſolveret re ipſa, edidit jam librum *de Converſione Domini Hermanni, olim Judæi, poſtea Abbatis Eccleſiæ Schedenſis.* In præſens libellum *Hobbelingi*, A. 1655 in literas relatum, cum erudita civitate communicat. In præmiſſa iſagoge notavit varias lectiones ex apographo, quod ipſi legendum Venerabilis *F. M. G. de Kettler*, Præpoſitus Cappenbergenſis, impertivit. Addidit Editor paſſim Diplomata, ac ſuccinctas Epiſcoporum Monaſterienſium vitas. Decerpſit nonnihil ex *Kerſenbrockii Hiſtoria Anabaptiſtica Monaſterienſi*, paſſim ſubjunctum. *Monumenta Monaſterienſia* ſua jam *Jodocus Hermannus Nünning* exprimi

exprimi typis curat, inde a 20 annis concinnata. Dolendum ſane, hoc viridarium Editori haud olim patuiſſe. Promittit Rev. Editor genealogicam Berswordenſium ſeriem. Vixit *Joannes de Berswordt* vergente Seculo XVI, patre *Nicolao* & matre *Catharina Swarte* natus; Dynaſta exſtitit Dickeburgi; emit prædium Huſten A. 1587, ac in eo habitavit, obiitque A. 1591, 12 Febr. Uxor ipſi obtigerat *Margaretha Mumm de Boickholt*, 8 liberis fœcunda, & defuncta A. 1584. Ex hiſce parentibus progenitus fuit ille *Joannes*, qui album gentile Nobilium Weſtphaliæ ſcripſit, natus A. 1574, ac demortuus A. 1640, 24 Febr. Huſtenæ ſepultus. Quæ cum monuiſſet Rev. Editor, *fontibus* ſuis, Hiſtoriæ Weſtphalicæ præmiſſis, adjecit tum acceſſiones, tum emendationes. Differit enim de *Eberhardi Wittgeni Eſſendienſibus Anecdotis*, de *Chronico Eſſendienſi* ſuccincto *Anonymi Lutherani*, de *Hiſtoria Fraternitatis S. Huprechti*, de *Originibus urbis & Comitatus Tremonienſis*, de *Wolfi Erneſti Alemanni Collectaneis Ravensbergenſibus* & genere, de *Diethmari Müliberi Supplemento Chronici Tremonienſium in epitomen redacto per Cornelium Meve*, de *Monaſterii Werthinenſis Annalibus & Catalogo Abbatum*, de *Civitatis Duisburgenſis primordiis, rerumque ejus hiſtoricarum teſtimoniis*, ab *Ambroſio Moer* collectis A. 1574, de *Catalogo Epiſcoporum Munaſterienſium*, de *Chronico Jo. Nederhoffi*, de *Chronico Joannis Kerckhœrde*, & *Chronico Dominicanorum Tremonienſium*, de *Gerhardi Kleinſorgi Diario Hiſtoriæ Truckſeſianæ*, ac de *Wilhelmi Teſchenmacheri Antibolſeco*, &c. De præfecturis Wildeshauſen, Wedde, Delmenhorſt, Herpſtede, & Borckelo, *Hobbelingius* pronuntiavit, quemadmodum decuit ſervum Epiſcopi Monaſterienſis, qui memorare omiſit, Comitatu Hoienſi *Maximilianum* Imp. Duces Brunſuico-Luneburgenſes inveſtiiſſe. Significavit tamen candide, Epiſcopum *Hermannum* A. 1160 Principibus Imperii a *Friderico* Imp. fuiſſe aggregatum. De Dominis Ghemenſibus docuit haud tralatitia. De Comitatu Steinfurt æque memorabilia attulit. Operæ fuerit pretium, perlegiſſe Acta publica & Diplomata, Appendicis primæ loco ſubjuncta. Appendix ſecunda repræſentat contractiores Epiſcoporum Monaſterienſium

Pag. 8. 46. 131.

ſium vitas, quas vita *Clementis Auguſti* concludit. Ex ſerie Diplomatum, paſſim editorum, maximam vero partem latentium, quin multa in his vitis augeri & emendari poſſint, dubium non eſt. Memoratu dignum videtur, *Ottonem* Epiſcopum ineunte Seculo XIII a ſolis Canonicis electum eſſe, & *Lu-*
Pag. 224. *dovicum II* ſub initia Seculi XIV pallium a Papa Romano accepiſſe. Appendix hiſce tertia ſuccedit, quæ annotationes, in
247. *Hobbelingium* adornatas, complectitur, terris Epiſcopatus Monaſterienſis tractibusque propius noſcendis admodum accommodata. Recenſuit Editor ſuccincte Comites Oldenburgi ac Delmenhorſti, ex *Witekindo M.* deductos. Deteximus hinc inde nævos aliquot in ea recenſione, quos pace Autoris pro-
254. memus. *Bruno*, Dux Saxoniæ, vocatur *Wigberti* filius. At *Bruno*, dux bellicus Saxonum, *Carolo M.* adverſantium, *Wittekindo* ætate fuit ſuppar, tantum abeſt, ut ejus potuerit eſſe nepos. *Ludolphi* autem, Ducis Saxoniæ orientalis, pater haud fuit *Bruno*, ſed *Egbertus*, *Idæ* maritus. *Meinerus* hic vocatur Comes Ringelheimi. At Ringelhemium fuit ſemper pars
259. Comitatus Saltga. Omittimus alia, e ſcriptis recentiorum hauſta. *Joannis*, Comitis Altenburgenſis, uxorem Autor appellavit *Annam*, ſeu *Mariam*. Liceat vero monere, nomen ipſi fuiſſe *Armgardæ*, idque innoteſcere ex Diplomate ad A. 1278, a Cl. *Joanne Vogt* producto. *Chriſtophorus de Wrisberg* incommode vocatur *pag. 265 von Fritzberg*. De caſtro & advocatia Harpſtette ediſſeruntur nonnulla *pag. 273*. Omiſſa vero ſunt primordia ac fundamenta, quibus Duces Brunſuico-Luneburgenſes in terras Comitum Hoienſium ſingulas ab Imp. *Maximilia-*
274. *no* per exſpectationis modum immiſſos fuiſſe conſtat. Advocatiam vero Harpſtetenſem Hoienſium Comitum fuiſſe hæreditariam ſortem, ſolide Autor indicavit. Jucunda ſunt lectu, quæ idem de præfecturis Wildeshuſen, Borkelo, Walbeck, aliis-
285. que locis, commentatus fuit. De epitome ex *Kerſenbrokii Hiſtoria Anabaptiſtica*, non eſt, quod multa moneamus. Qui enim Monaſterii urbis hiſtoriam indagare avent, ea ægre carent. Prodeſſe Noſter voluit publico, ſiquidem paſſim ſolidiora inſeruit
323. epitomæ illi *Kerſenbrockianæ*. Addidit idem quatuor Diplomata,

ad

ad Burggravios Strombergi, quod nunc præfectura eſt Epiſcopi Monaſterienſis, referenda, Seculis XIII & XIV data. Nobiles Dominos *de Rudenberge* ex Burggraviis illis fuiſſe progeneratos, ex ſecundo, tertio, ac quarto, Diplomate liquet. *Judicium Vridinum* in eis vocatur *bannus dictus Vryegrafscop.* Arriſerunt nobis ea, quæ Rev. Vir de pago Dragini, Hirutveldo, S. *Ida*, ejusque marito, *Egberto*, duce *Caroli M.* militari per Weſtphaliam, commemoravit. De Dynaſtia imperiali copioſe diſſeruit, additis de jurisdictione & quæſtione ſtatus cum Epiſcopo Monaſterienſi controverſiis. Strenuos milites, *de Horſtemar* dictos, attigit. De urbe Meppia expoſuit præſtantiſſime haud ſecus ac de juribus Epiſcoporum Monaſterienſium in Vechtam, Vlotham, & Embdam. Ad manus eſt quædam de Vechta tractatio, ac juris quæſiti Epiſcoporum Monaſterienſium in Goldenſtet, Barnſtorf, & Coldenrade, inanitas, e quo ſcripto Noſter multum proficere potuiſſet. At progrediendum eſt ad album Weſtphalicæ nobilitatis gentile, per *Joannem a Beer Schwort in Hueſten* A. 1624 conſcriptum. Familiæ nobiles in eo ad ſeriem alphabeti ſunt expoſitæ. Quam ob cauſam Comites Daſſelenſes nobilitatem inter Weſtphalicam fuerint interpoſiti, difficile eſt divinatu. Idem ſentiendum eſt de Everſteinenſi familia, quam circa Amelungesbornam & Viſurgim in Saxonia inferiori floruiſſe, conſtat. Langenholthuſen ad præfecturam Hildeneshemenſem Wincenborg ſpectat, ac, exſtinctis nobilibus, inibi quondam florentibus, ad Cuſtodem Baſilicæ Hildeneshemenſis devoluta fuit. *Margaretæ* igitur *de Langenholthuſen* natale ſolum in Weſtphalia haud erat quærendum. Arx Pleſſe, ac nobiles, inde appellati, domini referendi fuerant ad Ducatum Calenbergicum. Falſo dicitur, in jura & terras eorum ſucceſſiſſe ſolum Haſſiæ Landgravium, *Wilhelmum*. Plurima enim pars dominii occupata fuit ab *Erico II*, Duce Brunſuico-Luneburgico. Schulenburgiorum primæ ſedes in Marchia Brandenburgica veteri & Ducatu Magdeburgico ſunt quarendæ. Nec veriſimile eſt, Comitatum Speigelberg unquam in Paderbornenſi diœceſi fuiſſe ſitum. In Mindenſi potius fuit poſitus. Nihilo minus inficiari nobis haud eſt integrum,

Pag. 350. 353. 381. 402. 411. 442. 470. 488. 491.

integrum, catalogum illum nobilitatis Weſtphalicæ ſuis uſibus gaudere, ac ab eis conſulendum eſſe, qui unius vel alterius inibi familiæ momenta & progeniem propius inveſtigare cupiunt. Lectori operam ſuam approbavit Rev. Editor vel eo etiam nomine, quod Indicem diverſiſſimi argumenti rebus ſubjecit.

AD IMPERIALIUM INSTITUTIONUM Libros IV, in epitome continentium Juris ſcientiam, perſonarum, rerum, & actionum, Obſervationes HYACINTHI VINCIOLI, Lectoris primarii auguſtæ Univerſitatis Peruſiæ, & Rectoris almæ ſapientiæ novæ, anno poſtremæ inſtaurationis ſecundo, ad uſum præſertim ejusdem ſapientiæ. Cum Diſputationibus ad Titulos Juris ordinarii, explicandi de more in dicta Univerſitate. Additis obtinendæ legalis laureæ brevi inſtructione, ac IV Indicibus alphabetica methodo, I Titulorum, II Rerum, III JCtorum, originem & progreſſum Juris denotantium, IV Regularum Juris utiliorum, verborumque, ſignificatione.

Peruſiæ, typis Conſtantini, 1735, 8.
Alph. 2 plag. 3.

Satis amplus eſt titulus, & ipſe liber ita comparatus, ut, multa de eo dicere, haud neceſſe habeamus. Autor enim Inſtitutiones Imperiales partim auditorum ſuorum cauſa, partim ut ſuperiores ſuos, ſe ſcribere poſſe, certiores redderet, enucleaſſe, typisque imprimendum hunc ſuum laborem tradidiſſe, videtur, parum ceteroquin de acquirenda nominis fama ſollicitus. Inde effecit etiam, ut liber ille patriæ ſuæ fines vix exceſſurus ſit, ſaltem, ſi exceſſerit, multum applauſus polliceri ſibi nequeat. Nec enim novi quidquam protulit, nec præſtantiores, quibus hodie fruimur, Interpretes conſuluit, nec, quæ alias libris vulgaribus nonnihil addere pretii ſolet, ſtili elegantiam ſibi habuit commendatam. Mirifice delectatur formulis

mulis his: *Obſervare oportet*, *obſervare neceſſe eſt*, *obſervandum hic eſt*, *obſervari poteſt*, *obſervandum eſt inſuper*, *obſervandum eſt etiam*, &c. quas ſingulis propemodum paginis, nonnunquam bis ac ter, adhibitas eſſe, nos bene obſervavimus. Quæ accedunt Proluſiones, ejusdem, ni fallimur penitus, farinæ ſunt. *Prima* earum in *Tit. D. de Officio ejus, cui mand. eſt jurisd.*; *altera* in *Tit. C. Qui admitti ad bonor. poſſeſſ. poſſ.*; *tertia* in *Tit. D. de Rebus creditis, ſi certum petatur*; & *quarta* denique in *Tit. C. de Edendo*, commentantur. Inter Indices comparet JCtorum & veterum, & recentiorum, hiſtoria, ſed quæ brevis eſt, & vix tironibus ſufficiet, qui hac etiam ſine detrimento ullo carebunt, ſi, quas Autor diligenter evolvit, *Gravinæ Juris Civilis origines* ſumere in manus voluerint. Ut paucis complectamur, quæ noſtra quidem ſententia ſit, fuiſſet hic liber majoribus noſtris gratus omnino, & dignus, qui legeretur; at ſeculo hoc præſenti, literarum luce colluſtrato, Jurisprudentiæ ſtudioſi in elegantioribus ſcriptis ſuas quærunt, & ex voto reperiunt, delicias.

Wahrhaffte und umſtändliche Beſchreibung ꝛc.
hoc eſt,
VERA ET ACCURATA DESCRIPTIO PARITER atque delineatio domus notabilis, A. 1740 Menſe Januario in urbe Petropolitana ex glacie, una cum ſupellectile ibi reperiunda, exſtructæ, aliquot obſervationibus, tum de frigore generatim, tum de eo ſpeciatim, quod eodem anno per totam Europam deſæviit, aucta, & in uſum eorum, qui Hiſtoria naturali delectantur, edita, a GEORGIO WOLFFGANGO KRAFFTIO, Academiæ Scientiar. Imperialis, quæ ibidem eſt, Socio, & Prof. Phyſ. P. O.

Petroburgi, ex officina Academiæ Imper. Scient. 1741, 4 maj.
Plag. 4, Tabb. æn. 6.

Digna omnino nobis artificioſa hæc domus videtur, cujus conſtructionem Cel. Autor eleganter explicet, pluribus-

que tabulis æneis repræſentatam, publico omnium conſpectui exponat. Parum adhuc artem ſuas in glacie vires periclitatam eſſe, conſtat, ſi ab orbibus feneſtrarum, poculis, aut vitris cauſticis, inde confectis, diſceſſeris, ſive quod digiti mox a gelu obriguerunt, ſive quod in ornanda materia, mox peritura, oleum & opera perdita eſſe videbantur. Neque tamen his ex cauſis, omittendum omnem hunc eſſe laborem, Noſter opinatur, quoniam fortaſſis præter ſpem opinionemque aliquid, quod minime exſpectaveras, elaborari, vel ſaltem facies earum rerum, quæ in aliis mundi corporibus firma ſtabilique duratione haud dubie perpetuari ſolent, nobis ante oculos conſtitui queat. Propter graviſſimam enim frigoris vim omnis in Saturno aqua, ſi qua adeſt, in duriſſimum marmoreum ſaxum, & non niſi vehementiſſimo igne colliquandum, inde ab antiquiſſimis, & ipſius *Saturni*, temporibus concreviſſe, &, ſi qui in iſto planeta inveniuntur, incolæ ex iſto ſaxo ſuas conſtruere ædiculas, videntur. Domum ejusmodi, amœnitatis voluptatisque cauſa conditam, columnas omnibus ornamentis decoratas, aliaque monumenta, qualia in Saturno fabricari queunt, contemplandi, occaſionem commodam rigidiſſima anni 1740 hiems nuper ſuggeſſit. Præterquam enim, quod Lubecæ leonem, & circa illum munimentum, tormentis inſtructum bellicis, militem, & tuguriolum militare, ex glacie conſtruxerunt, Petroburgi, conſilio Illuſtris *Tatitſchtſchevii*, Clavigeri Imperialis, ſumtibusque Auguſtiſſimæ Imperatricis *Annæ*, tum adhuc ſuperſtitis, primum in glacie, quæ Nevæ flumen obduxerat, deinceps vero, hac onus non amplius ſuſtinente, in ipſa urbe, domus 56 pedes Londinenſes longa, ex fruſtis glaciei, in formam quadratam exaſciatis, & Architecturæ ornatu quolibet inſtructis, beneficio aquæ mox congelantis, & ſolidiſſimi cæmenti loco adhibitæ, compoſita, & tam nitide perfecta fuit, ut ex marmore præſtantiſſimo, quin imo, propter glaciei perſpicuitatem, & colorem ſubcœruleum, ex nobiliori adhuc lapide, coaluiſſe, & propter incredibilem ſuam pulchritudinem raritatemque, ve longiori duratione, vel plane æterno inter aſtra, inprimis in Saturni orbem, receptu, digna eſſe videretur. Ad eam itaque accu-

accuratius introſpiciendam, illi, quibus tam exquiſitum artis opus ſuis oculis cominus uſurpare non licuit, præſtantiſſimum nunc ducem in Cel. *Krafftio* nanciſcuntur, qui & ipſius domus ichnographiam pariter atque orthographiam, cum omnibus ornamentis, cancellis, tormentis, iterum iterumque explosis, ex quorum uno ſigillatim aliquando ope pulveris pyrii globus ferreus tanta vi, ut afferem, intervallo 60 paſſuum poſitum, duosque digitos craſſum, penetraret, projectus fuit, mortariis, quibus in bello ad pilas igneas jaciendas utuntur, hisque ejus conditionis, ut ſæpius pilæ ferreæ ex iis exploderentur, quibus propellendis vix quarta pars libræ pulveris pyrii par erat, delphinis, ac pyramidibus, & ambulacrum tecti, frontiſpicium, feneſtras, ſcalam, conclavia, menſas ſellasque, cubile, caminum, ſcrinium, & plurimam aliam ſupellectilem, & elephantem, & balnearium Ruſſicum, ab utroque domus latere poſitos, hæcque omnia, & plura alia, ex mera glacie confecta, accurata enarratione exponit juxta, ac nitidiſſimis iconibus illuſtrat. Quodſi præter voluptatem, quam conſpectus hujus ædificii attulit, & aliquam ejus utilitatem conſectemur, id, inſtar experimenti phyſici, clare nos manifeſtoque convincit, non eſſe ἀδύνατον, ut ſub gelu acutiſſimo ex glacie ædes conſtruantur, ejusque partes, ex quibus conſtat, affuſa aqua ſubito coagmententur, ut glacies tornetur, perforetur, exaſcietur, coloribus diſtinguatur, allita naphtha accendatur, exploſionem pulveris pyrii, nulli prorſus laminæ ferreæ incluſi, ſine diſruptione ferat. Cum etiam multum omnino interſit, hiemes graviores prænoſcere; id quamvis videatur adhuc longe difficillimum, non inutile tamen ad qualemcunque conjecturam fore, Autor exiſtimat, ſi hiemes longe acutiſſimæ ex Hiſtoria diligenter annotentur, &, num quo certo ordine ſe invicem ſecutæ fuerint, diligenter attendatur. Speciminis loco Noſter ex veteri recentiorique Hiſtoria repetit frigus annorum ante Chriſtum natum 177, poſt Chriſtum vero natum 443, 605, 670, 717, 764, 801, 821, 823, 859, 992, 1125, 1334, 1400, 1608, 1709, & 1740, extraordinarium, &, ſubductis quibusdam rationibus, inter ejusmodi hiemes, triginta & plures citer

citer annos ſemper interceſſiſſe, qualitercunque conjectat. Ad extremum, commemoratis aliquot experimentis, præterita hieme acutiſſima anni 1740 inſtitutis, Tabulam ſubnectit, quæ dies illos, quibus ſummus ſæviſſimi illius frigoris in urbibus aliquot præcipuis gradus obſervatus fuit, uno velut obtutu exponit. Quemadmodum vero dies ſtilo veteri deſignantur; ita, reductione ad Thermometrum *Farenheitianum* facta, gradus indicati ubique infra 0. fuiſſe intelliguntur. Tabula autem ita ſe habet:

	Frigus maximum	Gradus
Gedani 1739 Decembr.	30	10.
Francofurti	30	46.
Hamburgi	30	8.
Hagæ Comitum	30	9.
Harlemi	31	1½.
Vitebergæ	31	10.
Petropoli A. 1740 Jan.	25	30.
Berolini	27	9.
Upſaliæ Febr.	5	18.
Baſileæ	14	4.
Lipſiæ	14	20.
Vinariæ	14	11.
Londini ſine die		8.

FIGURA TELLURIS, DETERMINATA PER obſervationes Dominorum DE MAUPERTUIS, CLAIRAUT, CAMUS, LE MONNIER, Acad. Reg. Scient. Pariſ. Socior. & Domini Abbatis OUTHIER, dictæ Academiæ a commercio epiſtolico, comitante Domino CELSIO, Profeſſ. Aſtronom. Upſal. factas juſſu Regis Galliarum Chriſtianiſſimi ad Circulum polarem arcticum, Autore DE MAUPERTUIS, e cujus idiomate Gallico in Latinum transtulit, notisque proœmialibus auxit,

ALARICUS ZELLER, Med. Doct. Conſil. & Archiater Wolfenb.

Lipſiæ,

Lipſiæ, literis Breitkopfianis, 1742, 8.
Plag. 13, cum Tab. æn. 10.

Ex Gallica, eaque prima, libri hujus præſtantiſſimi editione jam tum ea communicavimus cum Lectore, quæ ſcire, ipſius intereſſe videbatur. In præſenti de acceſſionibus pauca ſunt edifferenda, quas Cl. Interpres & Commentator in hac editione Latina ſuppeditavit. Stilo uſus eſt ipſe, qualem Philoſophi ac Mathematici ætate noſtra adhibere conſueverunt, planiore ac lucidiore, quam puriori. Notæ procœmiales attentione lectoris ſunt dignæ. Eis enim vel nonnulla illuſtrantur, vel dubia, paſſim ſubnata, proponuntur modeſte. Elogiis inter hæc invidendis Interpres concelebrat itineris ſocios, ac præcipue Cel. *de Maupertuis*. Quod autem obſervatoribus haud liceat ultra latitudinem 66 graduum ad polum arcticum accedere, quæ illius fuit ſententia, Noſtro vix fit probabile. Notum enim eſt ex *Gerardi de Veer Deſcriptione itinerum*, a Batavis A. 1595 & 1596 verſus boream ſuſceptorum, reperiſſe hos frigus ſub 80 graduum latitudine multo tolerabilius, quam ſub gradu 66. A granis flaveſcentibus, milii magnitudine præditis, adeoque in Lapponia alicubi numeroſis, ut ipſa lacum integrum cooperirent, disjungit Noſter muſcarum chryſalidas, credens potius, grana lenticulæ paluſtris ſubfuiſſe. De inventō, quod *Bradlejo* tribuitur, ejusque theoria, pauca annotavit. Perſuaſit ſibi *Bradlejus*, demonſtratam jam & evictam eſſe opinionem ſtatuentium, motum radii lucidi ad placita *Newtoniana* eſſe menſura numerisque determinandum. Primus mentionem phænomeni fecit *Rœmerus*, cum, emerſiones intimi ſatellitis Jovialis minutis 15 vel 16 ſerius, quam tabulæ *Caſſinianæ* præſcripſerunt, interdum contingere, animadvertiſſet. Intercedit theoriæ *Bradlejanæ* Noſter hunc in modum. Notat primo in ratione argumentandi nævum, ſiquidem ab obſervationibus ad tabulas condendas vel emendandas progrediendum eſt, non viciſſim. Deinceps autem ita judicat: *Negotium univerſum manifeſte pendet a parallaxi telluris annua, unde evenit, ut ab oppoſitione Jovis & Solis ad ultimam Quadraturam emerſiones ſatellitum anticipent, decreſcente tamen*

acceleratione; ab ultima Quadratura ad conjunctionem ſemper poſtponant, creſcente retardatione; a conjunctione ad primam Quadraturam adhuc poſtponant, ſed decreſcente retardatione; a prima Quadratura ad oppoſitionem anticipent, & quidem creſcente acceleratione. Oſtendit præterea, teleſcopiis, quibus vis multiplicatoria ineſt ſatis magna, interdiu, ſole ſplendente, ſtellas obſervari poſſe fixas. Addit hæc: *Spectavi egomet A. 1739 d. 11 Nov. per tubum ſeptempedalem, diametros 246 vicibus amplificantem, una cum ſole ex altero quidem latere ☿, ex altero ♂ & ♀, quorum nullius diameter apparens tria ſuperabat ſecunda.* Notat accurationis ipſe defectum, in reducendis ad minuta & ſecunda revolutionibus partibusque micrometri, ſiquidem mediationem adhibuerit Cel. *de Maupertuis*, ubi illi haud ſit locus. Ad *pag. 117 edit. Amſtelod.* hæc annotat. Pro

Revol. part.

2 37 30 — 1 25, 8

aſſumi debent e tabula 2 30 ad 2, 45 = 20, 23, 6, calculusque ſequentem in modum eſt adornandus:

Revol. part. Revol. part.

20, 23, 6 : 15 = 1, 25, 8 : 19 52

quæ a 2 37 30 ſubtracta relinquunt — 2 36 20 + 48 & pro 1 37 30 + Rev. 1 part. 40, 6, e Tabula inquiri debent 1 30 ad 1 45 = Rev. 20 part. 23, 2. Unde ſequens emergit calculus:

Revol. part. Revol. part.

20, 23, 2 : 15 = 1, 40, 6 : 1 24, 30.

quæ 1, 37 30 addita conficiunt — — 1 38 54, 30.

ita per ſubtractionem minoris a minore 2, 36, 20, 48.

remanebunt 57, 26, 18.

Monet poſthæc nonnihil ad calculum *pag. 133, 134*, additque tandem:

tandem: *Calculus noſter prior a calculo Autoris non niſi* 1″′ 12″″ *deficit, poſterior non niſi* 9″′. Mediationes, Aſtronomis uſitatas, haud probat, cauſatus, *incertum eſſe, utrum altera extremarum obſervationum abundet, altera deficiat; quin facillime contingere, ut vel abundet utraque, vel utraque deficiat. Inſignem*, monet porro, *gratiam iniiſſet Cel. Autor apud omnes harum rerum peritos, ſi teleſcopii ſui, uti longitudinem deſignavit, ita vires etiam multiplicatorias annotaſſet. Niſi enim vis tubi multiplicatoria æqualis exſtiterit illi miſcroſcopii examinatoris, vel certe non multo inferior, vana erit omnis illa laudatiſſimi inſtrumenti exactitudo, & illud quadrabit effatum Caſſini ad Hevelium, diviſionem gyrationum in ipſius micrometro vix utilem futuram, aſſerentis, quoniam in ipſarum praxi revolutiones etiam integræ ſint inſenſibiles. Receptum quidem eſt apud Aſtronomos, in deſcribendis Obſervationibus annotare tubi longitudinem; verum iſta ſola non ſufficit. Poteſt enim adornari tubus duorum vel trium pedum, cujus virtus multiplicatoria illam tubi trigintapedalis longe poſt ſe relinquat. - - Poſſum adornare tubum quatuor vel quinque pedum, qui integrum Solis Lunæve diſcum una cum margine adhuc ſatis largo ſpectandum exhibeat cum multiplicatione* 100. 200. 300. *immo* 1000 *pla. Experiantur ingenii vires, quibus hæc credibilia non videntur.* Repudiat præceptum Opticorum, qui ad *Hugenii* mentem æſtimant virtutem tubi multiplicatoriam in ratione objectivi vitri ad oculare, quod manifeſte falſum eſt, locumque non obtinet, niſi in multiplicationibus admodum exiguis. Meminit ejus rei jam olim *de Chales Dioptr. Lib. II Prop. 54*, ſed nec ipſe verum atque genuinum fundamentum aſſecutus. Miratur Autor, cur obſervatores ſpectarint ac dimenſi ſint diverſis Quadrantibus Arcturum & Polares ſtellas. Notat Aſtronomorum Gallicorum obſervationes diſtantiarum ſtellæ polaris a Zenith in Tornea, indicans, ſuperari ſecundam a prima 5″, tertiam a ſecunda 3″, hanc iterum a quarta 6″, & quin-

quintam a quarta $3''$. Differentiam hanc a refractionibus ortam fuiſſe, ſuſpicatur. Aſſumſit Cel. *de Maupertuis* obliquitatem Eclipticæ $23^{\circ}\ 28'\ 20''$, quam putarunt eſſe majorem *Wurzelbau* & *Hiræus*, immo *Louvillius* mutabilem eſſe exiſtimavit. Addit, leges refractionis obſervandæ nondum omnes patere. Injucundum ipſi eſt, obſervationes Jovis, ſatellitumque ejus, immo Saturni, ejusque comitum, a ſummis viris in Lapponia fuiſſe neglectas, e quorum deliquiis longitudines locorum potuiſſent exquiri. Nec tamen ipſe laudibus, quæ meritis Cel. *de Maupertuis* debentur, vult quidquam detractum, ſed potius eruditionem illius, peritiam, ſagacitatem, prudentiam, labores exantlatos, & merita in rem non minus publicam, quam literariam, agnoſcit publice & veneratur.

INTRODUCTIO IN ARTEM INVENIENDI, ſeu Logicam Theoretico-practicam, qua Analytica atque Dialectica, in uſum Auditorum ſuorum, methodo iis commoda proponuntur a JOACH. GEORG. DARIES, Phil. & J. U. D. & Ampliſſ. Ord. Phil. Adjuncto.

Jenæ, impenſis Chriſt. Franc. Buchii, 1742, 8.
Alph. 2 plag. 11.

Promiſerat jam A. 1737 Cl. Autor Operis hujus editionem. Tandem datam fidem ſolvit præmeditate. In Præfatione præmiſſa it demonſtratum, Logicam eſſe artem characteriſticam combinatoriam. Quæ de conſequentiis immediatis expoſuit, maximam partem ſua vocat. In præcognoſcendis telam exorſus fuit a principio contradictionis excluſæ. In fine Præfationis oſtendit, mundum, quatenus ab Ill. *Wolfio* definitur, non eſſe machinam. Monet porro, ſeſe dubitare, an ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ cum principio rationis ſufficientis, atque cum principio libertatis, conſiſtere poſſit. Dubitationis hujus fundamenta a ſeſe in Metaphyſica corroboratum iri, promittit.

Titulos

Titulos mathematicos haud appoſuit propoſitionibus ſingulis, ne denuo cenſuram Cl. *Ludovici* mereretur. In præcognoſcendis expoſuit principia omnium cognitionum generaliſſima, facultates animæ in cognoſcendo, criteria veritatis & certitudinis, cogitata de philoſophia, ejusque partibus, ac de methodo philoſophica, nec non de natura Logices, ejusque conſtitutione. Logicæ ſtatuit partes duas, unam analyticam, alteram dialecticam, ſeu Logicam probabilium. In analytica diſſeruit de regulis inveniendi veritates propria meditatione. Hic egit de regulis inveniendi rerum notiones atque definitiones, de conſtitutione cognitionis ſymbolicæ, de regulis definiendi, de modo formandi rerum notiones atque definitiones tum a poſteriori, tum a priori, nec non de diſtinctionibus atque diviſionibus logicis. Hinc progreditur ad regulas inveniendi judicia intuitiva & diſcurſiva per conſequentiam immediatam ac ſyllogiſmos ordinarios, ad regulas inveniendi demonſtrationes, & ea, quæ ſpectant eodem. Tum procedit ad regulas inveniendi veritates ex aliorum ſcriptis, ſeu ad Hermenevticam generalem. Logicam probabilium diſpeſcuit in tres ſectiones, quarum prima exponitur de probabilitate, ejusque inveſtigatione generatim, ſecunda de regulis propria meditatione inveniendi veritates dialecticas, ac tertia de probabilitate hermenevtica. Hæc libri eſt ſumma, hoc ejus eſt argumentum. Rationem ſufficientem a patribus noſtris dictam fuiſſe *cauſam virtualiter cauſantem*, largitur. Omnes, qui rei inſunt, modos pertinere ad characteres, rei contingentes, ſolide demonſtrat. Qui itaque Deo præſcientiam futurorum moraliter contingentium demunt, illi eum reddunt Deum dividuum, ejuſque ſimplicitatem & immutabilitatem omnem, quaquaverſus patentem, evertunt. Dividunt enim ipſi Deum in immutabilem & mutabilem, in eum, qui rationem ſufficientem actionum ſuarum partim in ſeſe, partim extra ſeſe, habet. Componunt itaque ipſi Deum ex *A* + & *A* — id eſt, ex contradictorie oppoſitis. An compoſitio ejusmodi Deo ſemper exiſtente ac perfectiſſimo ſit digna, judicent alii. *Riedelii* demonſtrationem, unico principio juris naturæ ſtabiliendo accommodatam, repudiavit Cl. Autor.

Pag. 20. 35. 119.

Pag. 160. Propoſitionum identicarum uſum evicit. Oſtendit, dari cognitionem philoſophicam de rebus theologicis, juridicis, me-
171. dicis, agrariis, aliisque. Ill. *Wolfii* definitionem, de philoſophia generatim datam, demonſtravit eſſe ſolidam. Omittimus reliqua. Id unum monemus, præcognoſcendorum tractationem æqualem eſſe operis parti quartæ & ultra. Sententiis vel expoſitis, vel comprobatis, paſſim Autor corollaria & ſcholia ſubjecit. Id potiſſime allaboravit, ut principiis regulisque utatur univerſalibus paucisque, ut exercitium reddatur facile & expeditum. Methodo inhæſit apodictice, ſtiloque uſus fuit philoſophico potius, quam *Ciceroniano*. Primordia cepit a regulis inveniendi rerum notiones, primoque loco de conſtitu-
222. tione cognitionis ſymbolicæ expoſuit. *Generatio entis ſimplicis* ex judicio ejus terminorum conjunctio eſt inanis. De *Terminis* fixis & vagis ſolide commentatur, nec negligit Scholaſti-
273. corum de *Terminis* diſtinctiones. De arte characteriſtica &
290. combinatoria nonnihil intexuit. *Voces barbaras* vocat eas, quæ ſubſtituuntur aliis, in lingua quadam receptis præter neceſſita-
294. tem. *Definitionem* docet eſſe notionem plene diſtinctam, ſymbolice expreſſam. Varia, quæ ad definitionis argumenta ſpectant, diſtinctius aliis evolvit momenta. Diſtinctionem rerum
342. in nude & cum relatione tales paſſim utiliter adhibuit. Vocem *Hunds-fod* explicat per *caninam proleu*, ſiquidem *föden* olim fuerit idem ac *φυτεύειν*, *gignere*. Adde, *φυτευτήριον*, *arvum genitale*, ab Ebræis quoque dici ילד, & Germanos exinde denominaviſſe id inſtrumenti, quo ſati fuerunt animoſus Achilles & Hector. Nec dubitandum eſt, bona, generationi annexa,
345. olim ex communi fonte dicta fuiſſe *föde*, ſeu *feoda*. Definitiones geneticas & reales Cl. Autor ex circulo definitionum denuo ejecit, ſiquidem illæ ſint problematum ſolutiones, ac
360. de poſſibilitate definitionum demonſtrationes. Modum, quo characteres notionum conſtantes a mutabilibus ſecerni poſſunt, diſtincte demonſtrat. Solide duo reſolvit problemata, quo-
375. rum eſt prius: *Dato definito, inveſtigare rem, re, quam definitum exprimit, inferiorem in gradu primo.* Poſterius autem ſic habet: *Dato definiti cujusdam genere proximo, invenire illius differen-*

differentiam ſpecificam. De prædicamentis ſuccincte, ſolide, & utiliter, exponit. In doctrina, ad diviſionem ſpectante, dichotomias *Ramiſtarum* laudat logicas. Nova appellari poteſt *Pars II*, quæ *Dialecticam*, ſeu *Logicam probabilium*, exhibet. Laudat ſtatim conatus & ſpecimina *Wilhelmi Pettii*, *Halleji*, *Nicolai Bernoulli*, *Jacobi Bernoulli*, *Raimundi de Monmort*, *Rüdigeri*, *Euſebii a Mort*, ac *Lud. Mart. Kahlii*, quem hujus *Euſebii* vocat interpretem. *Rüdigerianas* de probabilitate expoſitiones falſis probabilium notionibus ſuperſtructas eſſe, oſtendit. Poſitiones *Euſebii a Mort* putat minus ſufficienter fuiſſe evolutas. *Kahliana* cenſet eſſe magis evoluta. Ipſe autem affert ea, quæ magis ſunt evoluta, magis generalia, ideoque faciliora. Probabilis, judicio ipſius, eſt cognitio noſtra, ſi quid verum vel falſum eſſe cogitamus ob rationem, quæ magis ad rationem ſufficientem accedit, quam ab eadem recedit. Cognitio dubia eſt, ſi illa ratio a ſufficiente tantundem recedit, quantum accedit. Si ipſa plus recedit, quam accedit, cognitio dicitur improbabilis. Probabilem æque ac improbabilem dividit tum in abſolute, tum in relative, talem. Probabilitatem dividit in eam, quæ eſt *notionum*, vel *propoſitionum*, ac utramque porro partitur in *hermenevticam*, atque *ſimpliciter ſic dictam*. Probabilitatem propoſitionum rurſus diſtribuit pro diverſitate propoſitionum. Hæ enim ſunt vel theoreticæ, vel practicæ. Addidit præterea regulas inveniendi hypotheſes philoſophicas, ſeu reſolutiones problematum probabiles. Hypothèſin harmoniæ præſtabilitæ denuo appellat falſam, eo quod inde exponi haud poſſint 1) ſenſiones, & 2) ſenſionum conſecutiones. De ſenſionibus, extrinſecus advenientibus, ſermo eſt. B. *Reinbeccium* eadem jam monuiſſe, meminimus. Redeunt hic omnia ad numerum requiſitorum veritatis, vel obviorum, vel deficientium. Cum vero ſæpius uni requiſito plus ponderis inſit, quam tribus vel quatuor aliis, ideoque requiſita illa crebro magis ſint ponderanda, quam numeranda, non numero ſolum, ſed vi quoque & pondere, dimetienda eſt probabilitas & improbabilitas. An hujus momenti ubique Cl. Autor rationem habuerit, ipſe omnium optime arbitrabitur. Noſtrum eſt, di-

Pag. 411.
779.
781.
801.
835.

ligentiæ ipſius, ad ſcientias perpoliendas accommodatiſſimæ, meritisque honorem habere.

Grund, Einfalt und Hoheit der Gnugthuung JEſu Chriſti, ꝛc.
id eſt,
FUNDAMENTUM, SIMPLICITAS, ET EXCELlentia, ſatisfactionis Chriſti. Ad incrementa in cognitione Chriſti concinnavit, & annotationibus, illuſtrationem juvantibus, inſtruxit, D. R. R. M. E. S.

Dantiſci, apud Georgium Marcum Knoch, 1743, 8. Plag. 19.

Cogitata hæc debentur animo anxio, dubitationibusque excruciato, qui doctrinam, de ſatisfactione Chriſti vicaria inſcribi ſolitam, amplectitur, nec tamen, eam a contradictione eſſe immunem, inficiari ſolide valuit. Comparavit ille inter ſeſe hæc pronuntiata: *Chriſtus ſibi imputavit peccata noſtra tanquam ſua; Chriſtus peccatis omnibus vacat.* Acquieſcere haud potuit idem in regula illa pervulgata: *Volenti non fit injuria*, quam Cl. *Jacobus Carpovius* in Comment. *de Imputatione Cap. 3 Theor. 29 §. 183 ſeq.* huc traduxerat, provocans ad *Exod. XXXII, 32, Philem. XVIII, 19, Pſ. XL, 9.* Sponſio enim *Moſis* pro civibus ſuis, Deo oblata, haud fuit rata habita, *Exod. XXXII, 33. Paulus* obtulit ſeſe debitorem vicarium in negotio civili. Ipſe etiam Cl. *Carpovius* dilucide §. *176* ita docuit: *Factum phyſice alienum fit per conſenſum moraliter proprium, nec modo alio.* Nobis vero haud pateſcit, hanc *Carpovii* ſententiam ſtare haud poſſe cum illa: *Volenti non fit injuria.* Conſenſio enim in factum phyſice alienum eſt voluntatis ſpecies. Dum Chriſtus ſibi imputavit peccata noſtra, ipſe non conſenſit in peccata ab hominibus facta, multo minus ea approbavit, ſed conſenſit in ſuſtinendam pro peccatis hominum commiſſis ſatisfactionem, agendo patiendoque præſtitam; & eatenus illa ſibi imputavit. Vindicatum ivit ſeſe Cl. *Carpovius* in calce

P. III Disquisitionis de Stamine humanitatis Christi. Arduum hoc est argumentum. Laudandus itaque est Autor, qui illi evolvendo & illustrando sese accinxit. Legerunt Commentationem ejus Theologi solidi haud uni, quorum monitis Autor reliquit locum. Vicinus ipsi Theologus, meritissimus de ecclesia nostra, approbavit eam, annotationibusque illuminavit Latinis, quæ in Germanicum conversæ, simulque hic formis publicis descriptæ fuerunt. Telam tractationis exorditur Autor a respectu & habitudine mundi ad Christum. Ostendit, Christum ab æterno prævidisse mundum, eventis in eo & ornatum, & peccatis corruptum; ipsumque ab æterno sapientissime peccatis vel tolerandis, vel delendis, remedium adhibere statuisse. Inde collegit, mundi hujus creati & conservati rationem sufficientem existere in Christo, qua & Deo & θεανθρώπῳ. Per ipsum, δι' αὐτοῦ, omnia esse facta, docemur *Jo. I, 3, Hebr. I, 2, Col. I, 16, Eph. III, 9, 1 Cor. VIII, 6.* Perspicua sunt illa *Col.* Pag. 8. 11.
I, 16: Ἐις αὐτὸν ἔκτισται πάντα. Conf. *Col. III, 11. Logon* non fuisse nudum creationis instrumentum, negat Autor, inductus locis *Col. I, 15, Jo. XVII, 5.* Principium rationis sufficientis a nonnullis suspectari, dolet. Per λόγον Jesum designari existimat illum, in quo sita est ratio creati mundi. Exponit locum *Prov. VIII, 22 - 31.* Per hominem illum, ob quem Deus telluri haud amplius erat male dicturus *Gen. VIII,* 17.
21, cum B. *Rambachio*, designari Messiam, credit. Improbat Annotator formulam, quæ novis nuptis, fidem conjugalem ineuntibus, prælegitur: *Audite porro calamitatem, quam Deus matrimonio imposuit.* Permissionem & tolerantiam peccatorum 28.
a nemine exponi posse extra doctrinam de satisfactione Christi, uterque negat, fassus, ob sapientissimum Christi scopum angelos omnes fuisse conditos, *Col. I, 13.* Diabolos tamen haud tolerari ob satisfactionem Christi, idem monet, fassus simul, sibi esse incompertum, cur diaboli ob λόγον conserventur. Annotator observat, peccatum esse generatim libidinem, imperfectioni intentam. Qui eam admittit, vel ratam habet, ei culpam peccati tribuimus. *Perfectum* est Autori optimum, Annotatori utilissimum, nobis id, quod maxime congruit infinitis

realitatibus. Deus mundo nondum condito profuit, bonitatem phyſicam moralemve nemini exhibuit; nihilo minus fuit perfectus, id eſt, realitatibus infinitis fœcundus & præditus.
Pag. 40. Oſtendit Autor, Deum eo ordine cuncta condidiſſe, quo priora poſterioribus poſſent inſervire. Mundum uſui angelorum creatum fuiſſe, in ſacris literis doceri, negat. At nonne & angeli tam ex mundo, quam ex myſteriis Chriſti, anſam capiunt venerandi perfectiones Dei? Originem mali Autor accurate aperit. Hominem peccatis deditum dici *carnem*, id eſt, belluinum, exiſtimat.
48. Malum morale ſitum eſſe oſtendit in electione boni ſingularis, poſtpoſito bono univerſali. Σῶμα πνευματικὸν eſſe illud arbitratur, quod ſpiritui obſequitur; ψυχικὸν, quod motibus involuntariis obedit. Juſtitia ipſi eſt immunitas a culpæ reatu. Culpa exiſtit ex legis omiſſione, vel violatione. At Deus eſt juſtus, nec tamen ipſe legibus eſt obnoxius. Bonum apparens Autor definit per indeliberatum bo-
55. num ſingulare. Permiſſionem mali moralis divinam ſtabilit, Deoque præſcientiam infinitam tribuit. Niſi lapſus fuiſſet inſecutus, hominem ſibi ipſum futurum fuiſſe legem, nec lege
59. revelata indiguiſſe, putat. Ad legem poſitivam πειρασικὴν id videtur haud quadrare. Leges Dei eſſe mera conſilia, merito idem inficiatur. Rationem, cur Deus malum permiſerit,
62. quærit in gloria λόγῳ, nec tamen, fundamentum id penitus in hac vita perſpici poſſe, largitur. Meſſiam tuliſſe leges in monte Sinai, oſtendit. Quam ob cauſam idem ſit judex ſecundum divinam & humanam naturam, definit. Notionem pœnæ exponit. Pœnis per ſeſe conſideratis, peccatorem ſatisfacere
77. poſſe juſtitiæ divinæ, merito inficiatur. Præmia eſſe in vita æterna tandem deſitura, docet. Angelos, in bono confirmatos, ſubeſſe præmiis pœnisque, negat æque ac illud, Jeſum eſſe angelorum bonorum judicem. At electio ipſorum, & eorundem confirmatio, eſt ipſum conſtantiæ ipſorum, exempla
84. pravorum angelorum averſatæ, præmium. Iram & vindictam dignoſcit. Vindicta in eos expromitur, qui aliorum læſionem in libidine habent. Continuata hac libidine, haud ceſſat vindi-
89. cta, ut libido illa fiat amara & ingrata. Hinc efficitur cogiturque,

turque, diabolos, libidine lædendi perpetua degeneres, perpetuis pœnis vindicibus affectum iri. Deum lædi a peccatoribus qua talibus, ſolide demonſtrat Autor. Μετάνοιαν, decet, eſſe transmutationem libidinis pravæ in libidinem bonam. Eam pendere ex invitamentis moralibus, non fluere ex violenta naturæ converſione, addit. Internum vindictæ ſcopum declarat egregie, ab aliis nondum debite evolutum. Sempiternas diabolorum poenas ſolide propugnat. Homini nulla in Deum eſſe merita, excellenter oſtendit. De amore puro diſputat haud inſcite. Id, quod Deus ex promiſſo dat, a præmio diſtinguit. Gratiam evangelicam, quam Chriſtus peperit hominibus etiam malis, pravamque vitam viventibus, ſolide exponit. Μακροθυμίαν, quam Deus ob Chriſti promerita in hac vita hominibus exhibet, eisque ſæpius malis præſtat, curate deſcribit & evolvit. Ut ſatisfactionem Chriſti vicariam firmo ſuperſtruat fundamento, nil intentatum relinquit, præmittit potius ſeriem ſententiarum. Ex ſolo pœnarum metu neminem reſipiſcere per ſeſe ex animo, ideoque gratiæ locum eſſe factum, monet. Nec tamen ob gratiam lex tolli poteſt. Satisfactione idcirco opus eſt vicaria. En ſententiam: Imputatio alienorum peccatorum eſt declaratio, illa fuiſſe habita rata e. g. non puniendo, & peccatorem emendando, licet non approbando. Imputatio illa vicaria, qua Chriſtus ſibi hominum peccata imputavit, non id ſignificat, Chriſtum ea ſuſcepiſſe in ſeſe ut ſua. Luenda ſuſcepit illa, non ut ſua, ſed ut aliena. Ipſe enim immunis manſit a peccatis propriis. Hoc pronuntiatum ab Autore demonſtratur quam ſolidiſſime. Exponit deinde dictum *Gal. IV, 4, 5.* Pœnam, legibus homini præſcriptis ſtatutam, Chriſtus poteſt legitime & judicialiter tollere, at peccatum approbare non poteſt. Hanc ob rationem pœnam in ſeſe derivavit luendam. Perpetuitatem pœnarum, diabolis & damnatis irrogandarum, ſolide propugnat Autor. Gratiæ divinæ univerſalitatem a D *Joachimo Langio* præclare ſolidiſſimeque demonſtratam fuiſſe, pronuntiat. Peccatis imminere & conjunctas eſſe pœnas ſempiternas, hasque Chriſtum luendas ſuſcepiſſe, oſtendit. Exponit dictum *Rom. III, 24-26.* Multus eſt in conciliandis

Pag. 92.
112.
136.
142.
145.
151.
155.
159.

ciliandis duobus pronuntiatis: uno, Chriſtus ſibi imputavit peccata hominum ut ſua, nec tamen ſua; altero, Chriſtus pec-
Pag. 169. cata haud admiſit. Doctrinam, de ſatisfactione Chriſti vicaria
177. pervulgatam ac commemorabilem, juſtis vindicavit & confirmavit armis. Sacrificiorum originem ex ingenii humani inventis pendere, inficiatur. Obedientiam Chriſti activam ſpectare putat ad ejus ſtatum, quem *exinanitionis* appellamus. Quæri-
183. tur, an Chriſtus loco obedientiæ, per nos divinis legibus præſtandæ, illam ſuam obedientiam interpoſuerit. Reſpondet Autor non penitus affirmando. Videtur hoc momentum clariori luce illuſtrandum eſſe. Veremur enim, ne diſtinctio illius, in
186. reſpondendo adhibita, ſit juſto brevior, nec ſatis evoluta. Idem vero accurate it comprobatum, redemtorem generis humani non niſi θεάνθρωπον eſſe potuiſſe. Nervoſe oſtendit, homi-
198. nes haud alia ratione potuiſſe redimi. Expromiſſionem Chriſti ita exponit: *Ipſe judex per judicialem poteſtatem ſupremam liberavit, liberumque pronuntiavit reum, culpæ adſtrictum, & ex ſapienti libertate debitum pœnamque loco illius expromiſit ita, ut pro illo ſuſceperit pœnam. Quare fundamentum hujus expromiſſionis haud in eo conſiſtit, quod ipſe ſimul peccator ſimulque reus ſit factus; ſed quod eum, qui in culpa fuit, ac delicta admiſit, impertivit gratia delicti, pœnaque immunem pronuntiavit.*
204. Meritum Chriſti, ex ſatisfactione ejus vicaria profluens, ediſſeruit ſuccincte. Addidit haud trilatitia de manifeſtata Chriſti ſatisfactione per ipſius ſtatum, quem *exaltationis* vocamus. Li-
211. ceat vocem ἠυχόμην *Rom. IX, 3*, reputare pro imperfecto indicativi, non pro optativo *pag. 200.* Autor in locis *1 Petr. III, 18, Rom. I, 4,* & *1 Tim. III, 16*, per *ſpiritum* credit deſignari ſpiritum ſanctum, ob *Rom. VIII, 11.* Quomodo Chriſtus per ſa-
230. tisfactionem vicariam ſuam impiis quoque multa dona conciliaverit, declarat. Terminiſmo, dudum ſepulto, haud favet, rationibus clariſſimis noviſque inſtructus. Πεῖρασιν ſpectare ad mortalium unosquosque, contra *Joannem Coccejum* monet.
235. Chriſtum ſibimet aliquid per expiationem meruiſſe, merito ne-
258. gat. Ignem expurgatorium & Apocataſtatiſmum proſternit. Mundum hunc eſſe optimum, largitur, nec tamen peccatum

eſſe

eſſe mundi optimi partem affirmat. Socinianos & *Dippelium* refellit, uſumque tractationi ſubjungit & piis & impiis convenientem. Longiores ſolito fuimus, eo quod in genus tractationis novum & ſyſtematicum incidimus, quod cum Lectore erat luculentiori recenſione communicandum, ſiquidem plurima & maxima momenta quæſtionis de origine & permiſſione mali moralis Pl. Rev. Autor optime reſolvit. Chriſtum luiſſe peccata hominum qua judicem ſupremum, eo quod impunita illa olim dimiſerit, ipſe videtur paſſim docuiſſe. Liceat nobis profiteri, a ſententia illa nos ſemper fore alienos.

Betrachtungen von Chriſto,
hoc eſt,
COGITATA DE CHRISTO, AUTORE JOANNE PHILIPPO FRESENIO, Prof. Definit. & Eccleſiaſta Gieſſenſi.
Tomus I.

Züllichaviæ, impenſis orphanotrophei, apud Joannem Jacobum Dendeler, 1743, 8.

Alph. 1 plag. 16.

Complectitur *Volumen* hoc *primum* tres conſiderationes, quarum ſingulæ ex ſuggeſtu ſacro Darmſtadii recitatæ, poſtea autem plenius elaboratæ, ſunt. Prima exhibet doctrinam de neceſſitate redemtionis noſtræ, ſecunda offert virtutes redemtori hominum proprias, tertia ſuppeditat demonſtrationem, e Vet. Teſt. depromtam, qua evincitur, Jeſum eſſe Meſſiam. Eidem demonſtrationi quarta quoque conſideratio eſt inſcripta, de qua alias ſeparatim dicemus, licet ea ad *Tomum primum* ſpectet. Philoſophicas meditationes, quæ a B. *Reinbeckio* præmiſſæ ſunt, & ab aliis jam præmitti ſolent, haud admodum attigit Pl. Rev. Autor, ſiquidem Chriſtianis univerſis & Judæis ivit conſultum. Diſſeret poſthæc de Chriſti divina & humana natura, de unione perſonali, de officio ſeu munere ejusdem ſacerdotali generatim, de ſatisfactione ejus vicaria ſpeciatim,

tim, de munere ejus prophetico & regio, de ſtatu exinanitionis & exaltationis, de applicatione munerum ejus, de œconomia ejus in eccleſia patriarchali ad *Moſen* uſque, de œconomia Levitica, ſeu Moſaica, de Chriſtocratia ſub Novo Teſtamento, de pronuntiatis Prophetarum, ad futuram Chriſti œconomiam in hac vita referendis, de œconomiæ hujus exitu, & de regno gloriæ. In hoc ſtadio decurret diligentia & meditatio Autoris, quam ut Deus fauſtitate & gratia ſua impertiat, merito precamur.

Conſideratio *prima* diſtributa apparet in *tria Capita*. *Primo* oſtenditur, neceſſarium fuiſſe, ut homines expiarentur. *Secundo* demonſtratur, neceſſarium fuiſſe, ut homines redimerentur eo modo, quo Jeſus eos redemit. *Tertio* additur uſus harum veritatum perquam ſalutaris. Conſiderationis *ſecundæ* ſunt *tria Capita*, quibus uſus inſtar *quarti* adjungitur. *Capite primo* traditur, exegiſſe redemtionis ſcopum, ut ex exitio noſtro eriperemur, & ad beatitudinem amiſſam revocaremur. *Secundo* oſtenduntur momenta, reſtituendæ hominibus beatitudini admovenda. *Tertio* ediſſeruntur virtutes redemtoris, tanto operi propriæ. Uſus ipſe conſecratus eſt ſoliditati promovendæ, & Chriſtianis confirmandis. Conſideratio *tertia* originem debet æque ac *quarta* orationi ſacræ, quam Autor A. 1732 juſſu Illuſtriſſimi Rheingravii Grumbacenſis habuit Grumbachii, Judæo publice erroribus ſuis renuntiaturo, & baptiſmum ſuſcepturo. Prædicamus jure noſtro miſericordiam & benignitatem Dei, qui in animo Illuſtriſſimi Domini tantum ſalutis Judæorum promovendæ ſtudium excitavit. Quæ Pl. Rev. Autor de modo Judæos lucrifaciendi, & proſelytos erudiendi, in prolegomenis expoſuit, cedro ſunt digna. Suadet ipſe, ut 1) Principes & Domini ſalutem Judæorum ſempiternam curæ cordique habeant; 2) ditiores inſtituto converſionis Judæorum promovendæ opis & adjumenti aliquid afferant; 3) doctores eis iſagogen & demonſtrationem de Jeſu Meſſia ex Hebraico Vet. Teſt. fonte impertiant; 4) Judæos a lacunis Talmudicis & diverticulis Rabbinicis avocent; 5) eos ad diſcendam & legendam Scripturam Germanicam adducant. Addimus merito, ipſos a mercatura ad opificia & artificia honeſta ſenſim eſſe

esse transfe:endos, tributisque gravioribus ac iniquioribus haud premendos, ut ipsi Christianos amare, & a fraudum vagæque vitæ exercitio abstinere, discant. Addimus tandem, opus illud magis ex voto esse successurum, si Theologi ipsi solide de Judæorum multitudine tandem Christo aggreganda ex *Rom. XI* fuerint convicti, & ardentius, quam vulgo fieri solet, gentes, a Christo alienæ, ad hunc adducantur. Sed quid ex eis in ecclesiæ emolumenta sperandum est, qui munus ecclesiasticum pro quæstu & ambitionis pallio habent? Qui aliis ad Jesum convertendis sunt operam daturi, ipsi sint oportet viva corporis Christi membra, ut beneficia Christi venerentur, & divino dissentientium amore inardescant. Laudandus est optimi Autoris conatus, qui proselytis cibo solidiori, eoque alumnis conveniente, consulere contendit per Considerationem tertiam & quartam, quam si proselyti studiose legerint, firmi solidique in doctrina & professione fidei procul dubio reddentur. Adhibuit vero Autor huic scopo expositiones dictorum *Hagg. II, 7-10, Gen. XLIX, 10,* & *Dan. IX, 24-27,* & eorum, quibus *Davidi* perenne promittitur regnum, quibus locus Messiæ natalis designatur. Commentatur de sorte tribus Judæ, qualis ea nunc est. Addit testimonia complurium Judæorum, eorumque subterfugia. Tum vero ex Vet. Test. exponit de persona Christi, de Jesu Messiæ nativitate, de munere Christi expiatorio usque ad ejus mortem & sepulturam, & de *Capite LIII Esaiæ*, de Jesu resurrectione & in cœlos evectione, nec non de missione Apostolorum, ac regni Jesu amplificatione. De reliquo avide exspectamus S. Rev. *Ern. Frid. Neubaueri Hermenevticam Judaicam*, quæ denuo ecclesiæ promittitur in *Consider. III pag. 11.* Promulsidem ejus, ex *Petro Allixio* & supplementis Cel. Autoris hic jam traditam, suscipimus ea, quam meretur, proclivitate. Qui mentem cibo utiliori recreare, nec subtilioribus telis distringere, avent, eis hoc promtuarium non possumus non commendare, dummodo rigidas demonstrationum series nolint sibi exhiberi. De reliquo liceat per *sceptrum a Jehuda haud amovendum* intelligere *sceptrum*, non Judæ, sed *Dei*, qui theocratiam Judæis voluerat propriam; per מחוקק li-

ceat eundem *Deum* venerari, *qui* Judæis *per typos & ænigmata, quaſi per ſculpturas, delineaverat Chriſtocratiam*, ac alibi id nominis geſtat. Formulam מִבֵּין רַגְלָיו de templo Hieroſolymitano capimus ex ſitus geographici deſcriptione, priſco ævo trita. Significat *Jacobus*, theocratiam deſituram eſſe, quamprimum adveniſſet tranquillitatis veræ autor, eique eccleſia, e variis gentibus collecta, aggregari cœpiſſet. Deſiit vero illa theocratia penitus imperante *Flavio Veſpaſiano*. Ergo jam tum venerat Meſſias natus. Habemus hac ratione in *Jacobi* vaticinio Judaicæ theocratiæ finem. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

COMMENTATIO JURIDICO-POLITICO-HISTORICA de Magno Ducali Sigillo Majeſtatis Saxonico, in lucem publicam edita a JO. ZACHARIA GLEICHMANNO, alias HELMONDO.

Jenæ, impenſis Jo. Bernhardi Helleri, 1740, 4. Plag. 8.

Celebratum fuit jam diu in orbe erudito nomen *Gleichmanni*. Ipſe enim A. 1717 Jenæ edidit *Delineationem Juris publici Saxonici, quo Sereniſſima Domus Saxonica præcipue fruitur atque gaudet.* Ibidem anno ſequenti, aſſumto *Clari Mich. Helmondi* nomine, edidit Specimen octavum, ſive *die achte Probe von einer unbetrüglichen Fürſtlichen Macht-Kunſt.* A. 1725 Jenæ emiſit *hiſtoriſche Nachricht von dem Sæchſiſchen Groſſhertzoglichen Majeſtætſiegel*, quod ſcriptum laudatur in *Struvii Bibliotheca Saxonica pag. 1041.* Gothæ A. 1732 edidit ſcriptum *de Procuratura Sacri Romani Imperii, Duci Saxoniæ, tanquam Landgravio Thuringiæ, competente.* Erfurti A. 1734 evulgavit libellum *de ſummis juribus, dignitati Comitis Palatini Saxonici inhærentibus.* Meminiſſe porro juvat Diſſertationis, ab ipſo Jenæ A. 1724 editæ *de bene fundata prætenſione Sereniſſimæ Domus Saxonicæ ad Burggraviatum & Mareſchallatum Wirciburgenſem.* A. 1730 edidit *Schediaſma de Coronis Ducum*, quod evulgavit locupletatum A. 1735, indice præfixo: *Erneuerte Zeugniſſe des Alterthums von Hertzoglichen Cronen.*

Quæ

Quæ olim ipſe de Ducum Saxoniæ ſigillo majeſtatico ſcripſerat, ea hic in præſens prodeunt auctiora. Diſtribuit tractationem ſuam in *duas Sectiones*. *Priori* differit de Ducum Germaniæ Principumque Imperii majeſtate. Eam repetit ex jure ſuperioritatis territorialis, per quam Principes Germaniæ majores regalia quæcunque exercere valent, ni pacta paſſim obſtant. Recenſet deinde illa regalia jura, nec inter ea meminit venationum, aucupii, & piſcationis, licet jus ſilvaticum bannique ferini haud omittat. Uſucapionem ac præſcriptionem privatis ſubditisque accedere adverſus Principis regalia, merito negat. Complexum illorum regalium, eorumque exercitium, appellat *potentatum* potius, quam ſuprematum. Accedendum exiſtimamus *Nic. Hier. Gundlingio*, qui potentatum illum vocavit *majeſtatem analogam*, ſiquidem majeſtas Germaniæ ſuprema in Cæſarem ab Electoribus nomine ſuo & ordinum reliquorum transfertur. Nec tamen ignotum eſt, in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ §. *96* potentatum illum vocari *ſuperioritatem majeſtaticam*. Monet Cl. Autor, hiſce juribus majeſtaticis haud opponi poſſe *reſervata Cæſarea*, ſuffragatus *Thomaſio* & *Griebnero*. Coronas Ducibus in numis, ſcriptorumque teſtimoniis, tribui, easque regiis ſimiles, ſolide oſtendit poſt *J. G. Eccardum*, *J. P. de Ludewig*, & *Jo. Alex. Dœderlinum*. Ducum provincias olim *regna* eſſe vocatas, & eis *majeſtatem* fuiſſe attributam, teſtimoniis nonnullis comprobavit. Duces Saxoniæ quondam *Magnos Duces* eſſe appellatos, oſtendere laboravit Vir Cel. ex ſcriptis recentiorum. Petimus ab ipſo humaniter, ut Diplomatibus coævis priſcisque ſcriptorum idoneorum teſtimoniis id ipſum corroboret. *Witekindum*, Saxonum adverſus *Carolum Magnum* ducem bellicum, e Regum numero deleri immerito, arbitratur. Planiora ſunt teſtimonia de Sigillo majeſtatis Saxonico *Friderici II*, Electoris, ad A. 1444, Ducis Saxoniæ *Wilhelmi* ad A. 1456, *Erneſti* & *Alberti* ad A. 1470 & 1468. Contendit deinde monſtrare, in curiis Principum nonnullorum Germaniæ adhuc in uſu eſſe ſigilla majeſtatica, præcipue in Brandeburgica Electorali & Moguntina. *Fridericus* & *Wilhelmus* fratres, Duces Saxoniæ, jam A. 1441 communiter

Pag. 8. 16. 13. 19. 21. 31. 33. 36. 40.

muniter adhibuerunt ſigillum majeſtatis, quod *Tentzelius* ita deſcripſit: *Ab hoc Diplomate pendet majus illud ſigillum majeſtaticum ex funiculo duplici, albis nigrisque ſerici filis contexto. Impreſſus illi eſt eques cataphractus cum galea Saxonica in capite, tenens manibus vexillum cum gladiis Electoralibus; ab humero pendet ſcutum cum trabibus & ruta Saxonica; circa equum collocata ſunt quatuor ſcuta, bina Thuringici Miſnicique Leonis,*
Pag. 44. *tertium aquilæ Palatinæ Saxonicæ, quartum Wettinenſe*, &c. Perſuaſit ſibi Autor, ſigillum hoc eſſe Ducatus Saxonici propriũm, nec Electoratui ſoli vindicandum. Ducibus Saxoniæ id fuiſſe
54. commune, exemplis omnino teſtatum fecit luculentiſſimis. Ne vero exiſtimemus, ſigillum *majeſtatis* idem eſſe ac *majus*, paucula is ſub finem ſubjunxit. Niſi fallimur, Commentationem ipſe adornat, demonſtraturus, *Witekindum*, Saxones contra *Carolum M.* tuitum, non tantum ducem bellicum, ſed Regem etiam Saxonum, fuiſſe. Ut ſolide hanc, quam ſibi impoſuit, provinciam obeat ornetque, id ipſum eſt, quod perofficioſe illum rogamus.

ALBERTI THURA, LAUR. FIL. PASTORIS LEIRSkovienſis in Cimbria, Conſpectus Danorum, qui partim Commentariis ſuis eruditis, partim quoque verſionibus Danicis, de linguæ Romanæ & Græcæ ſcriptoribus hactenus optime & præclariſſime meruerunt, additis ad calcem Indicibus neceſſariis.

Hafniæ, apud Franciſcum Chriſtianum Mumme, 1740, 8. Plag. 8.

Immenſum gloria calcar habet. Valet hoc non ſolum de ſingularibus hominibus, ſed & de totis haud raro populis. Lux lucem accendit; laudabile exemplum concitat alios. Si quis igitur optimæ notæ exempla proponit, laudat, commendat; nullum eſt dubium, fore, ut hac ratione ad æqualia præſtanda inflammet plures, atque ejusmodi denique ſtudium commune propemodum fiat eruditorum. Illud potiſſimum, ni conjectura nos fallit, doctiſſimum quoque ac venerabilem *Albertum Thura* inſtigavit, ut Danorum ſuorum merita, in Latinam maxime & Græcam

Græcam eruditionem, vel ſtrictim ac breviter commemoraret, adeoque ſignum quaſi erigeret civibus ſuis, quod ſecuti, literas elegantiores a contemtu atque inſultibus barbariei ſtrenue vindicarent. O ſi in exemplum iret gentium pariter aliarum, immo totius Europæ, commendabilis ejusmodi labor! Quam inſignis ſpes eſſet, fore, ut illorum certatim eruditi ſuſpiciones refutarent, quæ novum aliquem humaniorum literarum interitum ſomniant. At, ne extra oleas vagari videamur, & inanibus potius votis, quam ope qualicunque, conſumere ſpatium, quid præſtiterit Noſter, uno velut obtutu contemplemur. Ita vero in Præfatione illos proponit, qui univerſe de Romanis Græcisque ſcriptoribus meruerunt. Appellantur hic, ad linguam Latinam quod attinet, *Olaus Borrichius*, qui conſpectum præſtantiorum ſcriptorum Latinæ linguæ edidit; *Chriſtianus Stougardus*, cujus Diſputatio philologica exſtat de lingua Latina; *Ge. Frommius*, qui de legendis cum fructu latinitatis melioris notæ ſcriptoribus; *Er. Envaldi Brockmannus*, qui de præcipuis Latinæ linguæ ſcriptoribus, ab exceſſu *Auguſti* ad exceſſum *Trajani*; *Olaus Wilhelmi Wormius*, qui de lingua Latina, ejusque autoribus, & demum *Jac. Torchilli Badenius*, qui de quatuor linguæ Latinæ ætatibus, diſputavit. De lingua Græca generatim meruerunt *Paulus Vindingius* in Diſſertationibus III de variis linguæ Græcæ ſcriptoribus, *Laur. Lundius* in Compendio Bibliothecæ Græcæ, & *Jo. Grammius* in Notitia veterum Græcæ linguæ Autorum. Hæc Præfationis veſtigia ſequitur ſingulatim ipſe conſpectus, ubi nos eas potiſſimum excerpemus lucubrationes, quæ publicam nondum lucem viderunt. Ita *Chriſtianus Laſſon Sychonius* Librum primum Diſtichorum *Catonis* metro Danico reddidit, *Caſp. Er. Brockmannus* Commentarium in Amphitruonem, aliasque nonnullas *Plauti* Comœdias, elaboravit, *Andr. Petr. Hegelundius* Nucleum Terentianum. Ipſe *Albertus Thura* Terentii Andriam carmine Danico expreſſit. *Chriſtianus Ring* libros *Ciceronis* de Officiis in ſermonem Danicum transtulit. *Petrus Haggeus* Paradoxa *Ciceronis* variis explicationibus illuſtravit, nec minus *Wulfgang Rhumannus*. *Chriſt. Laſſon Tychonius* ſelectiores *Ciceronis* Epiſtolas Danice transtulit. Laudatus *Rhumannus*

mannus Orationes etiam plurimas *Ciceronis* explicavit. *Anna Margareta Quitzov, Erici* filia natu ſecunda, priores *Ciceronis* Officiorum Libros in linguam Danicam convertit. *Jo. Petr. Anchersen Cæſaris* locum de *Solduriis B. G. Lib. III Cap.* 22 decem Diſſertationibus criticis & philologicis illuſtravit. *Chriſt. Laſſon Tychonius* tres Eclogas *Virgilii* priores Danico metro reddidit. *Rhumannus* Epiſtolas omnes *Horatianas* prælectionibus ſuis illuſtravit, ſelectiores autem *Odas Brockmannus*; *Titi Livii* nonnullos libros *Stephanius*. Specimen emendationum in *Vitruvium* ſcripſit *Chr. Falſterus*. *Vitruvium* Danice reddidit *Janus Laur. Wolfius*. *Ovidii* Metamorphoſin carmine Danico expreſſit *Matthias Moth*, nonnulla quoque *Ovidiana Mart. Nicolai*. *A. Corn. Celſi* Librorum VIII de Medicina editionem diu molitus eſt *Jo. Rhodius* abſolutiſſimam, & variis lectionibus, emendationibus, notis item, ſupplementis omiſſorum, locis *Hippocratis*, *Celſi*, & Medicorum aliorum, parallelis, Lexico peculiari, indicibusque, inſtructam; morte autem Autoris ſpes decollavit. Λείψανα quidem poſt obitum *Rhodii* communicata ſunt cum *Thoma Bartholino*, quæ una cum ipſo *Celſo* & notis ſuis medico-philologico-antiquariis, ad finem uſque *Libri V* jam pertextis, ſe editurum eſſe promiſit; ſed infelix Bibliothecæ *Bartholinianæ* incendium hanc etiam exſpectationem defraudavit. *Senecam* cum aliis ethico-politicis collatum inter manuſcripta ſua reliquit *Zach. Lundius*, ut & *Petrus Brinchius* admirandam *Senecæ* Ethicam & Politicam, ex ſcriptis ejus philoſophicis excerptam, in locos communes ordine literarum digeſtam, & ſummariis ac notis illuſtratam. Sed nos ad Græcos properamus. Ubi quidem notatu dignum eſt, quod *Franciſcus Michaelis Wogelius Diodori Siculi* Bibliothecæ hiſtoricæ decem Libros, ab undecimo ad viceſimum, ex lingua Græca in Danicam translatos reliquit, nec minus verſionem Danicam *Herodoti*, itemque *Homeri*; quod *Chriſt. Laſſon Tychonius Ezechielis* Tragœdi fragmenta, a nemine unquam notis illuſtrata, Latine transtulit, prelo omnino parata. *Zacharias Lundius* Commentarium in *Heſiodi* opera & dies conſignavit, nec minus in *Iſocratis* Orationem ad Demonicum; *Petr. Jo. Reſenius* Orationem habuit de Fato Stoico ad *Lib. III Ethic. Nicomach. Cap. 3 & 5*; *Thomas Broderus Pauſaniæ* Græciam, eruditis ac fuſis annotationibus illuſtratam, prelo paratam habuit; *Janus Matthias Getorpius* verſionem *Phocylidis* Danico-metricam elaboravit, quam Bibliotheca *Reſeniana* quondam poſſedit; *Jo. Brunsmannus* indicem vocabulorum omnium in *Phocylidem*, laudatus *Lundius* notas & Obſervationes in *Plutarchum* περὶ παίδων ἀγωγῆς, & in aurea carmina *Pythagoræ* Commentarium, conſignavit; ut reliquos taceamus. Nihil enim ad finem properantibus ſupereſſe videtur, quam ut vel verbo memoremus, Appendicem limatiſſimam de *Saxone Grammatico*, illuſtri ſcriptore Danorum, legi ſubjunctum.

* * *

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi V Sectio X.

HISTOIRE DE PIERRE I, SURNOMME' LE GRAND, &c. hoc eſt,

HISTORIA PETRI I, QUI MAGNUS COGNOminatur, Imperatoris omnis Ruſſiæ, Regis Siberiæ, Caſani, Aſtracani, Magni Ducis Moſcoviæ, &c. ornata & illuſtrata figuris æri inciſis, quæ prælia numosque præbent ſpectandos.

Tomi III.

Amſtelodami & Lipſiæ, apud Arkſtee & Merkum, 1742, 8. Tom. I Alph. 1, Tom. II plag. 17, Tom. III plag. 21.

Splendore, gravi dicendi genere, compoſitione pulchra & expolita, ordine exquiſito, & magnis ſummi terrarum domini factis, ſeſe commendat Opus, quod in præſens admirationem & ſtudium noſtrum accendit. Autor latere maluit & ignorari, quam gloria ſua debitisque laudibus publice frui. In eo erat is olim, ut hiſtoriam, de illo Monarcha conſcriptam Anglico ſermone, converteret in Gallicum. Sprevit id inſtitutum, ſimul ac, haud reportaturum eſſe eum laborem ſuffragia peritiorum, intellexit. Mutato itaque conſilio, congeſſit apparatum, ab integro telam orſurus. Grata mente, ſeſe ea, quæ ad primos *Petri* annos ſpectant, nactum eſſe a viro

docto Academico, profitetur. Ab eodem obtinuit Latinam Legati primarii enarrationem, quem *Leopoldus* Imperator in Moſcoviam miſerat. Legati hujus, *de Guarient* dicti, a ſecretis epiſtolisque qui erat, reverſus ad ſuos in Germaniam, edidit librum ſuis ſumtibus, Illuſtriſſimo Comiti *de Kauniz*, Vicecancellario Imperatoris, conſecratum. Ex hoc fonte Noſter ſitim ſæpius reſtinxit. Commentarios reliquos, quibus fuit uſus, paſſim in tractatione ipſa ſignificavit. Nonnihil deprompſit ex anecdotis Boruſſi cujusdam, qui a ſecretis fuit dominorum nonnullorum Petroburgi, ac olim Baronem *de Huiſſen* in commentariis, de *Petro* Magno collectis, adjuvit. Veritati hiſtoricæ primum præcipuumque ſtatuit pretium, additque, ut propoſitum illuſtret, hiſtoriam *Taciti* de *Cremutio Cordo*, cujus, *Tiberio* imperante, magnifica iſthæc vox fuit: *Spreta exſoleſcunt; ſi iraſcare, aguita videntur. Suum cuique decus poſteritas rependit. Nec deerunt, ſi damnatio ingruit, qui non modo Caſſii & Bruti, ſed etiam mei, meminerint.* Sicubi ſcriptores de rebus a *Petro* geſtis diſſident inter ſeſe, Noſter verba eorum ſuppeditavit ipſa, ne lector in ſtudio illius jure aliquid deſiderare poſſet. Profecit tandem ex annotationibus cujusdam Poloni, ad *Voltarii* vitam *Caroli XII* adjunctis, ac paſſim ſua reddidit inde emendatiora. Hæc ſunt, quæ Autor nos in Præfatione docuit. Noſtrum non eſt, de rebus ipſis judicare, nec in partem ullam venimus vel faventium, vel nonnihil notantium. Offerimus Lectori Operis ſummam, ipſumque ad librum ipſum remittimus. *Tomi I Libro primo* commemoratur generatim de Moſcovia, ac de incolis ejusdem, de genealogia *Petri*, de Strelitzorum rebellione, de bello Tartarico, de *Joanne Samuelowitzio*, Coſaccorum domino abdicato, ac *Mazeppa*, ei ſurrogato, de expeditionibus Principis *Galliczinii*, de matrimonio *Petri*, de conſpiratione in ipſum, a ſoro-
Tom. I re *Sophia* inita, ejusque pœna, de domino *le Fort*, fortunapag. 6. que *Menzikoſii* ſecunda. Plantam *Borametz*, agni indolem quæ refert, curate Autor deſcripſit. De urbe Moſcua ſolicite diſſeruit. Conditionem incolarum Ruſſiæ ante *Petri* tem-
10. pora admodum barbaram & vitioſam graphice delineat. Moſcua

ſcua A. 1589 reddita fuit ſedes Patriarchæ, qui antea ſolebat Kioviæ commorari. Suſtulit patriarchalem dignitatem in Ruſſia *Petrus*. De ſtatu Moſcoviæ militari Autor egregie dixit, Pag. 18. comparatione inter tempus, quod *Petrum* anteceſſit, ac reformationem *Petrinam*, inſtituta. *Sophiæ* conſilia, cædis plena, & ipſius ad cœnobium Devaz deturbationem, quæ fuit exitus molitionum ejusdem, ſolide & accurate Noſter executus fuit. Tum vero ad pacem, cum Imperatore Tzinenſium initam, 104. copioſe illuſtrandam ſeſe accinxit, ſecutus fidem commentariorum, qui de hac re Petropoli fuerunt formis publicis deſcripti. 106. *Libro ſecundo* ediſſeruntur varia, nominatim bellum Turcicum, expugnatio urbis Azoph, conſpiratio *Sophiæ* irrita, iter *Petri* in Bataviam ac Angliam, rebellio Strelitziorum, eorumque pœna & exſtirpatio, inſtitutus S. *Andreæ* ordo, ac Genevenſis illius *Le Fort* obitus. Autor paſſim refellit emendavitque errata, ab aliis admiſſa. *Libro tertio* enarrantur 129. res bellicæ, bellum cum Sueco, *Carolo XII*, initia Petroburgi 246. & caſtelli Cronſchlot, *Stanislaus* in ſolium Poloniæ evectus, expugnationes Dorpati & Narvæ. Numi adjuncti repræſentant 302. occupatum Notteburgum, ſeu Schluſſelburgum, occupatum 323. caſtrum Nienſchantz, ac fundatum A. 1703 Petroburgum. Tabula, quæ acceſſit Operi, geographica exhibet initia ſitumque Petroburgi, terramque proximam circumvicinam. Caſtellum Cronſchlot, A. 1704 in inſula ſinus Finnici conditum, illuſtre redditum eſt numis duobus, quorum typos exhibuit Autor diligentiſſimus loco conveniente. Torpatum, A. 1704 in fidem 337. receptum, numo expreſſum æque ſuppeditavit lectori viſendum. Narvam eodem anno 9 Aug. captam deſignant alii duo numi. Hæc *Libro tertio* ſunt propria. Excipit eum *quartus*, 362. quo bellum cum *Carolo XII* continuatum recenſetur ad cladem uſque, quam Sueci ad Leznam acceperunt. *Tomus II* reliquos *quatuor Libros*, quibus reliqua *Petri* ac *Catharinæ* Imperatricis res memorabiles exponuntur, complectitur. Ornamenti loco ad- Tom. II jectum eſt ſchema, quo prælium Pultowenſe illuſtratur. Elbinga ſtratagemate capta, & Wiburgum expugnatum, numis effulgent expreſſa, quos Autor dedit accurate delineatos. Duna- 79.

mundam, Revaliam, & Pernavium, Suecis erepta, tres numi conſecrarunt immortalitati, quos *Petrus* juſſit cudi. Carelia
Pag. 106. A. 1710 capta, & quæcunque eo anno feliciſſime ſunt geſta, tribus emicant ex numis. Numus major prodit cladem Suecorum Pultawenſem, minor exhibet memoriam victoriæ, A. 1709 ad Perevolocam obtentæ. Celeberrimam *Petri* ad Abum uſque Finlandiæ expeditionem, A. 1713 tentatam, de-
198. ſignat numus affabre factus. Suecos ad Pelkinum amnem eodem anno victos exhibet numus æque pulcher. Adde, quod numis nobilitatæ ſunt victoriæ *Petri*, navalis prope Alandiam ad A. 1714, ad Caſtrum novum captum anno eodem, & ad
280. flumen Vaſam. Juvat legiſſe vitam filii, ex *Petro*, ejusque priori uxore, nati, orationem *Petri* ad filium, ac ſucceſſoris conſtitutionem. *Catharinam*, uxorem ejus, in ſocietatem imperii
390. adſcitam A. 1724, illuſtrarunt duo, quos Autor lectori offert, numi. *Tomus III* documenta, acta, & literas, complectitur, quibus robur & fides rebus *Petri Magni* conciliatur. Leguntur inter ea nonnullæ etiam belli denuntiationes, ſeu declaTom. III rationes. Attentionem meretur commentarius *Weſſalowskii*,
pag. 227. ſeu epiſtola potius, ad Regem Angliæ *Georgium I*, de rebus Lib. Baronis, *a Görtz* dicti. Nec Lectori diſplicebunt condi-
246. tiones, quas Eccleſiæ Gallicæ proceres *Petro Magno* ad eccleſiam Ruſſicam cum Romano-catholica conciliandam, A. 1717, 15 Jun. conſignatas, autoritate Regis miſerunt. Sententiæ, in filium *Petri*, maximum natu, pronuntiatæ & conſignatæ, nulla excepta, ab Autore exhibentur. In fine Operis apparet pax, *Petrum I* inter & *Fridericum*, Regem Sueciæ, A. 1721 Neo-
469. ſtadii ſancita, ac fœderis formula Holmienſis inter Ruſſiam ac Sueciam, ad A. 1724 referenda. Intelligunt Lectores ex hoc ſpecimine procul dubio, quanta fide, quantaque diligentia, hoc Opus ſit elaboratum, quantoque illud in pretio eſſe debeat apud eos, qui recentiſſimam hiſtoriam curæ cordique habent.

TRATTATO DEGLI STUDI DELLE DONNE, &c.
id eſt,
TRACTATIO DE STUDIIS LITERA-
rum,

rum, fœminas ornantibus. Opus bipartitum, ab Academico Intronato conſcriptum.

Partes II.

Venetiis, impenſis Franciſci Pitteri, 1740, 8.

Alph. 2 plag. 11.

Opus hoc, formandis fœminarum ſtudiis dicatum, & Excellentiſſimæ *Eliſabethæ Cornaræ Foſcarini* inſcriptum, theſauri multijugi ſpeciem refert, in quo egregia multa pretiique haud vulgaris monumenta effulgent ac renident. Præfatio ſignificat, quantopere illi errent, qui fœminas a ſtudiis univerſis procul eſſe jubent. Perquiſivit Autor Bibliothecas, an librum hujus argumenti invenire poſſet. Sed nec vola, nec veſtigium, ejus rei in eis ipſi apparuit. Nihilo minus nulli pepercit labori, ut perficeret inſtitutum. Diſtribuit tractationem ipſam in *Partes duas. Priorem* diviſit in *octo Capita; poſteriorem* reddidit *tredecim Capitibus* fœcundam. Rationem habet diverſiſſimæ fœminarum ſortis, nec univerſis promiſcue ſingulos libros & ſtudia ſingula commendavit. *Partis prioris primo Capite* oſtendit, remedium eſſe afferendum corruptioni, quæ jam inhæreſcat converſationi, cum fœminis inſtitutæ. Remedium haud aliud ſtudiis ei fini eſſe accommodatius, docet. Improbat gen- Pag. 12.
tium conſuetudinem, quæ fœminas quaſi in vinculis habent perpetuis. Temporis longitudinem, quod fœminæ ſibi comendis
indulgent, falſe exhibet. Peregrinas in Italiam invehi volu- 16.
ptates, dolet, de ætate ſua uſurpans illud *Taciti: Sunt tempora, in quibus magnis virtutibus certiſſimum eſt exitium.* Quoniam adoleſcentibus Italiæ ſtudia ſordeſcunt, Cel. Autor ea ad
fœminas tentat transferre, ratus, haſce illo pacto a vanitate re-
liquisque nævis abſtractum iri. Studium luxus, in Italiam 27.
transfuſi, arceſſit ab Aſiæ devictæ populis, a moribus Ægypti, Seculo XII eodem translatis, nec non a *Caroli VIII*, Regis Galliarum, in Italiam bellica expeditione. Complura ejus generis exhibet memoratu digna Cl. Autor *Capite* eodem. *Capite ſecundo* oſtendit, infirmitates externas maribus fœminisque eſſe 41.

communes, nec mentem, nec conditionem, ejus eſſe diverſam reſpectu bonorum ſtudiorum. *Tertio* oſtendit, multas dari fœminas, quæ in literis ſcientiisque præſtantiſſimos fecerint
Pag. 99. progreſſus. Collaudat nominatim *Lucretiam Marinellam*, Venetam, *Annam Mariam Schurmanniam*, & *Corinnam*, Thebanam.
102. Memorat Canonici regularis Lateranenſis, *Petri Pauli di Ribera*, librum: *Le glorie immortali de' trionfi ed eroiche impreſe di ottocento quarantacinque Donne illuſtri antiche, e moderne, dotate di condizioni, e ſcienze ſignalate, cioè in ſacra Scrittura, Teologia, Profezia, Filoſofia, Rettorica, Grammatica*, &c. Addit *Mirrham Antedoniam*, *Pindari* magiſtram, *Erinnam*, Deliam, cujus verſus *Homero* fuerint probati, *Daphnen*, ſeu *Manton*, *Phanotheam*, *Icari* uxorem, repertricem hexametrorum,
105. *Sapphon*, *Borſanen*, *Alexandro M.* nuptam, *Demophilen*, poetriam, *Aretaphilen*, eloquentia præſtantem, vates alias, *Zenobiam*, Palmyrenen, Ægyptiacæ, Græcæ, Ebraicæque linguæ peritam,
108. *Paulam*, Romanam, *Hieronymo* familiarem, Ebraiceque doctam, ac ejus pariter doctam filiam, *Euſtochiam*. Nec minus celebrat Reginam *Amalaſuntam*, Principem *Eudoxiam*, *Leontii*, Philoſophi, natam, *Theodoſii* junioris uxorem; *Annam Comnenam*, *Alexiados* autorem; *Lauram Nogarolam*, Veronenſem, Ducis Veneti, *Nicolai Troni*, uxorem; *Angelam*, ejusdem illuſtriſſimæ familiæ, Comitis *Antonii de Arco* fœminam; *Trivultiam*,
111. nobiliſſimam Mediolanenſem, ac *Cæciliam Gonzagam*. Et quid *Olympia Fulvia Morata* eſt illuſtrius? Omittimus reliquam gynæconitidis literariæ nubem. *Capite quarto* perſuadet
186. Autor, majorem fœminarum numerum literis eſſe adjungendum. *Capite quinto* de amplitudine & limitibus ſtudiorum muliebrium differit. Refellit *ſexto Capite* eorum objectiones,
323. qui, reipublicæ per ſtudia a mulieribus approbata & exculta imminere detrimenta, contendunt. Addit tamen *Capite ſeptimo*, mulieres per literas a cultu ſui externo & negotiis de-
413. bitis haud disjungendas eſſe. *Capite* tandem *octavo* trādit, fœminis indignum haud eſſe, literas tractare. *Parte poſteriori*
444. P. II. exponit de ſtudiis ſigillatim, quibus fœminæ animum appellere valeant debeantque. *Capite primo* differit de linguis mortuis;

tuis; *ſecundo* de vivis; *tertio* de Theologia generatim; *quarto* Pag. 63.
de Theologia morali; *quinto* de Philoſophia generatim; *ſexto* de Phyſica; *ſeptimo* de Jurisprudentia; *octavo* de Hiſtoria; *nono* de ſtudiis, curioſitati inſervientibus; *decimo* de Muſica; *undecimo* de pictura; *duodecimo* de palæſtra ſaltatoria; ac tandem *Capite* extremo de Poeſi, Rhetorica, Numiſmatis, & antiquitatibus. Commendat fœminis linguam Ebraicam & Græcam, licet interpretationem Codicis ſacri vulgatam appellet *ſecuriſſimam.* Laudat illa *Auguſtini* ex *Lib. II de Doctrina Chriſtiana: Latinæ quidem linguæ homines, quos nunc inſtruendos* 4.
ſuſcepimus, duabus aliis ad ſcripturarum divinarum cognitionem habent homines, Hebræa ſcilicet & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas. Averſatur judicium *Joannis Clerici* de *Hieronymi* peritia linguarum orientalium. Celebrat Pontifices *Clementem V* & *Paulum V*, qui Monachis univerſis ſtudiorum tractationem injunxerunt & commendarunt: ille in *Clementina de Magiſtris*, hic in *Conſtit. Apoſtol. 65. Clementis V* decretum Viennenſe de lingua Hebraica & Græca, a duobus Profeſſoribus Academiæ cujusvis tradenda, confirmatum fuit in Concilio Baſileenſi *Seſſ. 20. Raimundus de Pennaforti* in con- 6.
feſſu Dominicanorum generali Toletano A. 1250 ſtatuit, ut religioſi ſui diſcerent linguam Hebræam & Arabicam; obtinuitque a Rege Arragonum annuas penſiones, eis Monachis impertiendas, qui conſtitutioni illi eſſent facturi ſatis. *Raimundus Martinus*, *Pugionis fidei* Autor, ex hoc Dominicanorum inſtituto inclaruit. *Carolus Borromæus* clare: *Illud denique non parum expediet, ſi concionator Græce & Hebraice noſſe ſtudebit. Nam harum linguarum peritia cum ad multa alia utilis eſt, tum maxime & ad eliciendos ex eadem Scriptura plures catholicos ſenſus, & ad explicandas illas ſacrarum literarum ac dictionum voces, quæ magnam vim magnamque emphaſin habent.* At cur fœminæ operam dare debent ſermoni Hebraico & Græco addiſcendo, ſi Vulgata translatio ſufficit cultui divino & religioni? Prævidit hoc telum Autor, ideoque peritiam linguæ Ebraicæ Græcæque comparandam fœminis, non Pontificiis, ſuaſit.

Pag. 9. ſit. Sed quo fine? Scilicet ut interpretationes ad lapidem Lydium revocare, & doctrinas ſanctas e fonte ipſo haurire, valeant. Dubitare liceat, an hæc ratio omnibus doctis ſeſe ſit approbatura. Ridet merito Fratrem, qui, judice *Euſtachio*, JCto, inter alia ſic declamavit: *Jam reperta eſt lingua, quæ vocatur Græca, ab hac ſedulo eſt cavendum. Hæc eſt, quæ parit omnes iſtas hæreſes. Ea lingua proditus liber in manu paſſim habetur, & vocatur Nov. Teſt. Plenus hic liber eſt rubetis & juniperis. Aliam oriri linguam intelligo, quam vocant Hebræam. Hanc*
13. *qui diſcunt, fiunt Judæi.* Sacrum Codicem per translationes ſeu verſiones Proteſtantium corrumpi, ſibi perſuadet Autor, ratus, fœminas per lectionem Græci & Ebræi Codicis ad eccleſiam Romanam adductum iri. Credit ſcilicet ipſe, *Nibuſii* artem ſecutus, fœminas ita intellecturas, quam incerta ſit apud Proteſtantes ſacri Codicis interpretatio. At num expoſitiones Patrum ubique conſentiunt? Nonne ii, qui his honorem haberi volunt, coguntur largiri, plures dari unius ſententiæ Biblicæ ſenſus, eosque multiplices? Si igitur dantur varii & multiplices ſenſus pronuntiatorum Biblicorum, cur, obſecramus, Autor multiplices interpretationes ferre nequit? At Proteſtantes, unum cuique ſententiæ ſenſum ineſſe literalem, credunt & propugnant, licet largiantur, dari ſenſus rei totius, e. g. typi, alle-
18. goriæ, parabolæ, viſionis, &c. *Petrum Bælium* Autor vocat *in-*
24. *genium licentioſum & laſcivum ante alios omnes. Ruſcellajum*, Florentinum, & *Paulum Manutium* Latine loqui haud valuiſſe, narrat. Ejusmodi annotationibus memoratu dignis univerſum ſcatet opus. Quomodo fœminis Latina lingua ſit diſcenda, ediſſerit ſuccincte. At ad diſcendam Hebraicam & Græcam per-
28. æque ſeſe haud præbet ducem. Notat in *P. Maffeo*, Soc. Jeſu, contemtionem ſermonis Latini, qualis eſt in Vulgata. Reprehendit itidem purpuratum Romæ *Bembum*, cui ſorduerunt Epiſtolæ *Paulinæ*, ac Seculi XVI *Ciceromanium*. *Caſtalionis* verſionem vocat *peſſimam & doloſiſſimam*, interſerens cauſam, illum poſuiſſe genium pro angelo, lotionem pro baptiſmo, rempublicam pro eccleſia, collegium pro ſynagoga, &c. Notat *Caſparem Contarenum*, poſtea Cardinalem, qui ſeptem Romæ tem-

pla

pla vocavit *ſacroſancta Divorum pulvinaria ſeptem*, & Archiepiſcopum Corcyræ appellavit *flaminem primarium*. Somnium *Hieronymi Ciceronianum* ſuffragio confirmare recuſat, licet haud audeat aperte id pernegare. Hiſpanis & Luſitanis tribuit amorem Theologiæ ſcholaſticæ, Gallis Italisque ſtudium Theologiæ & Juris Canonici, Anglis ſcientiæ naturalis ardorem, Germanis prudentiam Juris præcipue publici & Juris gentium. Ut addiſcantur ab exteris linguæ, Gallica & Anglica, ſuadet. Conqueritur, Gallicis libris ex Gallica lingua in Italicam transfuſis Italos corrumpi. Haud inficiatus, libellos Gallicos a fœminis Italicis avidiſſime nunc legi, immo lectitari, inductis egregia charta, margine nitido, ornamentisque in ipſa ligatura conſpicuis. Inſolentiæ & luxus nomen huic conſuetudini imponit. Ligaturam librorum amarunt Italicæ fœminæ primo Genuenſem & Patavinam, poſtea Hollandicam & Anglicam, tandem vero potiſſime Gallicam, auro diſtinctam, & ſtudioſis luxuriæ probatam. Prædicat tamen *Agneſæ* Imperatricis, quæ *Henricum IV* Regem peperit, donum IV Evangeliorum, librum auro & argento penitus coopertum, Abbati Montis Caſſinenſis traditum. Italicam linguam laudat ob amplitudinem & copiam, gravitatem, & Latinæ affinitatem. Eam laudibus evehit, ſcientiis quippe tractandis aptam, &, ut ipſa a fœminis retineatur caſta & pura, ſuadet. Nec tamen infeſtus eſt vocibus novis, Alpes transvectis, quæ rem vel cogitationem novam denotant, ſiquidem ipſe *Cicero* multa nova rerum vocabula admiſerit. Neapolitanorum ſtilum Italicum putat vix ferendum, præcipue *Bartholomæi Capuani*. Orthographiæ defectus notat in fœminæ illuſtris *Colei* libro, quem ipſa inſcripſit *la Bibliotheca delle Dame*. Lectionem *Decameronis*, cujus autor exſtitit *Boccaccius*, diſſuadet, obſcœnitatibus quippe & injuriis in Deum ſordentem. Theologiam revelatam ſuperſtructam eſſe haud ſecus traditioni ac ſacris literis, pro more docet. Theologiam ſcholaſticam accuſat obſcuritatis, neglecti ſacri Codicis, & amplitudinis quæſtionum ſpinoſiſſimarum. Prior quidam Fratrum Pariſinorum Seculo ſuperiori ſcripſit *Summam Deiparæ*, ut imitaretur *Thomæ Aquinatis* Summam. Et, cum

Pag. 32.
37.
41.
45.
50.
55.
57.
64.
67.

hic inchoarit eam hiſce verbis: *Utrum ſit Deus*, ille Summam ſuam, qua 3000 quæſtiones de *Virgine* enodare ſtatuit, exorſus fuit hunc in modum: *Utrum ſit Virgo.* Hunc merito fa-
Pag. 70. ſtidit Noſter. Fœminis inculcat illud *Paulinum*: *Mulieres in Eccleſia docere non permitto*, & Catechiſmum Romanum commendat, ab *Alexio Figliucci* Italice factum. Commendat eis præterea Catechiſmum *Caniſii*, *Bellarminum* de doctrina Chriſtiana, *Remigii Florentini* Epiſtolas & Evangelia, quæ leguntur in Miſſa, & paulo poſt a *Franciſco Catani* Italice ſunt expoſitæ, *Lippamanni* Expoſitiones in Credo & Pater Noſter, *Hieronymi Faletti* interpretationem Italicam ſcriptorum *Athenagoræ* de Reſurrectione mortuorum, *Hilarionis*, Genevenſis, Expoſitionem de perfecta Virginitate S. *Baſilii* & *Auguſtini*, Epiſtolas *Hieronymi*, Italice translatas a *Franciſco Zeffi*. Fœminis heterodoxis ſuadet, ut indagent rationes ſeceſſionis Proteſtantium, verſionum Biblicarum a fontibus alienarum, & ſpiritum doctorum ſuorum privatum, animumque precibus præ-
73. muniant & deſiderio veritatis, immo ut diffidant eccleſiaſtis ſuis, ac in libris primorum Seculorum quærant neceſſitatem tribunalis ſuperioris, quale ſit Eccleſia, vel potius Pontifex Romanus, præter quod in rebus a ſenſu remotis ſint omnia vaga
76. & incerta. Prædicat nonnihil eorum, quæ *Petrus Bælius*, de *Paulicianis* commentatus, excidere ſibi paſſus eſt de infirmitate rationis humanæ. Socinianos reprehendit, qui rationem humanam perhibent eſſe fidei Chriſtianæ amuſſim. Scepticiſmo frigidam ſuffundit, ratus, nullum dari argumentum theologicum & philoſophicum, quod per rationem humanam nequeat maximis premi & oppugnari difficultatibus. Provocat ad li-
79. bros *Ciceronis de Natura Deorum* & *Fato*, ad *Sexti Empirici* & *Juliani* Apoſtatæ ſcripta, ut oſtendat, neceſſario amplectendum eſſe vicarium Chriſti in terris. Veremur, ne Philoſophi Italiæ, hoc argumentum ſatis longe eſſe petitum, fateantur. In religione Romana Chriſtiana nil eſſe fictionum & rerum, in-
82. certis rumoribus ſuperſtructarum, contendit. Fœminis, Theologiæ moralis ſtudioſis, commendat *Speculum S. Auguſtini*, a Cardinale *Thoma* ſeorſim editum, Summam S. *Thomæ*, Opera

Raimundi

Raimundi & S. *Antonini*, Archiepiſcopi Florentini, legesque eccleſiaſticas. Impuram nonnullorum contribulium Theologiam moralem rejicit, notans eos, qui cum antiquo Poeta, apud *Ciceronem Off. III, 29*, ſic docente, docent: *Neque dedi, neque do, fidem infideli cuiquam.* Approbat hæc: *Si hoc ſibi ſumunt, nullam eſſe fidem, quæ infideli data ſit, videant, ne quæratur latebra perjurio.* Illos negat eſſe audiendos, qui multa Chriſti præcepta vertunt in conſilia. Notat præterea multos ſuorum abuſus morales. Addit tandem *pag. 92*: *La maggior parte de' quali da' noſtri moderni Sommiſti, per non perder la utiliſſima cura delle anime de' Grandi, e de' dilettanti di roba altrui da tre o quattro Secoli in qua ſono ſtati inventati; e che an fatto vedere, che i loro Autori ſi ſon iſtudiati a maraviglia di ridurre la iniquità in metodo, e le oſcenità, e la ſceleratezza con alcun regolamento.* Sed ſuffecerint hæc in præſens. Pag. 90.

Johann Lorentz Mosheims Erklärung des erſten Briefes des heiligen Apoſtels Pauli an die Gemeine zu Corinthus.

hoc eſt,

JO. LAURENTII MOSHEIMII EXPLICATIO prioris Epiſtolæ S. Pauli ad Eccleſiam Corinthiacam.

Altonæ & Flensburgi, apud fratres Cortios, 1741, 4.

Alph. 5 plag. 22.

Commentarius hic, inſcriptus Viro Summe Venerando *Phil. Ludovico Dreyſſigmarck*, ſupremo ſacrorum in terris Brunsvico-Luneburgenſibus Antiſtiti, enatus eſt ex prælectionibus, in hanc Epiſtolam a Venerando Autore inſtitutis, quarum diverſa exempla compoſuit, quædam emendavit, alia addidit, ſicque rogatu fautorum atque amicorum operarum formis deſcribi curavit. In ſenſu literali ex linguæ Græcæ indole ac antiquitatum notitia, quod in iſtiusmodi extemporali labore fieri nequit, indagando minus occupatur, in id intentus unice, quo

mentem *Pauli* ex tota ſermonis συναφείᾳ dilucidius declararet. Equidem Cel. *Moshemius* de his ſuis meditationibus modeſte judicat, ſed, qui eas cum cura perleget, doctrinam, ingenii perſpicaciam, judicii aciem ac ſoliditatem, quæ omnia in *Moshemio* ſumma ſunt, non deſiderabit; certe ad intelligentiam divini hujus ſcripti plurimum contulit, aliorum virorum doctorum cogitationes illuſtriores reddidit, difficultates feliciter expedivit, novas interpretationes, nec tamen a mente divini ſcriptoris alienas, paſſim attulit. Hac via procedit, integram Epiſtolam in certa ſegmenta dividit, ipſa illa, Græco idiomate configuata, addita ad latus *Lutheri* verſione Germanica, exhibet, inde nexum ac conſecutionem ſingularum ſententiarum oſtendit, verum illarum ſenſum determinat, hinc illas ornamentis oratoriis ſubinde nudat, & ad ſimplices propoſitiones logicas reducit, aliquando etiam ordinem artificioſum ſolvit, & ad illum refert, quem natura rerum flagitare videbatur. Singulis partibus ſubjicit *liberiorem interpretationem*, uti appellat, vel potius *paraphraſin*, quæ ita eſt comparata, ut attentus lector totam demonſtrationum *Paulinarum* ſeriem facili opera perſpicere, ac animo comprehendere, queat.

In Diſſertatione præliminari agit de urbe *Corintho*, ejus ſitu, opibus, everſione, per *L. Mummium* anno ante C. N. 146 facta, illiusque reſtitutione per *Jul. Cæſarem*. Quæ cum tempore *Pauli* priſtinum recuperaſſet florem, ut commerciorum ergo illam homines ex omni fere orbe frequentarent, Apoſtolus illam adiit, quo doctrina Chriſti inde quoquoverſus fundi ac diſſeminari poſſet. Incolas ſtudio in literas, ſapientiam, eloquentiam, aliasque artes ac opificia, ductos fuiſſe, ex *Ariſtide* probat; quæ ratio, quare ſimplicitas illa *Paulina* ipſis ad palatum minus fuerit, magis vero arriſerit promta & ad Rhetorum
Pag. 1-8. ornatum compoſita, *Apollinis* eloquentia. Divitiæ pepererunt ſuperbiam & luxum. Superbia ipſos ita efferebat, ut, ſe Diis natos eſſe, jactitarent. Vita libidinoſa palam & impure obtinebat, ut hinc κορινθιάζειν in proverbium abierit; in Veneris fa-
8-10. no impuræ fœminæ proſtabant. Eccleſiam in illa collegerat primum *Paulus Act. XVIII, 18*, inde *Apollos Act. XVIII, 27*, *1 Cor. III, 6*,

III, 6. tandem *Petrus*, vel ejus discipuli, *1 Cor. I, 12*, unde ob diversitatem donorum horum doctorum, vel etiam diversam eorundem agendi rationem, est factum, ut in partes secesserint. *Ephesi* scriptam esse, ex *1 Cor. XVI, 8*, decernit, de scriptionis tempore nil certi definiri posse, censet, *Pearsonii* tamen calculos, annum 56 Christi nominantis, præ aliis attentionem mereri pronuntiat. Occasionem præbebat legatio *Corinthiorum 1 Cor. XVI, 17.* Epistolam *Corinthiis Paulus* ante destinaverat, quæ periit; quam, in Armenicam linguam conversam, publicarunt *Whistoni* filii, est supposititia. Hanc quoniam siniſtre acceperant, ut ab Apostolo accuratius edocerentur, necessum erat. Accedebant errores & controversiæ, quæ cœtum sacrum *Corinthiorum* turbabant. Integra Epistola in *duas* dispescitur *partes*. *Prima* versatur in controversiis excutiendis, ac erroribus *Corinthiorum* animis evellendis *Cap. I-VI*. *Secunda* complectitur responsum ad quæstiones ac dubia proposita *Cap. VII* ad finem. *Prima* rursus in *quatuor* solvitur *partes*. In *prima* occupatus est, ut controversias, de doctrina exortas, componat, *Cap. I-IV*; in *secunda* reprehendit ipsos propter illum, qui novercam suam in matrimonium duxerat, *Cap. V*; in *tertia* eosdem notat, quod lites suas ad judices & tribunalia gentilium deferrent, *Cap. VI, 1-12*; in *quarta* refellit illos, qui autumabant, scortationem illicitam haud esse. In *secunda* respondet ad quæstiones: 1) num Christiano matrimonium contrahere integrum sit, & an se quis ab infideli conjuge sejungere possit, *Cap. VII*; 2) tangit epulas sacrificales, *Cap. VIII, IX*; 3) num fœminis absque velamine in publico cœtu comparere fas sit, *Cap. XI, 1-16*; 4) de sacra cœna & agapis, *Cap. XI, 17*, ad finem *Capitis*; 5) examinat quæstiones, exortas de extraordinariis donis Spiritus S. *Cap. XII-XIV*; 6) dubia, circa resurrectionis dogma exorta, solvit *Cap. XV*; tandem 7) monita quædam de eleemosynis, illarumque collectione, subjungit *Cap. XVI.* Hæc sunt potissima momenta illorum, quæ in *introductione*, quam appellat, habentur. *Cap. I* προλεγομένων differit de dissidiis, in ecclesia *Corinthiaca* excitatis. In quatuor omnino partes integer cœtus divisus erat. *Paulus* primus omnium collegerat ecclesiam, non usus oratione splen-

Pag. 10-15. 15-18. 18-20. 20-24. 24-31.

ſplendore, ac ſapientiæ externæ oſtentatione. Huic ex Judæis plures ſe adjunxerant. *Paulo* ſupervenerat *Apollos*, qui quoniam orationis ornatu ac ſapientiæ præſidiis ſe illis, qui doctrinam atque eloquentiam requirebant, commendabat, ex gentilibus converſis haud pauci ipſum majoris, quam *Paulum*, facere cœperunt. Adhæc ex diſcipulis *Petri* quidam Hieroſolymis venerant, quibus ex Judæis ſe quidam aſſociarunt, arbitrati, poſſe ſe una cum doctrina Chriſti avitam religionem ſecundum inſtituta *Moſis* ac ſapientum ſuorum retinere. Denique erant, qui pro veris *Chriſti* diſcipulis haberi cupiebant, nec ullum nomen humanum reverebantur. Hi cum Chriſtianam religionem eodem modo comparatam eſſe opinabantur, uti Philoſophia Græcanica, quæ in diverſas fuſa erat familias, quarum ſingulæ ducem ſibi aliquem atque caput delegerant; reprehendit illos, qui ſe a *ſemet ipſo* atque *Apolline* nuncupabant, minus *Cephitas*, ne autoritati *Petri* aliquid derogare videretur, minime omnium illos, qui, partium ſtudio poſthabito, a *Chriſto* appellari, gloriæ ſibi ducebant. Quæ ſingula Cel. Autor diſtincte ac dilucide explanat, &, quibus argumentorum ponderibus diverſarum partium ſtudia repreſſa fuerint, enucleatius oſtendit.

Pag. 32-54. Sed ad ipſam Commentationem nos convertamus, ex qua illa tantum delibabimus, quæ nobis præ aliis notatu digna ſunt viſa. Per *Soſthenem V, 1*, illum intelligit, qui *Act. XVIII, 17*, memoratur, poſt id tempus forſitan ad religionem Chriſtianam perductum, ac *Paulo* adhæreſcentem. Hujus nomen in fronte Epiſtolæ ponitur, quia forte *Paulus* illo amanuenſi eſt uſus, quem ad modum fere per alios Epiſtolas ſuas ſcribendas curavit, addito tantum ſigno, unde a ſe profectas eſſe, dijudicari poterat. Cauſam hanc affert, quia *Paulus*, uti reliqui Judæi, 57. 58. literas Græcas non æque nitide pingere poterat. Per ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, κλητοῖς ἁγίοις, item ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου, intelligit diſtinctos Chriſtianorum in eccleſia *Corinthiaca* ordines. *Primi* ſunt priſci Chriſtiani, a *Paulo* converſi, quique in doctrina ipſius conſtanter adhuc permanſerant, *ſecundi*, qui ipſo abſente per *Apollinem* ad fidem perducti erant,

erant, *tertii*, qui quidem Christi nomine appellabantur, sed suis factionibus satis declarabant, se nondum veræ sanctimoniæ studio duci. Τόπος αὐτῶν καὶ ἡμῶν respicit diversos locos, Pag. 60.
in quibus, qui *Corinthiacam* ecclesiam efficiebant, ad sacra con- 63.
celebranda conveniebant; quemadmodum jamdum Cel. *Vitringa Obs. sacr. Lib. III Cap. 2 pag. 318* notavit, בית הלל & בית שמאי frequentiori stilo apud Judæos scholas & locos designare, in quibus legem ex sententia sua interpretabantur.
Elogium, *Corinthiis V, 4*, tributum, ex ipsorum, qui tale quid 63-67.
de se in literis suis prædicaverant, mente profluxit; ea tamen
utitur prudentia, ut, quid desideret, tacite submoneat. Λόγος 71-73.
& γνῶσις *V, 5*, refertur ad dona miraculorum & linguarum, itemque cognitionem eximiam veritatum Christianarum, extraordinario quodam modo impertitarum. Ἀποκάλυψις τοῦ κυ- 73-75.
ρίου est manifestatio Christi ad judicium, quam se intrepide exspectare posse, nec longe abesse, opinabantur *Corinthii*. Contrarium demonstrat *Paulus*, quoniam ipsi ante diem obituri essent suum, quam Christus ad judicium appareret, nec illum absque metu exspectare possent, nisi in fide integra & sanctimoniæ studio perstarent. Christus *V, 13*, est doctrina Christi, 77-81.
quæ una est, quamque eandem docuerint omnes fidi legati Christi, *Paulus* ac *Apollos*, adeoque dissidiis occasionem non præbuerint. Ubi *Paulus* de se fatetur *v. 17*, se non missum 90.
a Christo, ut baptizaret, id non eò sensu accipiendum esse censet, ac si non præcipue hunc in finem a domino sit legatus, ut per immersionem initiaret recens conversos, sed quoniam in tabulis electionis ipsius tantum sermonis, sive præconii, non baptismi, fit mentio. Σοφὸς *v. 20* designat sapientes gentiles 93.
omnes, γραμματεὺς Judæorum doctores, συζητητὴς, qui nulli sectæ se addicebant, sed omnes aggrediebantur, veritatis scrutinium prætexentes, quales inter Græcos Philosophos Academici. Θεὸν ἐν τῇ σοφίᾳ αὐτοῦ γνώσκειν *v. 21* est consilium 110.
Dei de salutis ratione cognoscere. Σημεῖον, quod Judæi re- 113.
quirebant, procul dubio illud fuit, quo ipsi desiderarunt, ut se hostium Romanorum manibus eriperet *Matth. XXVII, 42*.
Apostolus, *Cap. II, 1*, de se affirmans, se non ad *Corinthios* ve- 116.
nisse

niſſe καθ' ὑπερβολὴν λόγου, ἢ σοφίας, fatetur, orationi ſum defuiſſe orationis ὕψος, Græcis Oratoribus adeo deamatum, neque ſibi adfuiſſe παῤῥησίαν, alacrem illam, vividam, ac prom-
Pag. 141. tam, dicendi rationem *v. 3.* Verbum ἔναυ *v. 5* interpretatur per *exiſtere, oriri,* quoniam ad prædicationem *Pauli* fides per
145. potentiam Dei in *Corinthiis* exorta erat. Ἐν τοῖς τελείοις non eſt accipiendum de rebus, ſed perſonis, ac per illos intelligendi κλητοὶ & πνευματικοὶ, qui voci Evangelii ſe ſubmiſerant, ac
155. per Spiritum ſanctum illuminati erant. Σοφία τοῦ αἰῶνος τούτου eſt ſapientia gentilium, quæ inter Græcos dominabatur; σοφία τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου, eſt ſapientia doctorum Judæorum, quos ipſos recutiti *principes hujus mundi* appellabant. Συγκρίνειν *v. 13* ex uſu apud LXX ſignificat *explicare, exponere*; in voce πνευματικοῖς ſubintelligendum λόγοις, hoc ſenſu, *explanamus doctrinas Evangelii, per* ſpiritum ſanctum *nobis revela-*
163. *tas verbis, ab eodem ſpiritu inſpiratis.* Verba *v. 5 Cap. III:* καὶ ἑκάστῳ, ὡς ὁ κύριος ἔδωκεν, divellit, & ſequenti *v. 6* adjungit, & ita ſecundum ſenſum ponenda eſſe judicat: καὶ ἐγὼ ἐφύτευσα,
195. Ἀπολλὼς ἐπότισε, ὡς ἑκάστῳ ὁ κύριος ἔδωκε κ. τ. λ. Ἀνθρωπίνη ἡμέρα *Cap. IV, 3,* eſt dies, qui ab hominibus in judiciis indicitur, ut de aliquo ſententia feratur, quemadmo-
227. dum ultimum judicium dicitur *dies Chriſti. V. 8-21* ſingulare aliquod ſpecimen eloquentiæ *Paulinæ* habetur, in quo, quicquid prudentia, ingenium, ac imaginatio, Oratori ſuggerere
245. poteſt, deprehenditur. Verba *v. 8* ἤδη κεκορεσμένοι κ. τ. λ. non *ironice* ſunt dicta, ſed *Paulus* ita loquitur ex mente & perſuaſione *Corinthiorum.* Ἡμᾶς τοὺς ἀποστόλους ἐσχάτους ἀπέδειξε tantum de ſe Apoſtolus, non de reliquis ſimul, pronuntiat, numero multitudinis pro ſingulari poſito, per modeſtiam ſe ἔσχατον appellat, ut *Cap. XV, 9.* Quædam enim hic dicuntur, quæ de nullo ὁratorum Chriſti, ſed de *Paulo* tantum, intelligi debent, ut *v. 12.* Pater inceſtuoſi hominis *Cap. V, 1,* videtur fuiſſe religionis Judaicæ, a quo ſponte ſua uxor, pro more apud Judæos vulgato, ſeceſſit. Num vero Judæa, an pagana, fuerit, pro certo definiri nequit, in priorem tamen ſen-
275. tentiam magis inclinat. Πνεῦμα *v. 3* eſt vis patrandi miracula,

Paulo

Paulo conceſſa, qua etiam abſens ut præſens operari poterat. Ante hanc Epiſtolam aliam a *Paulo* ſcriptam, colligit ex *v. 9*, Pag. 282.
quæ vero ætatem non tulerit. Συνεθίειν *v. 11* non ſolum re- 297.
fert ad ſocietatem in communi vitæ ratione ac victu, verum etiam ſpeciatim ad agapas, quæ aliquando ante, aliquando poſt ſacram cœnam, illo tempore celebrabantur, & mutuæ 301.
communionis ſacrorum certiſſimum erant indicium. Per κρίσιν τῶ νόσμω *v. 2 Cap. VI* intelligit judicium, quod Chriſtiani de doctrinis, moribus, & actionibus, Judæorum pariter atque gentilium ferunt. Κρίσις ἀγγέλων eſt illa firmitas animi, qua Chriſtiani molitiones malorum geniorum, adverſus ſe quovis modo ſuſceptas, irritas reddiderunt. *Cap. VII v. 21* ver- 315.
borum Apoſtoli: ἀλλ' εἰ καὶ δύνασαι ἐλεύθερος γενέσθαι, μᾶλλον χρῆσαι, hunc ſenſum eſſe vult, ſi quis ſervorum honeſta quadam ratione libertatem adipiſci poſſit, occaſionem illam negligendam non eſſe. Θλῖψιν τῇ σαρκὶ ἔχειν, ſignificat tri- 407.
ſtitiam ex calamitatibus conjugis atque liberorum capere. Per 417.
καύχημα *Cap. IX v. 15* non exprimitur *gloriatio*, ſive res, quæ ad *gloriam* facit, ſed potius aliquid, cujus ergo ſervus exſpectare poteſt, dominum plus ſibi, quam pollicitus erat, largiturum eſſe. Inde per diſtinctionem præmii, quod omnes fideles Dei cultores præſtolari poſſunt, & quod ipſe tanquam extraordinarius Dei ſervus, uti internuntius Chriſti, ſperare poterat, ſequenti orationi lucem eximiam fœneratur. Οἱ ὑπὸ 540.
νόμον *Cap. IX v. 20* non ſunt Judæi, quorum modo mentionem fecerat, ſed proſelyti. Ἀδήλως τρέχειν *v. 26* eſt ita currere, 546.
ut curſus leges ſusque deque habeantur. *Cap. X v. 2* verbum 554.
βαπτίζεσθαι non ſenſu alias recepto denotat *ſubmergi*, vel *adſpergi*, ſed per metonymiam conſequentis pro eo, quod Baptiſmum ſequitur, vel cum illo eſt connexum, *in fœdus cum Deo concedere, ac conditionibus fœderis ſtare.* Βαπτίζεσθαι ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ ita circumſcribit, cum præſentiſſimum Dei præſidium in nube & mari fiſſo conſpicarentur Iſraelitæ, ipſos *Moſi*, vel potius Deo, cujus miniſter erat, fidem & obſequium promiſiſſe, ac cum Deo fœdus quaſi conciliaſſe. Verbum εἶναι *ſignificationis* notionem hic loci ſuſti- 577.

 nere,

Pag. 579. nere, non diffitetur. Ἀκολαθεῖν, quod interpretibus multas creavit moleſtias, notat *obedire*, *morem gerere*, quia petra per-
584. cuſſa per *Moſen* eidem obſequium quaſi præſtitit. Τύπος *v. 6* eſt exemplum, quod poſteris ad inſtitutionem & adhortationem ponitur; inde contra ſententiam de *peccatis typicis* monet, illam vix a ſequela immunem præſtari poſſe, Deum eſſe autorem peccati. *Cap. XI v. 4* κεφαλὴ eſt Chriſtus, qui hoc no-
586. mine *v. 3* venit. Ἐξουσία *v. 10* eſt velamen, quo caput mulieris opertum erat in ſignum poteſtatis, quam maritus in illam
669. habebat. Ἄγγελοι ſunt angeli non boni, ſed mali, qui ex faciebus fœminarum, non velatis, impuras cogitationes & concupiſcentias excitare, ſaltem divinarum rerum cupiditatem impedire, potuerunt, quod facile uſu venire potuit, ubi in illis rei Chriſtianæ initiis in conclavibus minus ſpatioſis non longe a viris ſejunctæ, vel forſan ipſis intermiſtæ, ſederunt, quod aliter ſeſe in noſtris
675. cœtibus habet. *Cap. XII v. 1-3* ſermo eſt de Judæis impoſtoribus, qui converſos ex gentilibus turbare, & a fide in Chriſtum avertere, ſatagebant. Ἀντιλήψεις *v. 28* ſunt, qui hoc dono inſtructi erant, ut, quæ in peregrinis linguis propoſita erant, interpretarentur, κυβερνήσεις, qui facultate ſpiritus diſcernendi pollebant. Probat hoc ex *v. 9, 10*, ubi inter dona miraculorum
779. numerat διακρίσεις πνευμάτων & ἑρμηνείαν γλωσσῶν, & quoniam *v. 30* nominantur illi, qui linguas interpretantur. *Cap. XIV v. 29* per διακρίνοντας intelligit homines, qui facultate judicandi polluerint, num quis verus, vel falſus, ſit propheta, ac
888. tales ſeſe uno alterove miraculo probaviſſe, vel ab aliis prophetis veris agnitos fuiſſe. Locum *Cap. XV v. 29*, ſi non pro ἀλύτως habendus ſit, cum a diligenti Scripturarum ſcrutatore adverſus interpretationes, adhuc probatas, facile aliquid moveri poſſit, exiſtimat, de illis eſſe accipiendum, qui ſe mortuorum cauſa ſacris aquis adſpergi ſunt paſſi. Hunc vero in modum mentem ſuam explicat Vener. Autor. Ex *Corinthiis* fuiſſe, a Chriſtianorum ſacris alienos, qui, cum morituris amicis, ſanguine junctis, vel cognatis, adeſſent, eorumque conſtantiam, fidem vivam, ac certam ſpem beatæ reſurrectionis, animadverterent, animum mutaverint, ac religionem Chriſtianam amplecti decreverint,

in

in hujusque consilii sui confirmationem illico sacrum baptismum sibi ab ecclesiarum doctoribus, tum præsentibus, conferri optaverint. Quod cum moti fidei πληροφορίᾳ moribundorum Christianorum fecerint, & quidem in ædibus defunctorum, dici posse, *baptizatos fuisse* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, ac illos habitos fuisse a tribulibus suis pro hominibus sapientibus, sanctis, ac singulari ratione a Deo illuminatis; licet id factum non fuerit absque manifesto vitæ discrimine ob præsentes profanorum sacrorum administros, fœminas superstitiosas præficas, aliosque infideles, quibus Christiani aditum ad ædes suas negare haud potuerint. Θηριομαχίαν *v.* 32 non improprie sumendam, sed proprie interpretandam, esse contendit; *Paulum* Ephesi in theatrum a profanis hominibus abreptum, cumque feris bestiis decertare coactum esse, quæ sententia nexui & περιστάσει orationis *Paulinæ* magis conveniat. Hæc ex ingenti Pag. 978.
copia præstantissimarum observationum enotare, inque unum cumulum, judicio nostro minus interposito, conjicere, voluimus, quo de hoc eximio Opere eruditus Lector judicium ferre possit.

HISTORIA PHILOSOPHIÆ, AUTORE JOANNE ERNESTO SCHUBERTO.

Pars I.

Jenæ, sumtibus viduæ Crœkerianæ, 1742, 8.
Plag. 22½.

Prima ista Historiæ philosophicæ *Pars duo* complectitur *Capita*, quorum *posterius XII* in *Partes* dividitur. Illud Philosophiam in genere considerat; hoc barbaricam, ibidemque Chaldæorum, Persarum, Phœnicum, Arabum, sive Sabæorum, Ebræorum, Indorum, Sinarum, Ægyptiorum, Æthiopum, Druidum, Scytharum, Italorum. In Præfatione tria præmittuntur monita. Primum est, quod initio Philosophi plerumque Reges fuerint, aut patres familiarum, maxima in autoritate constituti, atque ætatem *Noachi* proxime attigerint; ab hoc quas veritates accepissent, non statim exoleviſſe, vero fiat simil-

limum. Alterum habet, quod abſurdæ plebis opiniones haud ideo denotent abſurdas Philoſophorum ſententias; multitudinem quippe a doctrinis alienam in præconceptas incidiſſe ſententias, quibus ſe deinceps accommodaverint ſapientiores, ni re, certe verbis. Ultimum docet, apud plerasque gentes duplicem fuiſſe Philoſophiam, publicam alteram, alteram arcanam. His munitus cautionibus Autor noſter, *longe aliam*, ut ipſius verbis utamur, *antiquæ Philoſophiæ faciem* deprehendit, *quam alii vidiſſe ſibi videntur. Atque ſic factum eſt, ut, plerosque gentium Philoſophos maximam partem orthodoxos fuiſſe, demonſtrare* potuerit. Dignum adeo erit inſtitutum illud, quod paulo curioſius inveſtigemus. Philoſophiam deſcribit, quod ſit complexus veritatum, quæ per rationem demonſtrari poſſint, aut, ſi ſubjective ſumatur, ſcientia rerum, quæ per rationem cognoſci queant. Objectum adeo Philoſophiæ eſt mundus, in ſenſus incurrens, animus & Deus; & quidem quoad mundum qualitas & quantitas corporum. Fines rerum ſunt id, quod Philoſophia tractat; ſingulatim vero cognitio corporum animatorum ad Philoſophiam pertinet. Univerſa autem Philoſophia ex mente Autoris eſt vel contemplativa, vel activa. Illa complectitur 1) Logicam, 2) & Metaphyſicam, quæ conſtat ex Ontologia, ex Coſmologia, ex Pſychologia, & quidem tam empirica, quam rationali, ac demum ex Theologia naturali; 3) Phyſicam, quæ eſt vel experimentalis, vel dogmatica, vel teleologica; 4) Matheſin, quæ diſpeſcitur in puram atque applicatam. Activa Philoſophia continet Philoſophiam activam generalem, moralem, jus naturæ, jus ſociale, in quo occurrit Oeconomia, & Politica, & denique Jus gentium. Hiſtoria Philoſophiæ eſt recenſio opinionum de rebus philoſophicis, quas homines varii unquam profeſſi ſunt. Philoſophia, prout ante doctrinæ Chriſtianæ initia conſideratur, vel barbarica eſt, vel Græcanica. Inter barbaros Chaldæi fere primas tenent, quorum primus doctor *Zoroaſter* fuit, cujus & oracula unum illorum doctrinæ conſtituunt fontem. Hic quamvis unum ſummum Deum profiteretur, qui ſolus eſſet colendus, tamen, cum multa genera intelligentiarum ſtatueret, & planetas quoque

cum

cum ſtellis animalia eſſe doceret, facile erat, ut poſteri in cultum dæmonum, aut aſtrorum, prolaberentur. Alius haud dubie *Zoroaſtres*, ſeu *Zerdusht*, fuit princeps ille Philoſophorum Perſarum. Unde & ſunt, qui nomen iſtud commune ſtatuunt principum in ſapientes. Alio nomine tales Perſarum eruditi Magi vocabantur, quos inter poſt *Zoroaſtrem* præcipuus fuit *Hyſtaſpis*, *Arſacis* filius, & *Hoſthanes*, tempore *Xerxis* clarus. Magorum autem vivendi genus maxime durum & ſeverum erat, utpote qui omnem externum cultum & luxuriam contemnebant. Monumenta *Zoroaſtris* illius non exſtant, unde σύστημα ipſorum philoſophiæ poſſet adornari. Generatim vero de doctrinis eorundem obſervandum eſt, quod his maxime conformia de Deo docuerint, quæ hodie a nobis creduntur, & quod de futuro mundi ſtatu, nec non mortuorum ad vitam reditu, non aliter ſtatuerint ac Chriſtiani. Pugnant cum Perſis de antiquitate Phœnices, quorum *Cadmus* in Græciam intulit literas, præcipuus autem Philoſophus fuit *Mochus*, ſive *Moſchus*. Illorum de philoſophia præter *Sanchuniathonis*, Phœnicis, fragmenta ſupereſt parum, atque hæc ipſa *Euſebius* conſervavit. Succedunt Phœnicibus Arabes, quos ſtudium philoſophicum jam inde ab antiquiſſimis temporibus excoluiſſe, partim ex hiſtoria *Jobi*, partim reginæ felicis Arabiæ, ad *Salomonem* profectæ, conſtabit. Nec Ebræi non tanguntur, quorum per philoſophiam Noſter intelligit naturalem illam ſcientiam, quæ culta eſt a *Jacobi*, ſive Iſraelis, poſteris: ubi vero, quoniam huic genti divina contigit patefactio, cavendum eſſe putavit, ne, quod illi divinitus revelatum ſit, ad philoſophiam rejiceretur. Sed ignotiores ſunt nobis, adeoque magis alliciunt curioſos, qui ſequuntur, Indorum Gymnoſophiſtæ, qui quidem duo diſpeſcuntur in ordines, Brachmanum & Germanum, multis ante Chriſtum natum ſeculis celeberrimos. Si qua fuit inter utrosque illos differentia; primo quidem Brachmanes præſtiterunt Germanibus, ſive Samanæis, quod illorum dogmata magis convenientia cenſebantur; tum priores uſi veſtimentis ſunt, poſteriores non item, denique unius illos eſſe generis, ſeu familiæ, oportebat, hos autem quacunque de familia colligebant. Vicini ſunt In-

dis Sinæ, quorum philoſophiæ cunabula æque obſcurum eſt inveſtigare, atque ipſius gentis originem. In eo tamen conveniunt ſcriptores, quod *Fohi* non ſolum primus gentis fundator, ſed & philoſophiæ conditor, exſtiterit, atque illius pariter ſucceſſores Reges ſimul ac doctores fuerunt. Omnes autem celebritate ſuperavit *cum Fu Su*, ſive *Confucius*, domeſtico nomine *Kieu* dictus; A. 551 ante Chriſtum natum in lucem ſuſceptus. At ſequamur Noſtrum in Africam, ubi quidem primo loco nominandi ſunt Ægyptii. Horum philoſophiæ autorem fuiſſe *Theut*, *Thoyt*, *Thoot*, *Taaut*, Græcis *Hermetem* dictum, inter omnes conſtat. Fuit autem ille forſitan antiquiſſimi cujusdam Ægyptiorum Regis ſupremus adminiſter. Æthiopes, omnium ſeſe antiquiſſimos eſſe, gloriantur, Ægyptiosque coloniam habuiſſe ab *Oſiride* deductam. Certe magna eſt utriusque gentis opinionum & ſacrorum convenientia. Principem autem illi Philoſophum habent *Atlantem*, quem & *Hermetem* fuiſſe, putat Noſter. Sed tangamus pariter, quæ nobis propiora. Celtarum inter Philoſophos occurrunt Druides, quorum tres ordines conſtituuntur, Bardorum, Vatum, & Druidum, κατ' ἐξοχὴν ita dictorum; omnes autem uno capite, ſive præſide, regebantur, qui ſummam habebat inter illos autoritatem. Neque Scythæ atque alii populi ſeptentrionis Philoſophis plane caruerunt, quos inter princeps fuit *Abaris*, *Pythagoræ* tempore clarus, quocum & verſatus eſſe dicitur. Hic ipſe eſt *Pythagoras*, qui doctrinarum ſuarum celebritate omnem illuſtravit Italiam, quippe & *Numæ Pompilii*, Romanorum Regis, præceptor. Longum ſane foret, ſi, per partes eundo, ſingulares ſingularum gentium doctrinas evolveremus, easdemque, Autore noſtro duce, ſolicitius compararemus, ac partim a mendis vindicaremus. Jam igitur, ſalivam lectoribus moviſſe noſtris, ſufficiat.

COURS ABREGE' DE LA PHILOSOPHIE Wolffienne, &c.
id eſt,
CURRICULUM PHILOSOPHIÆ WOLfianæ compendioſum, forma epiſtolica inſtructum. Tomus

mus primus, quo exhibetur Logica, Ontologia, & Cosmologia, Autore JOANNE DES CHAMPS, Eccleſiaſte aulico Regis Boruſſorum Auguſtiſſimi, ac Præceptore Principum Sereniſſimorum Henrici ac Ferdinandi, fratrum Regis.

Amſtelodami & Lipſiæ, impenſis Arkſtæi & Merci, 1743, 12.

Plag. 17.

Viro Pl. Rev. in acceptis refert jam orbis eruditus Gallicam minoris Logices *Wolfianæ* interpretationem. Et ex eo tempore Gallos complures inceſſit cupiditas, omnem Philoſophiæ *Wolfianæ* compagem propius noſſe & intueri. Succurrit eis commodum ſcientiſſima Marchioniſſa *Chaſteletia*, cujus Phyſicam mathematicam, ſolide, venuſte, & facillimæ methodo congruenter, ſcriptam, ſuſpexerunt eruditi plerique, per Europam diffuſi, id literarum genus callentes. Symbolam ſuam denuo diligentiſſime obtulit ſocietati Philoſophorum haud uni Vir, qui in hoc ſtudio vires ſuas jam cum laude periclitatus fuit, easdemque exercet, dum Principes juventutis regios elementa Philoſophiæ docet *Wolfianæ*, quibus eadem inſcribere aggreſſus fuit. Attentum & capax ingenium requirit *Wolfiana* Philoſophiæ tractatio. Faciliorem reddiderunt eam præter Illuſtriſſimam *de Chatelet* Cl. *Formey*, qui Gallice ſcripſit *La belle Wolffienne*, nec non ipſe doctiſſimus *de Vattel*, qui edidit opus inſigne, quod inſcribitur: *Defenſe du Syſteme Leibnitien*, id eſt, *Philoſophiæ ſyſtematicæ Leibnitianæ Vindiciæ.* Noſter in eo haud cumprimis eſt occupatus, ut Philoſophiam *Wolfianam* reddat jucundam. Id potius agit, ut eam exhibeat minus aridam, & magis explicatam, intelligentiæque accommodatiorem, quam ipſa ab Autore Ill. fuit exhibita. Galli enim ferre id haud poſſunt, quod a veneribus & venuſtate elocutionis eſt alienum. Amant illi non ſolum ſublime, ſed etiam pulchrum. Liber hic, quo Philoſophia *Wolfiana* per modum epiſtolarum ſeſe ſpectandam offert, originem debet commercio literario, quod Autor Pl. Rev. jam Reinsbergæ coluit

coluit cum candidato Theologiæ *Cabrit*, poſtea miniſtro eccleſiæ Gallicæ, quæ Chriſtum colit Francofurti ad Oderam, intra annum ætatis 26 defuncto. Incidit Autor, cum opus ſuum jam ad umbilicum adduxiſſet, in *Inſtitutiones Phyſicæ*, ab Illuſtriſſima Marchioniſſa *de Chatelet* profectas. Laudat ipſe conatum fœminæ incomparabilis præſtantiſſimum, deſiderat tamen in Inſtitutionibus illis brevitatem ſtili, ſuis legibus coercitam, & evidentiæ curam, ab ornatu minus ſuppreſſam, nec non id, quod Ill. Marchioniſſa Philoſophiam *Wolfianam* tribuerit *Leibnitio* ſoli, cum tamen ædificium, ejusque exſtructio, Ill. *Wolfio* debeatur. Et, ut dicamus, quod res ipſa poſtulat, *Leibnitius* ipſe compagem omnem non dedit exaſciatam & exſtructam, nec Metaphyſicam, perpetuo nexu jugatam, luci expoſuit. Notat idem in Autore *Pulchræ Wolfianæ* ſtudium conflandi objectiones adverſus eam Philoſophiam, quam pulchritudinis laudibus ornare conſtituerit ipſemet *Tomo primo*. Nec ferre poteſt, quod hic ſuus amicus inſeruerit *Continuationi* Epiſtolam, quam ille ſcripſerit, cujus exſtent ſcripta in *Wolfium*, felle pleniſſima. Addit, objectiones illas diſſolutum iri in *refutatione Metaphyſices Voltairii* Gallica, inter Batavos edenda, quam Germanice ſcripſerit Cel. *Kahlius*, Profeſſor Gottingenſis, quam dudum in compendium miſimus. Gratulatur ſibi de conſenſu Ill. *Wolfii*, quippe qui hujus compendioſi curſus partem legerit & approbaverit. Quicquid paſſim Cel. Autor inſeruit de hiſtoria philoſophiæ *Leibnitianæ* ac *Wolfianæ*, id univerſum depromſit ex ſcriptis Cel. *Ludovici*, apud nos Profeſſoris clariſſimi. Meminit præterea Vindicias illas, quas Doctiſſ. *de Vattel* Lugduni Batavorum A. 1741 edidit cum titulo: *Défenſe du Syſtême Leibnitien contre les objections de Mr. de Crouzas & de Mr. Roques.* Id vero monet denuo, philoſophiam hanc potius Ill. *Wolfio*, quam *Leibnitio*, eſſe attribuendam. Fatetur tamen ingenue, *Leibnitii* mundum optimum & harmoniam præſtabilitam ab illis Duumviris fuiſſe infeſtatam, ideoque *Vattelii* fuiſſe, *Leibnitii* potiſſimum habere rationem, nec exſtare vindicias philoſophiæ *Wolfianæ* ſolidiores ac præſtantiores. *Tomus* hic *primus* Epiſtolis duodetriginta conſtat.

Epiſtola

Epiſtola prima merita *G. G. Leibnitii* & *Chriſtiani Wolfii* philoſophica & mathematica percenſet, laudibusque effert. *Epiſtola ſecunda* verſatur in enarrandis inventis mathematicis, quæ *Leibnitio* tribui ſolent. Differitur hic de machina arithmetica, horologio oſcillatorio portatili, de calculo differentiali, cujus inventionem haud obſcure *Iſaaco Newtono* abjudicat, de arithmetica binaria, ſeu dyadica, de ratione fodinas metallurgicas expurgandi, de barometro novo, de calculo redituum anticipatorum, de methodo inveniendi Tangentes, de contactu circuli ac lineæ, de curſu planetarum harmonico, de calculo ſitus, de characteribus algebraicis novis, ac de inſtrumento arithmetico, cujus ope nonnullæ rotationes circa cylindrum ſufficiunt intra temporis punctum detegendis calculis maximis. Dolemus, inſtrumentum hoc haud prorſus fuiſſe a *Leibnitio* perfectum. *Epiſtola tertia* exhibet *Leibnitii* inventa philoſophica. In hunc cenſum Autor refert principium rationis ſufficientis, principium indiſcernibilium, monadologiam, harmoniam præſtabilitam, & doctrinam de mundo optimo. *Epiſtola quarta* offert inventa Ill. *Chriſtiani Wolfii*. Huc refert Autor Aerometriam, Coſmologiam, Philoſophiam practicam univerſalem, detectas multiplicandarum frugum rationes, lampada ſibimet olei ſatis ſubminiſtrantem, æquilibrium quoddam, & uſum methodi apodicticæ firmiorem. *Epiſtolæ quintæ* argumentum nititur tractatione logica de ideis, ac de judicio. *Sexta* percenſet momenta ratiocinandi & demonſtrandi potiora. *Septimam* ornat expoſitio de vero, falſo, certo, incerto, & probabili. Et, ne quid omittamus, differit hic Autor de veritatis criterio formali, quod conſiſtit in determinabilitate prædicati ex notione ſubjecti. De criterio autem materiali, quo docemur phænomena, ſenſus externos afficientia, a ſomnio & phantasmate diſcernere, attulit nihil. *Epiſtolæ octavæ* materiam præbuerunt notiones ſcientiæ, opinionis, fidei, & adminicula detegendi veritatem, nominatim ſenſus & ratiocinatio. Addidit Autor differentias, quibus inter ſe diſſident libri, modosque, ſecundum quos illi ſint dijudicandi & legendi. Accedunt capita de interpretando ſacro Codice, & de uſu Logices in convin-

Pag. 11. 18. 37. 47. 72. 92.

cendo, refutando, defendendo, diſputando, docendo, ac in vita communi. Reliquæ *Epiſtolæ* ad Ontologiæ & Coſmologiæ ſumma pertinent faſtigia. Pronuntiata ac ſententias magiſtri, quas ad verbum Cl. Autor expreſſit, formam literarum præferunt *Aldinam*. Nonnunquam ex Hiſtoria philoſophica aliquid decerpſit atque intexuit. Qui *Thummigium*, *Gottſchedium*, *Canzium*, aliosque Viros præſtantiſſimos, de Ill. *Wolfii* ſchola homines, propius ſalutarunt, ſibi, præter formam epiſtolicam & perſpicuam brevitatem, captui uniuscujusque accommodatam, non adeo multum novi hic oblatum fuiſſe exiſtimabunt. Cum vero de guſtibus, & multiplici placendi ratione, non videatur diſputandum; credibile nobis eſt, ad palatum Gallicum hæc magis fore, quam ad rugas *Catonis*, comparata. Noſtrum eſt, publico nomine continuationem Operis, ejusque coronidem, deſiderare, licet libertatem ſentiendi philoſophicam nobis velimus ſalvam manere & intactam.

Erläuterung der Wolfiſchen Gedancken von GOtt, der Welt, und der Seele des Menſchen, auch allen Dingen überhaupt, ꝛc.

hoc eſt,

EXPOSITIONES COGITATORUM WOLFIANORUM de Deo, mundo, anima hominis, rebusque generatim conſideratis, Autore JOANNE FRID. STIEBRITZIO, Prof. Ord. Philoſ. in Academia Halenſi.

Pars II.

Halæ & Bernburgi, ex officinis Fritſchianis, 1743, 8. Alph. 1 plag. 2.

Pſychologiam continuat Cel. Autor, ab experientia deductam, & in commercio animæ corporisque propius determinando ſubſiſtit. Brevius obſcuriusque dicta illuſtrat. Sententias *Wolfianas* paſſim novis conſtringit argumentis. Objectiones B. *Andreæ Rüdigeri* ac aliorum pro re nata attingit ac diluit. Animam humanam ſibimet eſſe ignotam penitus, pernegat,

negat, licet haud inficietur, multis multa hic esse obscura, nec distinctissime de singulis ratiocinandum esse. Experientia interior & attentio hic faciunt proram & puppim. Usum Psychologiæ empiricæ recenset Autor suo jure. Mentem humanam notiorem sibi esse corpore, *Cartesio* largitur. De luce animæ ita disserit, ut doctrinam de illuminatione theologica simul illuminet. Perceptiones partiales & totales illustrat. Profunditatis meditationum signa spuria adducit, & a genuinis secernit. Notas corporis nostri adjungit, meritoque lectorem remittit ad Dissertationem suam de eo, *quid ratio de resuscitatione corporum cognoscat.* Sensionum species enucleat. An ipsæ sint in potestate nostra, disquirit & inficiatur sub certa conditione. De imaginariis fanaticorum inspirationibus scite judicat. Fontem deliriorum detegit. Sensionem logicam & personalem solicite distinguit. Ad posteriorem referenda est lex associationis idearum accidentalis, cujus multiplicem adjungit usum. Perparum de insomniis exhibet, alibi de eis copiose commentatus. Ratio sufficiens eis deest objectiva; perstat tamen subjectiva, regulæ imaginationis congruens. Definitionem *Wolfianam*, de *memoria* afferri solitam, ab objectionibus *N. H. Gundlingii* & *Mülleri* vindicat. De lapsibus memoriæ honeste judicat. Oblivionem a defectu recordationis distinguit. Methodum tabularum negat esse inutilem. Capacitatem memoriæ *Jac. Phil. Speneri* prædicat. Artem mnemonicam haud spernit. Attentionis gradus dispicit. Adminicula attentionis augendæ recenset. Impedimenta addit. Reflexionis originem & incrementa edisserit, obstaculis haud neglectis, quibus actus animæ reflexi turbantur, vel cessant. Intellectum purum, tum objecti, tum modi, respectu sic dictum, in mentibus humanis dari, negat. Alphabetum naturæ *Helmontii* & *Neumannianum*, pro significatu literarum Hebraicarum hieroglyphico faciens, suffragio suo indignum arbitratur. Artis characteristicæ combinatoriæ usum, difficultates, ac vindicias, contra Cel. *C. A. Heumannum* expromit. Exspectationem eventuum similium, experientiæ complementum, solide edisserit. Nihil adjunxit de eo, quod in sensio-

Pag. 252. 275. 289. 294. 304. 314. 329. 344. 355.

nibus externis eſt certum, & quonam criterio illud a ſomnio ac meris ideis diſtinguendum ſit. Ordo cohærentium, & eorum, quæ ſentiuntur, ab arbitrio noſtro independentia, videntur hic venire in cenſum. De ingenii voce, natura, & gradibus, Autor copioſe commentatur, præmiſſa artis hevreticæ regula generali. Definitionem de *ratione* mentis *Wolfianam* ab objectionibus it vindicatum. Rationem, λόγον, in ſacris literis
Pag. 377. numero rerum malarum & averſandarum inſeri, pernegat. Definitionem *voluptatis*, animo infixæ, vel in eo exorientis, propugnat, & a monitis Cel. *Walchii* defendit. Si quid arbitrari nobis licebit, approbabunt univerſi notionem voluptatis, ſi hanc dixeris eſſe ſtatum animæ, qui ex intuitu & ſenſione perfectionis exoritur. Ad doctrinam, quæ de affectibus præcipit, vel potiſſima tradit, nihil attulit Autor novi. Amorem denuo interpretatur per affectum, quo voluptatem ex alterius felicitate percipimus. At datur etiam amor ſui. Quare amor eſt voluptatis ſenſus ex cujuscunque ſtatu amœno, ſeu bono. Qui divitias amant, dici certe non poſſunt ex felicitate earum voluptatem capere. Velle homines & nolle ob invitamenta, ſeu
412. motiva, copioſe oſtendit Cel. Autor, ac diſſentientium argumenta elidit, ratus, inde nullam inferri calamitatem libertati humanæ. Digna eſt hæc diſputatio, quæ attente & diſtincte
419. expendatur. Voluntatem eſſe conatum deſiderandi ἀγαθοειδῆ, ſolide monſtrat, largitus, homines ſæpius expetere malum, idque per errorem, ſub ratione boni, nec homini per naturam ſuam conſiderato ineſſe vim, ſemper perſpiciendi bonum qua bonum, idque & expetendi, & exercendi. Viribus gratiæ di-
428. vinæ hoc munus transſcribit. Homo enim, ſibi relictus, præponit bonum ſpeciale & exiguum univerſali, majori, & durabili bono. Omittimus reſponſiones, *Hoffmanni* objectionibus ſingulis impertitas. De voluntate antecedenti & conſequenti ita
436. differit, ut, priorem Deo proprie tribuendam eſſe, neget. Quærimus vero, an Deus ſerio velit omnes ſervari homines a pernicie ſempiterna. Serius hic amor ad voluntatem Dei conſequentem haud congruit. Quid ergo? Solicite diſtinguenda eſt philoſophica differentia voluntatis illius utriusque a theologica.

logica. Secundum hanc voluntas antecedens erit amor Dei, quo rebus creatis, ratione inſtructis, tantum boni impertiri cupit, quantum hæ capere poſſunt. Licet vero nonnullæ earum illi amori obicem ponant, & impediant ejus exercitium; inde tamen amor ille non redditur improprius, vel nullus. Hæc ὡς ἐν παρόδῳ, quæ a Cel. Viro approbatum iri confidimus. Suffecerint vero ſpeciminis loco, quæ hinc inde delibavimus, Pag. 500. ſiquidem haud licet nobis ea, quæ doctiſſimus Autor ad principium indiſcernibilium attulit vindicandum, aliaque bene multa, huc transferre.

PHILOSOPHIA PRACTICA UNIVERſalis, Jus Naturæ ethicum, & Ethica; Autore CAROLO GOTTHELF MULLERO, Ord. Philoſ. Jenenſ. Adjuncto.

Jenæ, ſumtibus viduæ Crœckerianæ, 1743, 8.
Alph. 2 plag. 3½.

Ex quo Philoſophi ſuam philoſophandi libertatem adhibuerunt, nec amplius in Ethicam Ariſtotelis cumularunt commentarios, ipſa quoque Philoſophiæ moralis tractatio certior & uberior caput extulit, novumque nacta fuit ſplendorem. Ex hac libertate volumen hoc enatum fuit. Cl. Autori viſum fuit Hl. *Chriſtiani Wolfii* & eximii *Canzii* merita in hanc Philoſophiæ partem ſub ipſo tractationis exordio publice venerari & concelebrare. His præeuntibus, animum manusque ad ſcribendum applicuit, eorumque doctrinas maiori luce illuſtrare, pleniorique meditatione ornare, ſtuduit Cl. Autor. In methodi lege ab illis magiſtris paululum diſceſſit. Rationem hujus receſſionis uberius expoſuit in *Introductione* ſua *in Philoſophiam moralem*. In Philoſophia practica univerſali exhibuit idem 1) generaliſſimam actionum humanarum, in omni vitae humanæ ſtatu ſuſcipiendarum, notitiam; 2) generaliſſima ad eas invitamenta; 3) generaliſſima, eis inſervitura, adminicula. Huc rectum conſcientiæ moralis uſum, virium ſui ac aliorum cognitionem, & decori actionum humanarum retulit

cuſtodiam. Summa ope eniſus fuit, ut generaliſſimam illam de obligatione morali doctrinam, de conſcientia morali, de cerimoniis, & de cognitione tum ſui ipſius, tum aliorum, quantum ad vires attinet, redderet diſtinctiorem ac fœcundiorem. Jus naturale ita docuit, ut, nexu officiorum minus interrupto, tradiderit ſcientiam, eamque ita formaverit, ut uſibus omnium, qui bonis literis dant nomen, æque conſuluiſſe ſit exiſtimandus. In præcognitis juris naturalis, præſertim in doctrina, qua de imputatione morali diſſeritur, copioſior fuit, novasque addidit imputationis ſpecies, Theologis profuturas. Nec his ingratum erit ipſius ſtudium, quod in pertractanda Theologia naturali practica, ſive officiorum erga Deum naturalium ſcientia, fuit dextre collocatum. In Theologia naturali practica rationem habuit luminis utriusque, tum ejus, quod a ratione, tum illius, quod a revelatione, cognominatur. In altera Juris naturæ ethici parte navavit potiſſime operam, ut accurata vitiorum & virtutum inveniret nomina, delineationes & virtutum & vitiorum exactas afferret, atque in characteres eius, qui peculiari vel virtute, vel vitio, conſpicuus eſt, ſedulo inquireret. In tertia juris naturalis ethici, ſeu cogentis, parte B. *Kœhleri* veſtigia, quod ipſum gratus agnoſcit, ſæpius legit. Ethices partem primam & ſecundam dedit tertia elaboratiorem. In invitamentis, quibus mentes ad virtutes & vitia incenduntur, ediſſerendis ita inceſſit, ut 1) accurate & diſtincte *motivum* explicaverit, 2) veritatem ejus demonſtraverit, 3) illuſtrationibus exquiſitis reddiderit vividius, & 4) id, nervoſius expreſſum, ad animos commovendos accommodaverit. Controverſias omnes a tractatione ſua abeſſe juſſit. Rigida demonſtrandi lege fuit uſus, licet paragraphos antecedentes haud excitaverit crebro, nec nomina ſententiis ſingulis adſcripſerit, e Mathematicorum officinis arceſſenda. *Bonitatem* & *malitatem* actionis crebra repetitione credidit uſui attemperandam & mitigandam. Diſcrevit *actionem humanam* ab *actione hominis*,
Pag. 2. ratus, illam eſſe liberam, hanc non ſemper. Cuilibet parti
7. practicæ præmiſit theoreticam. Actiones morales liberas dari,
§ 3. quæ ſint nec bonæ, nec malæ, ſolide negavit. Moralitatem

ſubje-

ſubjectivam ex objectiva fluere, oſtendit. Opus eſſe homini revelatione divina, egregie evicit. Doctrinam de conſcientia non ex ratione tantum, ſed ex ſacro etiam Codice, confirmavit. De dormituriente, ſomniante, & dormiente, conſcientia ſolide expoſuit. Eis, qui Theologiam moralem diſpiciunt, hæc tractatio fructum afferet inſignem. Statum obduratæ mentis ediſſeruit egregie. Vigilantem conſcientiam delineavit. Uſum doctrinæ, quæ de conſcientia præcipit, pulchre ſubjunxit, ita, ut Theologos haud pudeat, nec pœniteat, arva ſua rigare. Monuit ſalubriter, dari caſus, in quibus per vires naturales nequeamus certam conſcientiam obtinere. Probabilismum Jeſuiticum expugnavit, & procul faceſſere juſſit. Morſibus conſcientiæ unicam Dei revelationem, quæ docet reconciliandi Numinis rationem, mederi poſſe, oſtendit. Cognitionem vivam dari, aliam in ſe talem, nec efficientem, aliam ſimul efficacem, ac efficientem, & impedimenta removentem, demonſtravit. Cerimonias exiſtimat eſſe actus externos, varia ſignificantes, quæ cogitanda ſunt in inſtituto quodam, ut ipſi fiat ſatis. Dedit de eis ex profeſſo meditationes ſuas in lucem, edita Jenæ A. 1739 Diſſertatione. Potiora hujus argumenti momenta denuo ediſſeruit. Ludicrum & ridiculum, cerimoniis nonnullis adjectum, notavit. Cerimonias typicas in gratiam Theologorum attigit. Dignæ ſunt illæ uberiori commentatione, ut Naturaliſtis ac empæctis fiat ſatis, qui, ſimul ac agnoverint ſapientiam Dei, in typis prædefiniendis elucentem, œconomiam *Moſaicam* animo convicto venerabuntur. Doctrinam de temperamentis fluidi in corpore humano diverſis pro more Cl. Autor fuit commentatus. Phyſiognomiam humanam nondum ad certas regulas eſſe redactam, dolet. Prædicavit inter hæc *Jo. Baptiſtæ Portæ* libellum, ad hoſce corymbos referendum. Simulationis fontes & rationes dijudicavit luculente. Indicavit licentiam & jus ſimulandi, diſtinguens ſimulationes licitas ab æquivocationibus, & a reſervatione mentali. De imputatione facti alieni diſtincte & caute præcepit. Repudiavit doctrinam de capite repræſentativo, *Adamo* utroque. Veremur vero, ne pronuntiata ſacri Codicis, huc referenda, ſimul repudiaverit.

Pag. 45.
60.
65.
68.
77.
86.
94.
99.
103.
110.
121.
174.

Pag. 202. verit. Decretum creatori tribuit ſimilia producendi. Addit: *Deus eſt ens ſimpliciſſimum. Hinc decreto ſuo convenienter non*
204. *niſi entia ſimplicia, ſive ſubſtantias, producere potuit.* Memorabile eſt hoc pronuntiatum: *Si homo perverſionem mediorum, divinitus ad beatitudinem ſuam conſtitutorum, a ſe ipſo perpetratam, ſibi imputare poſſet; nihilo minus certus eſſe poterit, Deum adhuc ejus perfectiones & felicitatem voluntate velle efficaci, eaque efficiente.* Niſi fallimur, apocataſtaſis cacodæmonum hoc ſcito ſimul confirmatur. Laudamus de cetero conatum Cl. Autoris, demonſtraturi, divinam dari revelationem, in literas relatam. Perplacet ejus de Theologia naturali, eaque practica, de pietate, & impietate, tractatio. Mirandum ſane eſt, Cl. Virum conſulta luminis rationis tantopere amplificare valuiſſe. Quam vellemus, Theologia moralis, e ſacro Codice collecta, & hunc in modum elaborata, copioſiusque diffuſa, exſtaret, quæ ita eſſet conſcripta, ut ab univerſis hominibus intelligi & adhiberi poſſet! Superſtitio, quæ ſingulis in Deum officiis modisque ea peragendi facile adhæreſcit, longe lateque hic eſt deſcripta & everſa. Fanatici habent hic ſpeculum, in quo maculas ſuas intueri queant, ne quid de iis dicamus, qui amore Dei mercenario laborant, vel in opere operato ac-
804. quieſcunt. In cenſum cultus erga Deum perverſi Cl. Autor æque retulit Naturaliſmum, ſeu Deiſmum, & Indifferentiſmum, qui præcipue Enthuſiaſtis ſolet eſſe familiaris. Ethices princi-
812. pium generaliſſimum poſuit hoc: *Fac ea, quæ ad naturam agentis, ad naturam ejus, cujus in gratiam actio ſuſcipitur, & ad reliquas ſubſtantias, quibuscum ſimul exiſtis, congruunt; omitte ea, quæ hiſce repugnant.* Ad invitamenta actionum id ſpectat. Quantum ad adminicula attinet, hoc exhibuit principium: *Uſum virium ſapientem adhibe.* Adminiculum gene-
821. raliſſimum colendi Deum, hoc judice, eſt conformatio actionum liberarum ad legem naturalem. Plura adderemus, niſi jam Lectori eſſet proclive, de voluminis pretio & honore ſincerum facere judicium.

hoc eſt,

INSTITUTIONES ELOQUENTIÆ SACRÆ, Autore JOANNE ERNESTO SCHUBERTO.

Jenæ, impenſis viduæ B. Joannis Rudolphi Crœckeri, 1743, 8. Alph. 1 plag. 3.

Homileticis prælectionibus nunquam interfuit Cl. Autor, nec in libellis hujusmodi legendis fuit occupatus. Nihilo minus ex ſcopo, qui oratori ſacro præfixus eſſe debet, librum hunc compoſuit, ratus, oratoris ſacri eſſe, auditores de veritatibus, quibus fides & pietas nituntur, reddere convictos. Credit adhæc, oratione una unicam veritatem ſolide eſſe evolvendam, demonſtrandam, & vindicandam. Tramitem conſuetum haud rejecit, ideoque docuit ex quibusdam Codicis ſacri pronuntiatis, vel unica periodo, ſententiam ſeu veritatem unicam quandam effingere. Diviſionem ſententiæ, in nonnulla membra diſtribuendæ, & exordii præmiſſionem, approbat. Ut methodi ſuæ virtutes demonſtret tolerandas & bonas, ipſe faſciculum evulgabit Orationum ſacrarum, ne deſint regulis, ab ipſo traditis, exempla. Hæc ſignificavit in Præfatione. Iſagoge autem offert univerſales veritates, quæ tractationi ſunt inſtar fundamenti. Complexus tractationis ſequitur methodum elaborationis, quam ætas noſtra & logicam, & mathematicam, appellare ſolet. *Capitibus novem* Cel. Autor comprehendit, quicquid ad inſtitutiones haſce tradendas judicavit ſpectare. *Primo* exponit doctrinam de analyſi textus. *Secundo* diſſerit de inventione propoſitionis. *Tertio* ad diviſionem propoſitionis exhibendam feſtinat. *Quarto* commentatur de partium elaboratione. *Quinto* exponit doctrinam de veritatum ad mentes applicatione. *Sexto* doctrinam de formando exordio intexit. *Septimo* agit de recitatione ſacræ orationis. *Octavum Caput* prepologiæ oratoriæ inſervit. Ultimum locum occupat inſtitutio, ad orationes ſacras caſuales accommodata. Nihil hic deprehenditur de arte commovendi, & ſedandi, vel incendendi, affectus auditorum. Senſum myſti- Pag. 20.

cum a literali prorſus differre, inficiatur, provocans ad ſcopum, quem Spiritus Sanctus in Codice ſacro tenuit ſibi præſtitutum. Negat præterea, duplicem ſenſum literis ſacris ineſſe, literalem pro nondum renatis, & ſpiritualem pro regenitis.

Pag. 28. Artem dignoſcendi ſubjectum a prædicato diſtincte expedit. Sacras literas divinitus eſſe inſpiratas, contra Anonymum fluctuantem oſtendere contendit. Rationes, cur Deus olim ſtilo ſymbolico & parabolico uſus ſit, ſuppeditat haud contemnendas. Nec novimus alios, qui tam apodictice artem determinandi vocum ſignificatus tradiderint. Loca *Matth. XIII,* 10, & *Marc. IV,* 11, 12, ſolide exponit. An ipſius expoſitio dicti *Rom. VIII,* 22, ſit unice vera, an ſententia *Turrettini* ſit præferenda, jam non diſputamus. Chriſtum dici *agnum Dei Jo. I,* 29, relatione ad hircum Aſaſel inſtituta, arbitratur. At hic non fuit agnus. Perſuademus itaque nobis, reſpici ad agnos ſacrificii jugalis, typos Chriſti, pro peccatis hominum repenſuri obedientiam & pœnas. In typis admittit ſenſum & literæ, & myſticum. Senſum dari myſticum illatum, negat. De ſenſu vaticiniorum eruendo nonnihil ſuppeditavit, aſſenſu dignum. In parabolis dari ſententias, ornatus & connexionis cauſa intextas, quæ ad ſcopum haud referendæ ſint, tradit. Quid generatim in exponendis literis divinioribus ſit ſalubre & neceſſarium, perpulchre ediſſerit. Eos, qui grammaticas & lexicographas minutias, vel contemtionem interpretationis *Lutheri,* in ſuggeſtum ſacrum traducunt, merito caſtigat. Peccatum, in Spiritum ſacrum commiſſum, exponit de malitioſa repugnantia, qua quis extraordinariæ Dei gratiæ, emendando peccatori intentæ, contradicit. Explicat dictum *Joannis* de Chriſto veniente cum aqua & ſanguine *1 Jo. V, 6.* Nefas haud eſſe, veritates quasdam ſimul ex lumine rationis comprobare, argumentis contendit oſtendere haud ſpernendis. Abuſum rationis e ſuggeſtu ſacro proſcribendum eſſe, idem docet. Teſtimoniis Patrum in orationibus, ex ſuggeſtu ſacro habendis, nullum relinquit locum. Syntheticas demonſtrationes & teſtimonia Autorum extraneorum, ſeu profanorum, ab eis procul eſſe jubet. Analyticis demonſtrationibus rite inſtitutis concedit

45. 58. 64. 67. 81. 88. 260. 272. 276. 286. 300.

dit locum. Ut auditores inter concionandum ſententias in ſa- Pag. 312.
cro Codice evolvant, haud ſuadet. An, quando, & quomodo, refutatione erroris ſit utendum, Autor ſollicite demonſtrat. Suadet, ut nomina errantium in refutatione errorum ſupprimantur. 332.
Mundum in nihilum redactum iri, negat, ratus, eum die noviſſimo iri modo immutatum. Didaſcalicum & elenchthicum uſum nomine iſto indignos eſſe, oſtendit. 373.
Uſum paracleticum eſſe ipſius pædevtici ſpeciem, addit. 395.
Duplex exordium improbat. De periodorum ſtructura, earumque compage, affert haud tralatitia. Si orator forte legit orationem ſacram, morem hunc ipſe appellat ſuſpectum, & eum exiſtimat ſcopo diſconvenientem. 572.
Solent certe homines, qui alios exſcribunt, vel timidiores ſunt, de ſcripto ſua prælegere. Eos, qui orationes aliorum vel memoriter recitant, vel transſcribunt, merito averſatur & faſtidit. 575.
Omittimus reliqua, ſiquidem Lector ex hac fimbria de texto valebit judicare. Subit memoriam illud *Ovidianum: Singula quid referam? Quid non laudabile vidi?*

Critiſche Anmerckungen über das Neue Teſtament D. Martin Lutheri, ꝛc.
hoc eſt,
IN NOVUM TESTAMENTUM D. MARTINI Lutheri Annotationes criticæ CHRISTOPHORI FRIDERICI AYRMANNI, Prof. Hiſt. & Philoſ. in Academia Ludoviciana.
Pars I.
Hamburgi, impenſis Chriſtiani Wilhelmi Brandti, 1743, 8.
Plag. 6.

Bibliothecæ Academicæ Cel. *Ayrmannus* invigilat, & in ea aſſervat translationem Bibliorum Novi Teſtamenti Germanicam, a B. *Luthero* A. 1529 adornatam, editamque Marpurgi, primam, quæ in Haſſia poſt ſacra reformata prodiit in lucem. Uſibus eam adhibuit *Majus* uterque, parens & filius. Conſtat

ſtat ipſa 317 foliis. Charta nitorem & denſitatem præfert. Typographus, *Franciſcus Rhodus*, eam formis publicis deſcripſit. Editioni præmiſit *Philippus Magnanimus*, Landgravius Haſſiæ, Reſcriptum ſuum, Principe tanto dignum. Contulit eam Cel. Autor cum editione, quæ haud minus opera *Lutheri* A. 1540 Vitebergæ per *Hanſum Lufft* in lucem fuit emiſ-
Pag. 4. ſa. Utriusque vero comparationem Autor inſtituit cum verſione *Lutheri*, quam D. *Majus* una cum ſententiis Græcis Giſſæ A. 1705, 12, exire juſſit in publicum, cum translationibus *Reitzii* ac *Trilleri*, A. 1703 editis, nec non cum verſione vulgata editionis anni 1486, *Milliana* Nov. Teſt. per *Lud. Küſterum* A. 1710 curata, prætereaque cum editione *Theodori Bezæ* Græca, cui *Beza* & ſuam & vulgatam Latinam interpretationem adjecit. Conſuluit inprimis editionem, quam *Lutherus* A. 1546 emiſit. Pretium verſioni, a *Luthero* profectæ, ſta-
6. tuit ſane magnum, licet, eam ab omni nævo eſſe immunem, nolit affirmare, ſiquidem annorum ſucceſſu *Lutherus* hinc inde voces & verba ſententiasque nonnullas mutavit. Quæri autem poteſt, quænam lectionum variantium maxime ad verba divinitus inſpirata congruat. Ut huic quæſtioni ſatisfieret, Autor hoc faſciculo, quo *Matthæo* opera impenſa eſt, nulli labori pepercit, paſſim oſtendens, quam exigui pretii ſint *Reizii* & *Trilleri* emendationes, ipſa quippe *Lutheri* verſione inferiores. Miramur, voci δυνάμεις *Matth. XIII, 54*, nemi-
28. nem ſubſtituiſſe voculam *Wunderwercke*. Adde *XIV, 2*. Locum *Matth. XV, 5*, Autor ſolide transtulit. Vulgata ibi rei ipſi prorſus repugnat, licet eam *Beza* illic approbaverit. Verſionem *Lutheri*, in *Matth. XXVI, 45*, obviam, egregie vindicat. Recenſet varias interpretationes loci *Matth. XXVIII, 1*, ſuamque eis adjungit, ratus, per ὀψὲ σαββάτων deſignari *tempus poſt veſperam ſabbati*. At
55. μίαι σαββάτων ibi eſt prima dies hebdomadis. Ergo ſic inſtituenda eſt verſio: *Sub finem hebdomadis, immo die jam illucente, ut primus exiſteret hebdomadis dies*. Sic vocula ὀψὲ ſumitur a LXX *Eſ. V, 11*. Succedit pars annotationum in *Marcum*. Nexum *I, 3, 4*, dilucide
61. indicat. Ad *III, 20, 21*, copioſior eſt, ac illud ἐξέστη non ad Jeſum,

Jeſum, ſed ad vulgum de ſtatu mentis dimotum, trahit ob *Matth. XII, 23*, & *Luc. XI, 14.* Subſtitit tandem in fine *Capitis VI.* Suppetunt nobis rationes bene multæ, cur flagranter exoptemus, ut Vir Cel. laborem hunc continuet, & ad exitum Novi Teſtamenti perducat.

Aufrichtige Nachrichten von dem gegenwärtigen Zuſtande der Mennoniten, ꝛc.

id eſt,

GENUINA RELATIO DE PRÆSENTI STATU Mennonitarum, ſive Anabaptiſtarum, ut & Collegiatorum, ſive Rhenoburgenſium, conſpicuarum ſocietatum eccleſiaſticarum in fœderato Belgio; una cum enarratione controverſiarum, quibus in præſentia priores ſunt impliciti, pariterque diverſis aliis addita mentis, Autore M. SIMEONE FRIDERICO RUES.

Jenæ, ſumtibus B. Jo. Rudolphi Grœkeri viduæ, 8. Plag. 21.

Ad controverſias theologicas, quibus diverſi Chriſtianorum cœtus disjunguntur, rite diſceptandas plurimum referre, ſtatum illorum, & quibus in præſentia opinionibus ſint dediti, accuratius pernoſſe, nemo inficias ibit. Operæ igitur pretium Cl. Autor fecit, qui in præſenti Commentatione accuratiorem delineationem dogmatum atque opinionum, quibus ita dicti *Mennonitæ* in Belgio, ac alibi locorum, hac tempeſtate ſubſcribunt, dedit. Quas ut propius cognoſceret, per omne illud tempus, quo in Belgio ſtudiorum ergo eſt verſatus, familiaritatem cum præcipuis illorum antiſtitibus conciliavit, illorum ſententias de religione eſt expiſcatus, conventibus ſacris interfuit, ſermones auribus hauſit, cerimonias ac inſtituta religioſa oculis luſtravit, ſcriptaque, ab illis conſignata, diligenter volvit. Ne quid ſtudio partium dare videretur, judicium ſuum non facile interponit, &, ne ſen-

tentias illis per præcipitantiam affingeret, non unum, ſed plures, & quidem ſeorſim, de iisdem rebus eſt percontatus. In *quatuor Capita* Opuſculum hoc diviſum eſt. *Primum* eſt de *priſcis Flamingis*, ſive *Anabaptiſtis ſubtilioribus*; 2) de *Anabaptiſtis craſſioribus*; 3) de *controverſiis nonnullorum Anabaptiſtarum cum Reformatis Theologis*; 4) de *Collegiatis*, ſive *Rhenoburgenſibus*. Accedit *Appendix, de regimine Friſiæ, de Reformatorum ac aliorum doctoribus fœderati Belgii*. *Cap. I* Anabaptiſtæ ortum ſuum arceſſunt a *Waldenſibus*, qui, ubi variis modis crudeliter afflicti eſſent, in diverſas Europæ partes conceſſerint, in eisdemque doctrinam ſuam, regimen ac diſciplinam eccleſiaſticam, ſartam tectam ſervarint, temporibus emendatorum ſacrorum majorem libertatem, religionem ſuam profitendi, nacti. Quoniam autem illis ipſis temporibus, qui pædobaptiſmum rejiciebant, vel ab aliis cœtibus ad ſe accedentes de novo ſacris aquis adſpergi volebant, Monaſterii, & alibi locorum, graves turbas dabant, factum eſſe dictitant, ut hujus criminis omnes inſimularentur, ac grave odium magiſtratuum atque civium in illos derivaretur, quod tamen multum deferbuit, ubi edocti fuerunt, non omnes eodem ſpiritu vertiginoſo atque rebelli duci. Sententiam hanc Cl. Autor non omnino improbandam eſſe cenſet, propter convenientiam Anabaptiſtarum cum Waldenſibus, & quoniam non omnes motibus iſtis impliciti fuerint. Certum tamen eſſe, *Mennonem Simonis* mitiora ipſis conſilia inſpiraſſe, alios, periculo ſuo edoctos, turbulentas iſtas opiniones animo ſuo ejeciſſe. At enim, ubi quies ipſis eſt data, in varia divortia ſeceſſerunt, adeo, ut alii *craſſiores*, *ſubtiliores* alii, dicerentur, ac utrique rurſus in alias factiones disjungerentur, quarum alia aliam condemnabat, ſacrorum conſociationem ſolvebant, nec ante ad familiam ſuam de novo admittebant,
Pag. 1-15. quam ſacræ aquæ adſperſione iterum initiarentur. Inde recenſet Autor doctrinam antiquorum *Flamingorum*. Inhærent illi priſci fidei ſuæ confeſſionibus, quæ Seculo XVI & ſequentibus in uſu fuerunt. Sunt genuini *Mennonis* ſectatores, quem alii doctorem non agnoſcunt. De corpore Chriſti dicunt, eſſe illud in primo ἐνσαρκώσεως momento in utero virginis *Mariæ*

ex

ex nihilo productum, inde ex illius sanguine incrementum sumsisse, cum alias concipi nequeat, qui a peccati impuritate illæsus permanserit. Rejiciunt proinde anilem *Valentinianorum* errorem. Iterum baptizant non solum in infantia baptizatos, verum etiam qui ex aliis cœtibus se ipsis adjungunt, nec nisi suos ad sacræ cœnæ usum admittunt, alios omnes excludentes. Pedilavium, tanquam symbolum humilitatis ac paritatis, pro ritu perpetuæ observationis reputant. Magistratum non omnino rejiciunt, sed tantum hoc affirmant, si omnes veri Christiani essent, magistratibus opus haud esse, sibi quoque magistratus gerere integrum non esse, fatentes. Usum armorum illicitum declarant. Ordines ecclesiasticos in Episcopos, Doctores, Diaconos, distinguunt, quibus Diaconissas addunt. Episcopos ac Doctores volunt absque stipendio muneribus suis fungi, quibus tamen, si pauperiores fuerint, necessaria subministrant. Doctorem ex alio cœtu non facile in suo pro concione dicere permittunt. In excommunicatione tum ratione causæ, tum ratione modi, tum ratione conversationis, vel licitæ, vel illicitæ, rigidi sunt admodum, ac frivolis sæpe de causis alicui sacris in- Pag. 39.
terdicunt. Ut quis fœminam ex alio sibi cœtu legat, minus permittunt; si fecerit, vel fœmina se cœtui illi associare debet, vel ille sacris excluditur. Ecclesiam, antiquitus docebant, ex solis sanctis consistere debere, in præsentia notam veræ religionis constituunt in veritate & puritate doctrinæ, ac unitate ecclesiæ, in susceptione & agnitione hujus doctrinæ. Post 42.
exponit sententiam illorum de disciplina ecclesiastica, quæ ad præscriptum Christi *Matth. XVIII* exercetur, de regimine ecclesiastico, ritibus, sermonibus sacris, cantu, precibus, eleemosynis, institutione catechetica, administratione baptismi ac sacræ cœnæ, pedilavio, initiatione ministrorum ecclesiæ, tum superioris, tum inferioris, dignitatis, consecratione novorum conjugum, ægrotorum visitatione, ritibus, quibus in excommunicatione utuntur, ubi quem excludant, pariterque recipiant, ædibus sacris, numero cœtuum anabaptisticorum per
fœderatum Belgium, illorumque divisionibus. In *Cap. II* me- 80.
moratur, Anabaptistas, damnum ex factionibus animadvertentes,

tes, partim ſchiſmata ſuſtuliſſe, adeo, ut cœtus, ante diviſi, ſocietate fuerint conjuncti, partim conventus ac concilia conſtituiſſe, in quibus res, ad communem ſalutem ſpectantes, ordinarentur. Sed concordia non diu viguit; exſtiterunt ex ipſis, qui in doctrina recepta firmiter permanſerunt, alii ad Remonſtrantes Sociniazinantes, vel ipſos Socinianos, deflexerunt, quæ res in diverſis cœtibus, auſpiciis *Galeni Abrahami de Haan* & *Samuelis Apoſtolii*, circa medium proxime ſuperioris Seculi novam materiam diſſidii dedit, quorum ille in multis fidei dogmatibus Socinianiſmi reus peragebatur, hic priſcam Mennonitarum doctrinam tuebatur; unde factum, ut utraque pars in ſegreges cœtus ſeceſſerit, quod divortium etiam ad alios proſerpſit, & factio *Galeniana* multis de cauſis numero prævaluit. His præmiſſis, exponit ordine 1) horum doctrinam, ita, ut ſimul differentias diverſorum indicet; 2) de diſciplina eccleſiaſtica diſſerit; 3) de regimine eccleſiaſtico agit, publicis cœtus miniſtris, miniſterii candidatis, Diaconis, ratione juvenes ad ſacrum miniſterium per inſtitutionem præparandi, ſubſidiis pecuniariis, quæ his dantur, quo eo felicius ſtudia ſua proſequi poſſint, ſtipendiis miniſtrorum publicis, quæ in aliis cœtibus ſunt fixa, in aliis gratis munere ſuo funguntur; 4) de cultu divino ac cerimoniis, paſtorum veſtitu, ædibus ſacris, concionibus, exercitiis catecheticis, ſcholis, collegiis pietatis, in quibus de argumentis, ex divinis oraculis petitis, diſſertant, ac quisque præſentium ſententiam ſuam dicit, adminiſtratione baptiſmi, qui, prævio examine, & poſt preces ac ſerias adhortationes, impertitur, & quidem nonnullis per immerſionem corporis in aquam calefactam, conſecratione publicorum V. D. M. novorum conjugum, viſitatione ægrotorum, diſciplina eccleſiaſtica, & excommunicatione, quæ apud hos fere nulla eſt; 5) de poſſeſſionibus eccleſiaſticis, & quos in uſus erogentur, numero cœtuum, ſynodis, factionibus, & quo modo in ſe invicem ſint affectæ, generalibus conventibus, eum in finem coactis, ut decernant, qua ratione exteris cœtibus afflictis auxilium ferre poſſint, numero cœtuum, qui in ſolo Belgio ad centum nonaginta ſeptem aſſurgunt, externo illorum

Pag. 82-92. 127. 155.

illorum ſtatu, libertate, divitiis, quibus alios facile ſuperant, vitæ ratione, & aliis. *Cap. III* de controverſiis nonnullorum Anabaptiſtarum, & inter ſe, & cum Reformatis Theologis, inſtitutis, exponit Autor. Memorat, qua ratione Sociniani, cum ipſis per publica decreta religionis exercitio interdictum eſſet, inflexis & temperatis aliquantulum erroribus ſuis, ſe Remonſtrantibus & Mennonitis immiſcuerint. Viſum igitur fuit Reformatis Theologis, quatuor Articulos de trinitate, perſonalitate, ac æternitate patris, filii, ac Spiritus ſancti, itemque de ſatisfactione Chriſti vicaria ac pleniſſima, concipere, eosdemque, intercedente magiſtratus auctoritate, omnibus Paſtoribus Mennoniticis proponere, quo illos ſubſignarent, ac ſuis publice inculcarent, ſin minus, muneribus ſuis excederent. Quod cum ſibi ſuæque libertati inimicum judicarent; ad unum omnes muneribus ſe ſuis abdicarunt. Quare cœtus Mennonitici ſupplicibus literis ac demonſtrationibus, in contrarium directis, effecerunt, ut decretum iſtud revocaretur, ita tamen, ut magiſtratus viderent, ne Sociniani errores Mennoniticos cœtus inficerent. Hinc percenſet controverſias, quæ inde ab A. 1738 agitatæ fuerunt, magnosque motus dederunt. Occaſionem præbuit V. D. M. Reformatus *van Aſſen*, qui, cum aliquoties Mennonitarum conventibus interfuiſſet, illorum Paſtores aliquos inſimulaverat, ac ſi errores Socinianos ſuis immiſcerent ſermonibus, quæ res ubi ad magiſtratus delata eſſet, ex his nonnulli a muneribus ſuis abſtinere ſunt juſſi, uſque dum errores illos miſſos facerent, vel ſe ab illis immunes præſtarent. Exſurrexerunt igitur quidam Mennonitici Paſtores, potiſſimum Harlingenſis *Jo. Simon Stinſtra*, qui, edita deductione ac quinque ſermonibus ſacris, ſtilo aculeato exaratis, cauſam ſuorum egit, ſimul vero multorum animos adverſus ſe concitavit, qui ipſum ſcriptis laceſſiverunt; quæ omnia ordine enarrat, illorumque argumentum breviter proponit. Ipſi ſupremi Belgii, ſpeciatim Friſiæ, proceres ſcripta *Stinſtræ*, quæ Socinianiſmum redolere multis videbantur, ad Academias Belgicas, Harderovicenam, Lugdunenſem, Ultrajectinam, Franequeranam, ac Groningenſem, nec minus ad ſex Friſiæ claſſes, A. 1741 d. 17 Jun. mitte-

Pag. 172.

184.

mittebant, ut ſententiam de illis ſuam expromerent. Unanimi conſenſu a labe Socinianorum errorum libera non eſſe, eſt judicatum ab omnibus, excepto *Hermanno Venema*, Theologo Franequerano clariſſimo, qui, ſingulari uſus moderatione, ex ſcriptis *Stinſtræ* nondum liquido apparere, cenſuit, ipſum Socinianorum deliramentis favere. Quare Belgii proceres non ſolum hujus ſcripta publice divendi vetuerunt, verum etiam miniſterio inter ſuos ei interdixerunt, uſque dum profeſſus fuerit, a *Socini* hæreſi ſe abhorrere. His enarratis, litem ponderat, &, qua in re ab utraque parte peccatum ſit, non ſine prudenPag. 240. tiæ laude oſtendit. *Cap. IV* pandit originem, progreſſum, ac doctrinam *Rhenoburgenſium*, ſive ita dictorum *Collegiatorum*, qui ortum ſuum ceperunt circa A. 1619, quo Paſtores Remonſtrantium Belgio exire jubebantur, fratribus *Coddæis* inſtitutum hoc urgentibus. Propago tamen Remonſtrantium haberi nolunt, ſed potius, cum Anabaptiſtis a longo tempore ſenſiſſe eos,
247. apparet. Submerſionem in baptiſmo urgent, cuicunque in cœtibus ſuis, mulieribus exceptis, docere concedunt, miniſterium ordinarium fere rejicientes, tolerantiam eo uſque extendunt, ut illos etiam admittant, qui ſententiis ab invicem vel maxime ſunt diviſi. Exponit rationem, qua ſe ad uſum ſacræ cœnæ parent, eandemque in cœtibus ſuis adminiſtrent. Baptiſmus apud ipſos fit per ſubmerſionem in fonte, ad id parato, in quem aqua calefacta immitti poteſt. Differit de illorum cœtu publico, qui abſolvitur cantu, ſermone ſacro, pre-
286. cibus. In omni conventu loquuntur duo, alter partem aliquam Nov. Teſt. exponit, quo finito, unicuique aliquid addere eſt integrum, alter, quæ expoſita erant, ad varios uſus
290. practicos accommodat. Hujus generis collegia 18 in Belgio numerantur, ac in horum gratiam Amſtelodami locuples orphanotropheum eſt conditum; qua occaſione de exercitiis catecheticis, itemque eleemoſynarum collectione, adminiſtratione,
298. ac diſtributione, quædam affert Autor. Numerus horum definiri nequit, multi, qui aliis Chriſtianorum ſectis addicti ſunt, hæc etiam collegia frequentant; maxima tamen illorum pars
306. ſunt *Remonſtrantes*, vel *Mennonitæ*. In Appendicem aliqua rejecit,

rejecit, quæ ad illuſtrationem priorum ſpectant, v. c. de ſtatu politico, ſpeciatim regimine eccleſiaſtico Friſiæ, ſynodis claſſicalibus, provincialibus, nationalibus, luſtratione actorum ſynodalium Dordracenorum, quæ quovis triennio ſuſcipitur, numero Paſtorum, tum per Belgium, tum per alias regiones nationis Belgicæ, non ſolum Reformatorum, verum etiam Lutheranorum ac Pontificiorum. De quibus plenius Lector cupidus ex ipſa lectione elegantis hujus Commentationis inſtrui poteſt. Pag. 320.

Anfangsgründe der Hebräiſchen Accentuation, ꝛc.
id eſt,

ELEMENTA HEBRAICÆ ACCENTUATIONIS, quibus acceſſit ſuccincta tractatio de antiquitate Accentuum & Punctorum Hebraicorum generatim, ac Appendix, in qua loci Sacræ Scripturæ nonnulli ſecundum regulas accentuationis diſquiruntur; Autore M. JOANNE DAVIDE MICHAELIS, Præfationem adjungente D. CHRISTIANO BENEDICTO MICHAELIS, S. S. Theol. & Ling. Orient. in Academia Halenſi Prof. Publ. Ord.

Halæ, impenſis Orphanotrophei, 1741, 8.

Plag. 11.

Patrem Filius honorifice & laudabili conatu imitatur, magnum ducem paſſibus æquis ſecuturus. Uterque veſtigiis inſtitit B. agnati D. *Jo. Henrici Michaelis*, cujus *ſolida inſtructio de Accentibus proſaicis & metricis Scripturæ Sacræ V. T.* A. 1737 ſextum fuit formis publicis deſcripta, & quæ prælectionibus publicis huc uſque inſerviit ſtudioſæ Halenſium coronæ. Incidit in eam cenſura Viri Pl. Rev. M. *Chriſtophori Sauckii*, quippe qui in *pleniori* ſua *iſagoge ad accentus Hebræorum* ita judicavit de illa: *Juſto brevius ea fuit compoſita, & neceſſaria inibi ſunt omiſſa. De dictamine grammatico & logico fere altum indidem eſt ſilentium. Emphatica minus diſtincte*



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

AD NOVA ACTA ERUDITORUM
QUAE LIPSIAE PUBLICANTUR SUPPLEMENTE

BAND 5
LEIPZIG 1745

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ERLANGEN-NÜRNBERG ZUGRUNDE

SIGNATUR: LTG. IX,88.

pertractata. Ut verbo dicam, deſunt ubique multa. Indignatur ad hoc judicium Autor Præfationis, & pro jure talionis in Pl. Rev. *Sanckii* libello nonnihil notat. In Elementis ipſis, de quibus pauca jam ſunt dicenda, non panditur pleniſſima & diffuſa de accentibus Hebræorum tractatio. Sed offert ſeſe in eis Compendium, publicis prælectionibus Academicis illuſtrandum, in quo ad inſtitutionem B. *Jo. Henr. Michaelis* paſſim nonnihil adjungitur vel emendando, vel ampliando. Doctrinam de gemino Pſik in accentuatione metrica reddidit faciliorem, & conſecutiones vicariorum in eadem certis incluſit regulis. Et, licet ipſe vetuſtatem punctorum adverſus aliter ſentientes vindicare jam aggreſſus ſit in *Diſſ. priori de Punctorum Hebraicorum antiquitate*, hic tamen eandem doctrinam brevius repetiit,
Pag. 59. ac inde a §. 55 antiquitatem accentuum punctorumque Hebraicorum evincere allaboravit. In calcem rejecit exempla nonnulla, quibus oſtenditur ratio, qua *accentuatio a priori* per-
34. agenda ſit. Diviſionem Decalogi, qua noſtrates utuntur, ex accentuatione & ſigno ס probabiliſſime demonſtrat. In deter-
47. minando loco *Imperatoris intra verſum* jubet in libris metricis reſpici non ſolum ad logicam propoſitionum habitudinem, ſed etiam ad intervallum majus vel minus maximæ diſtinctionis
60. intra verſum a Silluk. Accentuum punctorumque vocalium antiquitatem paris eſſe gradus, ex mutuo eorum reſpectu colligit. Utramque vero literis coævam ſtatuit, tum ob nominum propriorum obſcuritatem alias emergentem & exorituram, tum ob difficultatem legendi non punctata, ſiquidem matrum lectionis vetuſtiſſimarum exiguus eſt numerus, vix di-
62. midiam partem recentiorum efficiens. Inprimis provocat ad analogiam grammaticam, quæ non niſi a librorum autoribus deduci poſſit. Et quot, bone Deus, jam olim exſtitiſſent de vera & varia lectionis norma controverſiæ, ſi puncta & accentus a Codice Hebræo abfuiſſent! Hæc enim varietas verbales Kibbaliſtas ætate recentiori in innumeras conjecit fluctuationes. At Targumiſtæ & Talmudici oſtendunt, quanto conſenſu ec-
64. cleſia Judaica ſententias ſacri Codicis legerit. Seculo demum XI enatam fuiſſe punctorum accentuumque originem, nemo facile

facile vel per ſomnium opinabitur. Puncta enim & accentus non diſcrepant apud Karaitas & Rabbanitas, utrisque ſcilicet antiquiores. Si codex Hebræus fuiſſet initio expers punctorum, paſſim complures lectionis matres ipſe obtinuiſſet. Et quomodo *Schin* & *Sin* dignoſci olim potuiſſent? Hæc cum Cl. Autor fuſius executus eſſet, vindicias cœpit eis opponere, qui recentiores natales punctis accentibusque Hebraicis tribuere contendunt; ac ne ipſi quidem *Eſræ* laudem inventionis eorum aſſignare audet. Exercitationis exemplique loco expendit accentuationem locorum *Jeſ. XL, 1-5, Pſ. XIV, 1-7, XVII, 15, CXIX, 176.* Noſtrum eſt, Cl. Autori gratulari hunc fœtum, ac plura Philologiæ ſacræ ſpecimina ab eo exſpectare. Pag. 76.

Neues Conſtitutionen-Buch der alten und ehrwürdigen Brüderſchafft der Frey-Mauerer, ꝛc.

hoc eſt,

CODEX NOVUS CONSTITUTIONUM ANTIquæ ac venerabilis ſocietatis liberorum murariorum, in quo hiſtoria, officia, regulæ, &c. ejusdem juſſu congregationis majoris, ex antiquis monumentis, fide dignis traditionibus, & congregationum libris, ad uſum congregationum comprehenduntur a JAC. ANDERSON, D. D. ex lingua Anglicana converſus.

Francofurti ad Mœnum, reperitur in bibliopolio Andreano, 1741, 8.

Alph. 1 plag. 3, Tab. æn. 6.

Eodem in loco, eodemque anno, publicatus fuit liber Gallicus, ſic inſcriptus: *Hiſtoire, obligations, & ſtatuts de la très venerable confraternité des Francs-Maçons; tirez de leurs Archives, & conformes aux traditions les plus anciennes, approuvés de toutes les Loges, & mis au jour pour l' uſage commun des Loges repandues ſur la ſurface de la terre.* Illius libri Autor fratrem *de la Tierce* ſeſe nominat, atque hunc ipſum,

qui præ manibus eſt, *Anderſonianum* laborem maximam partem deſcripſit. Inde etiam, quod de libro Gallico eruditiſſimi ſcriptores novæ Bibliothecæ (*Nouvelle Bibliotheque*) *Menſe Majo* dicti *anni numero 2* jam obſervarunt, de hoc noſtro, jure quodam ſuo, valebit. Sed, ut, quid ibi nugarum inveniatur, eo penitius pateat, agedum, ſumma ſaltem capita fideliter annotemus. Fingit Autor, ſocietatem iſtam librum ſemper manuſcriptum habuiſſe conſtitutionum, hodieque varia illius cuſtodire ἀπόγραφα. Contineri autem in hoc libro non ſolum officia atque regulas ſociorum, ſed & hiſtoriam Architecturæ, inde ab initio mundi, unde antiquitas hujus ordinis, ſive artis, atque præſtantia, conſpiciatur, &, ut eadem pedetentim, firmo nixa fundamento, Geometriæ nimirum, ſcientiæ nobiliſſimæ, fulcientibus regiis, nobiliſſimis, doctiſſimis patronis, omni tempore, atque apud omnes cultiores gentes, eminuerit, appareat. Ceterum ejusmodi codicem typis exſcriptum eo uſque defuiſſe, donec Dux *de Montagu*, tanquam ſummus tunc præfectus, in mandatis dederit *Jacobo Anderſono*, manuſcripta illa antiqua ut luſtraret, juſtaque temporum ſerie accuratius obſervata comprehenderet. Novum illum librum plus quam dimidia parte ſuperioris magnitudinem excedere, dum varias eo ſpectantes res, atque inprimis majoris congregationis præcipuas occupationes, ad hoc uſque tempus deſcriptas, contineat. Atque ille ipſe liber eſt, quem nunc publici juris factum videmus, *tribus* quidem *Partibus* diſtinctum. *Pars prima* continet hiſtoriam Muratiorum Martis, inde ab hujus univerſi fabrica per omnem, quam longe notus eſt atque patet, terrarum orbem, donec Architectura priſca atque bona, per Gothos dejecta, in Italia publicam in lucem revocabatur. Hæc eadem *ſeptem* abſolvitur *Capitibus*. *Primum* exhibet narrationes, inde ab orbe condito uſque ad *Nimrodum*, *alterum* uſque ad *Salomonem*, *tertium* uſque ad *Cyrum*, *quartum* uſque ad *Seleucum*, *quintum* uſque ad *Auguſtum* Cæſarem, qui omnes ſummi ſocietatis præfecti nominantur. *Caput ſextum* ad vaſtationem uſque Gothaicam pertingit; poſtremum autem *Caput* inſtaurationem Architecturæ antiquæ per Italiam conſiderat. *Pars ſecunda* exhibet hiſtoriam

ſtoriam Murariorum artis Britannicæ, inde a *Julii Cæſaris* invaſione uſque ad regnorum anno ſuperioris Seculi tertio poſt *Eliſabethæ* obitum factam conjunctionem. Atque hic iterum *quinque Capitibus*, primo uſque ad Saxonum adventum, hinc ad *Guilielmum Conqueſtorem*, inde ad *Henricum IV*, poſt ad *Henricum VII*, ac demum ad ipſam dominationis unionem, progreditur, nec *ſexto Capite* artem Murariorum Scoticam, & poſtremo Hibernicam, uſque ad *Kingſtonem*, ſummum præfectum, Autor prætermittit. *Pars tertia* tempus recentiſſimum ſub ſe comprehendit, totidemque abſolvitur *Capitibus*, quorum *primum* reſtitutionem ædificationis, ad *Auguſti* temporis ideam accommodatæ, ſiſtit; alterum ad mutationes uſque civiles progreditur, ac ſequentia recentiſſimorum ordinis præfectorum hiſtorias atque tempora tractant. Appendicum loco ſubjunguntur index magiſtrorum in Anglia præfectorum, quorum in libro iſthoc fit mentio; antiqua ſociorum officia; modus antiquus congregationum ordinandarum; ordinatio ſocietatis antiquior ac recentior; index locorum congregationis, Londinenſium, Londinoque vicinorum; index legationum, a variis præfectis in Walliam, alias Angliæ provincias, quin trans mare ipſum, miſſarum; approbatio hujus libri, per primarios ſocios facta; deſcriptio diverſarum hujus ſocietatis diſtinctionum, cujus primaria momenta in recipiendo novo ſocio exiguntur. Hoc quidem ſcriptum in exemplo Anglico libri conſtitutionum, interprete teſte, non invenitur, adjectu tamen dignum viſum eſt, cum ſequenti defenſioni occaſionem præbuerit. Eſt autem illa defenſio reſponſio, indidem elicita, eidemque oppoſita, ac verba in fronte gerit *Juvenalis*: *Rarus ſermo illis & magna libido tacendi.* Agmen denique claudit Epiſtola *Euclidis*, ſocii, ad Autorem, convicia falſa, temerariosque rumores, confutans. Iſtis detectionibus ac defenſionibus non obſtantibus, fatetur tamen *Anderſonus*, plurima huic ſocietati reſtare arcana, quæ & pandere ſibi religioni ducat. Eo autem magis inſinuantur, quas pandit, fictiones, dum veris hiſtoriis, præſertimque relationibus ad Architecturam ſpectantibus, immiſcentur. Ordinem temporum ad *Uſſerii*, *Spanhemii*, *Prideau-*

Prideauxii, atque aliorum, mentem inſtitutum videmus. Neque etiam reticendum eſt, quod præter tabulam æri eleganter inciſam tabulæ quoque genealogicæ & chronologicæ numero quidem ſex addantur. Legant atque relegant iſtiusmodi libros, qui abundant otio, &, quid ingenium ac cerebrum parere hominum poſſit, cognoſcere ſtudent; nobis quidem vel lectores noſtri occupatiores videntur, quam ut longiore eos percenſione detineamus.

Curiöſe und hiſtoriſche Nachricht von dem auſſerordentlich ſtrengen Winter des Jahrs 1740.

hoc eſt,

CURIOSA ET HISTORICA EXPOSITIO EJUS, quæ exſtitit anno 1740, ſolito rigidioris longiorisque hiemis.

Lipſiæ & Cotheni, apud Jo. Chriſtoph. Cœrnerum, 1740, 4.

Plag. $6\frac{1}{2}$.

Ut memoriam rigidiſſimæ hiemis, qua orbis terrarum anno 1740 ineunte fuit preſſus, Pl. Rev. Autor ad poſteros transmitteret, animum ad libellum hunc conſcribendum appli-
Pag. 3. cavit. Exorditur telam a recenſione hiemum, quæ molles exſtiterunt ac modeſtæ. Tum vero ſcopum Dei, ex rigidiſſima
5. hieme elucentem, contemplatur, ratus, Deum vinoſo ſeculo ſubduxiſſe illecebras, novaturientibus dediſſe aliquid novi, ac frigus immiſiſſe hominibus, quorum virtus & amor refrixerit. Hinc ſeſe ad enumeranda hiemis aſperrimæ exempla accingit.
9. De violis pomisque *Borſtorfianis* hic nonnihil inſerit. Tandem ad rigidiſſimam maturiſſimamque anni 1740 hiemem accedit,
22. ejusque phænomena ediſſerit, inprimis obitus armentorum, pecudum, ferarum, & piſcium, ac hominum, frequentiores, luporum inſolitas irruptiones, ſtraminis caritatem, ac alia. Quæ ipſe de ſeminibus, in medulla braſſicæ capitatæ inventis, refert *pag. 44*, exemplis quamplurimis confirmari poſſunt. Sunt in quadam Saxoniæ inferioris urbe incolæ complures, qui ex ſeminibus illis, telluri commiſſis, plantas braſſicamque capitatam A. 1740 denuo procrearunt.

* * *

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi V Sectio XI.

Gebäude der Kayſerlichen Academie der Wiſſenſchafften nebſt der Bibliothec und Kunſt-Kammer in S. Petersburg, nach ihrem Grundriß, Aufriß, und Durchſchnitt, vorgeſtellt.

id eſt,

ÆDIFICIORUM ACADEMIÆ SCIENTIARUM Cæſareæ, Bibliothecæ, & rerum naturalium Gazophylacii Petropolitani, Ichnographia & Orthographia, per Membra Societatis edita.

Petropoli, 1741, fol. max.

Conſtat Tabb. æn. 13.

Immortalibus editis operibus, magnisque incrementis aucta Petroburgo, cum *Petrus Magnus*, Ruſſorum Imperator, rudem & imperitam multitudinem non aliter mitigari poſſe, videret, quam ſi Muſarum religionem ipſis injiceret, ſplendidum his ad Nevam fluvium templum dedicavit. Incredibile dictu eſt, quam brevi tempore, & quibus artibus, efferati animi ad civilem & humanum cultum deducti ſint, ut, quos antea pingue ingenium, & ipſa cœli craſſique aeris inclementia, a literis arcere videbatur, hi ad Britannorum, Gallorum, & Germanorum, gloriam aſſurgant. Niſi forte majorem ſibi laudem arrogare poſſunt, quod, cum illi poſt multas viciſſitudines ad

eam famam pervenerint, hi eodem impetu & attigerint literas, & auxerint admirandum in modum. His Tabulis primum ipſa urbs, deinde Bibliothecæ & aſtronomicæ ſpeculæ interna & externa facies, armaria, quibus numi & aliæ veteris ævi reliquiæ, tum *Ruyſchianus* rerum naturalium apparatus, continetur; addito clarorum virorum, qui *Petri Magni* juſſu barbariam his oris expulerunt, Præſidumque Academiæ, indice. Splendidiſſimum Opus dicatum fuit Duci Brunſuicenſi, qui, cum in lucem emitteretur, Ruſſiæ imperio præerat, a *Schumachero*, Bibliothecæ præfecto; at ea Epiſtola, mutata rerum facie, ab omnibus exemplaribus reſecta eſt.

SERMONES, IN SOLENNI ACADEMIÆ Scientiarum Imperialis Conventu die 29 Aprilis anni 1742 publice recitati.

Petropoli, typis Academiæ Scientiarum, 1742, 4 maj. Plag. 6.

Solenni illa die, qua Auguſtiſſima Ruſſorum Imperatrix *Eliſabetha I* coronam ſibi Moſcuæ A. 1742 imponebat, inter publicos plauſus ſuam quoque pietatem & lætitiam teſtatura Academia Scientiarum, publicum conventum indixit, quo tum vota pro ſalute Imperatricis pie nuncuparet, tum ex legibus Academiæ argumentum aliquod jucundum, & a publico gaudio auditorum animos non avocaturum, perſequeretur. Cel. itaque *Krafftius*, Profeſſor Phyſicæ experimentalis & theoreticæ, ſermonem de novo quodam concentus muſicos efficiendi genere, de clavicordio nimirum oculario, ante aliquot annos in Galliis excogitato, habuit, quæſtionemque diſcepravit, num colores lucis certo modo diſpoſiti, & per oculos repræſentati, eandem animo afferre voluptatem queant, quam auribus noſtris ex proportionata ſonorum harmonia percipere ſolemus. Rem itaque ab ovo exorſurus, docet, *Pythagoram*, Muſices amantiſſimum, prætergreſſum aliquando officinam ferrariam, in malleolorum ictibus aliquam ſonorum muſicorum ſimilitudinem perſenſiſſe, &, re propius explorata, obſervaſſe, quod ſonus gravis magis vel acutus

acutus pro malleorum magnitudine varient, & pondere horum malleorum, atque adeo ſimul ictus, ab illis editi, ſint in proportione aliqua geometrica, ſed ſimplici ea & concinna, quæ animi judicio facile dijudicetur, ut dupla, tripla, ſequialtera, & aliis adhuc paucis. Fuerunt hæc initia & fundamenta, quibus omnis procedente tempore ars muſica fuit ſuperſtructa. *Galilæus*, acutiſſimus Italorum Philoſophus, cum perſpiceret, muſicum abſolvi concentum tali proportione, quæ facile percipi mente queat, oculorum quoque ſenſum ad ſimilem voluptatem, qualis Muſica excitet, revocaturus ope pendulorum hinc & inde oſcillantium, eo conſilio tria conſtruxit filamenta, ponderibus onuſta, atque e loco fixo ſuſpenſa, quæ impulſa hac lege itus atque reditus ſuos abſolvebant, ut eodem momento primum duas, ſecundum tres, tertium quatuor, efficerent oſcillationes. Ita conſonantiam muſicam repræſentare ſibi viſus eſt, atque repræſentavit etiam, ſed aride & jejune, non vivide & muſice. Deſunt enim his motibus, qui proportiones harmonicas craſſa tantum Minerva deſignant, celeritas, rapiditas, & pernicitas, ad animum gaudio complendum prorſus neceſſariæ. Longius haud ita pridem proceſſit machinatio *P. Caſtelli*, Pariſienſis, cui eum in finem colores viſi fuerunt aptiſſimi, qui varie inter ſe permixti, & mutatis vicibus expoſiti, eundem delectationis ſenſum in animo excitare queant, quem ſoni legitime temperati, auribus advecti, progignunt. Cum itaque in Muſica, hodie recepta, intervallum integræ octavæ abſolvatur tonis bis ſex, quod genus diatonico-chromaticum vocatur, ſubſtituit illorum ſingulis fixum & certum aliquem colorem, tenui faſcia expreſſum. Cujuslibet octavæ colorum infimus eſt cœruleus, qui deſignat tonum eum, quem recentiores Muſici Latina litera C, vel antiquiores ſyllaba *ut*, indigitare ſolent. Reliqui deinde adſcendendo continuo ſequuntur ſe invicem, & hoc ordine: Viridis marinus, viridis olivarius, flavus, croceus, aureus, ruber, crameſinus, violaceus, violaceo-cœruleus, & cœruleo-violaceus. Ad ſimulandos tonos acutiores utitur iisdem coloribus cum prioribus, eodem ordine ſibi ſuccedentibus, ſed albedine aliqua tum dilutis. Quibus ita præparatis,

nihil amplius ſupereſt, quam ut adornetur tale organum muſicum, quod vulgo clavicymbalum, vel clavicordium, vocari ſolet, cujus ejusmodi requiritur ſtructura, ut, clavibus ordinario modo diſpoſitis, quando digitis pulſantur muſicis, non chordas quidem ad clangorem harmonicum, ſed pictas faſcias ad rationem muſicam, provocare queant. Stant enim hæ faſciæ ſerie nuſquam interrupta omnes paratæ, verum occultæ, neque ulla earum, niſi digito magiſtri monita fuerit, comparet, aut oculis præſentem ſe ſiſtit, qui diligentiſſime aciem ſuam undiquaque intendere, & providere, debet, ne quis horum colorum, luci ſe offerentium, aciem ipſorum ſubterfugiat, mancamque efficiat & hiulcam conſonantiam. Ut adeo *Argum* hic ſpectatorem eſſe oporteat, non *Cyclopem*. Verum hæc, jam a ſedecim annis exculta, nondum deſiderio Autoris ſatisfecerunt. Cum enim Muſicæ maxima vis & laus in commovendis mitigandisque animi affectibus contineatur, jejunus autem, nec ad tantas res præſtandas idoneus, ipſa experientia teſte, colorum ſolorum videatur languor, quo animus non niſi pictura inani detineri ſolet, de corrigenda machina ſua, & ad anni 1741 finem perficienda, cogitavit. In modum enim theatri comici conſtruxit clavicymbalum, & ſic omnia diſpoſuit, ut, cum canendum eſſet melos tenerum, ibi colores comitati incederent imaginibus, ex aliquo naturæ ſpectaculo deſumtis, quod tranquillitatem animo inſpirat, ut pratorum virentium, ovium paſcentium, rivorum placide fluentium, paſtorum recubantium, cœli ſereni. Quodſi vero incitatior cantu picto menti injicienda commotio eſſet, in ſocietatem colorum canentium adſcivit imagines ſuperbas fulgurum cœli minantis, arborum & ædium excelſarum, montium præruptorum, & ſimilium. Præter hæc vero & *Rondetus*, Vir Cl. vigori colorum naturali diffidens, augere & quaſi acuere eos artis ſubſidio tentavit. Itaque colores eosdem, ſonorum æmulos, non æri ſolum, ſed cryſtallo, in varias figuras opticas formatæ, atque coloratæ etiam, ad oculorum aciem devehendos credidit & commendavit. His præmiſſis, Noſter modeſte oſtendit, nondum tamen, aut oculorum, aut alterius cujusdam ſenſus, intercedente opera, muſicam

cam delectationem in animis noſtris poſſe excitari. Ad muſicum enim concentum, quali aures noſtræ delectari ſolent, requiruntur vibrationes, pernicitas, & ſymmetria, omnes ſimul auditus organo immediate offerendæ. Ex rapidiſſima enim vibratione oritur clangor, ex pulſuum intellecta ſymmetria delectatio, & ex utroque grata ſymphonia. Utut vero lucis etiam in tenuiſſimis & extimis faſciæ coloratæ lamellis refractæ pernicitas ſumma facile concedatur; deſunt tamen vibrationes, ſymmetria, & ſymmetriæ ejusdem inculcata frequentiſſime repetitio. Nullum unquam motus alicujus in luce vibratorii indicium agnovit Phyſicus, ſed celeritatem continuam, æquabilem, in particularum fluxu perpetuo conſiſtentem, non per ſubitos & repetitos ictus agentem. Hinc utriusque coloris lux per ſingulas particulas ſimul & conjunctim oculis advolat, tantum abeſt, ut, dum ex cœruleo colore duæ adveniunt lucis particulæ, eodem temporis momento tres ex rubro adnatent. Abeſt itaque hic ſymmetria, abeſt inculcatio hujus proportionis continua, abeſt ergo etiam quinta, atque hinc muſica. Neque experimentum quoddam *Neutonianum*, ex ejusdem Tractatu optico hic repetitum, valet ad ullam ſymphoniam coloribus exprimendam. Præterea vero nimis ex mero arbitrio colores tonis diſtribuit *Caſtellus*, neque ita, ut cauſam hujus diviſionis ullam probabilem reddere queat. Baſin & fontem colorum licet ipſi pro lubitu conſtituere, ſicut eundem in colore cœruleo poſuit. Adjungenda huic deinceps fuit quinta, quæ neceſſario in ſe includit rationem ſubſesquialteram, hoc eſt, talem, quæ inter numerum binarium & ternarium obtinet. Hoc ergo quintæ intervallum colorem rubrum efficere putavit *Caſtellus*, reſpectu ad cœruleum habito. Sed nulla veritatis ſpecie probabit, eandem præciſe inter hos colores cœruleum & rubrum eſſe proportionem, quæ inter binarium eſt & ternarium. Atque ita etiam in reliquis proportio ſimilis illi, quæ manifeſta eſt in numeris quaternario, quinario, & ſenario, nunquam exſculpetur, deſuntque adeo ea, quæ animam, naturam, & eſſentiam, ſymphoniæ conſtituunt. In tonorum octavis iidem quoque redeunt colores, ſed albore tantum dilutiores. Cum vero

toni vel ratione celeritatis in edendis vibrationibus diſcrepent, unde graviores, vel acutiores, redduntur, vel ratione intenſitatis, aut fortitudinis, unde vehementiores, aut debiliores, evadunt; patet utique, hic eos differre ſola lucis claritate, hoc eſt, intenſitate, id quod legibus gratæ harmoniæ plane repugnat, quæ nempe requirunt, ut ſoni in ea omnes, etiamſi graviores, aut acutiores, eandem tamen ubique ſervent intenſitatem. Haud dubie *Caſtello* occaſionem dedit *Malebranchii* hypotheſis, qui, lucem, e corporibus exeuntem, comprimere aliquantum, putavit, materiam circumfluam ſubtiliſſimam, ex cujus dein ſubita reſtitutione motus etiam in luce vibratorius quidam oriatur. Sed id ipſum certa demonſtratione & experimentorum fide evinci nequit. In altera Oratione Cl. *Weitbrechtus* reliquorum Academicorum conſenſum & applauſum teſtatur, &, cum diverſitatem objecti Cl. *Kraſſius* ſolide adſtruxerit, hic ſimul ad diverſitatem organorum ſenſoriorum, atque hinc etiam ad diverſitatem judicii a mente ferendi, voluptatisque, vel averſationis, provocat, monetque recte, aures atque oculos ratione diverſæ ſtructuræ ſuæ diverſiſſime quoque affici. Aliter enim aurem recipere motus, a corpore ſonoro productos, aliter oculum radios lucis, a corpore luminoſo emiſſos; &, quod ad mentis judicium attinet, dum oculo color ruber & cœruleus ſubjicitur, mentem hos colores, ſimul ſibi oblatos, ut tales agnoſcere, plura per organum non ſentire, nec ideam coloris cum idea ſoni commutare, quin imo, ſi iſtæ inter ſe ideæ convenirent etiam, tamen repræſentationum ſimilem modificationem mentem ad ſimile voluptatis judicium neutiquam determinare.

ARS DIRIGENDÆ MENTIS AD RE-rum metaphyſicarum, moralium, & phyſicarum, cognitionem, ad uſum Scholæ accommodata.

Tomi IV.

Venetiis, apud Franciſcum Pitteri, 1739, 8.
Alph. 4 plag. 15.

Ve

Ut luna in ſtellis, propriæ nihil habens lucis, eminet; ſic principem tenet in craſſis plagiariis locum perfrictæ hic frontis impoſtor Venetus, qui hancce *Mentis dirigendæ*, quam inſcripſit, *Artem*, nefanda ac incredibili procacia, ex aliis, Germanorum inprimis hominum, libris ita deſcripſit, ut ne verba quidem immutaverit, aut leviter ſaltem mutata transpoſuerit, nec, quo fraus eo magis poſſet latere, mentionem ſemel fecerit illorum, quos nequam impudens compilavit. Quo conſcientiæ, ſi modo aliquam habet, ſtimulo conſarcinator doloſus coactus eſt, ne nomen quidem ſuum, præter literas forte *L. J. R. S.* in Dedicatione *Tomi ſecundi*, nefandæ texturæ ſuæ aſſuere, verens, ne, detecta olim fraudulentia, digni facinore ſuo conviciis per honeſtorum omnium ætatem notus traduceretur, cum, in ignotum jactare dicteria perinde ſibi eſſe poſſe, arbitratus ſit. Siquidem certiſſimum eſt, a multis inde temporibus tanti exemplum furti vix auditum eſſe, & ne patrum quidem noſtrorum ætatem vidiſſe tam enormem, qualis in hoc conſpicitur Opere, impudentiam. Nihilo minus tamen auſus eſt, at vero quis crederet? priorem Rhapſodiam Eminentiſſimo Principi, *Julio Alberoni*, Cardinali, & alteram Illuſtriſſ. Comiti *Richecurtio*, Magnæ Etruriæ Ducis Miniſtro, veluti ingenii ſui & ſtudiorum teſtimonium, dedicare, tantorumque Virorum autoritate ad obtegenda vitia ſua, & obſcuranda, abuti; qui, loco præmii, aut benevolentiæ captandæ ergo, meruiſſet potius, ut ab Excellentiſſimi utriusque Viri ſervis domeſticis in Germanorum illorum locum, quibus ſcripta ſua furatus eſt, plagis afficeretur & verberibus per dies tot, quot ſingulis plagulas ſubripuit. Præterea tam ignarus eſt rerum, quas exſcripſit, omnium, & tam ſtupidus, compilator, ut ſterilitatis ſupinæ ac incredibilis ſtultitiæ documenta ediderit adeo famoſa, ut ſibi æternum inſaniæ ſuæ monumentum, quod nec imber edax, nec aquilo impotens, poſſit diruere, erexerit. Noſtrum inde officium poſtulat, eam impudentiam libere aperire, &, quantum poſſimus, indicare, ex quibus furatus ſit vir peſſimus; quo reliqui, ſi qui ſint, deterreantur, ne tam probroſis & vere infamibus veſtigiis inſiſtentes, plagiariorum

olim

olim claſſibus atque circulis adſcribantur. Ipſe ſane libri titulus tam ſingularis eſt, ac rebus, quæ in eodem pertractantur, inconveniens, ut, Venetum iſtum, credamus, ſpecimen dare voluiſſe, quo omne id, quod adjecit de ſuo, & inconcinnum pariter eſſe debeat, & longe abſurdiſſimum. Nam, *Mentis dirigendæ Artem* dum librum legimus inſcriptum, Logicam putamus quandam eſſe, aut, ſi late ſumendum eſt vocabulum, aliquam, ad ſummum, morum doctrinam pertractatam; Metaphyſicam autem præterea eo etiam nomine involvi, vix ſanus quisquam arbitrabitur. Noſter autem Vir elegans & oculatiſſimus Aſtronomiæ etiam & Catoptricæ capita, Sphæricam omnem & Chronologiam, Phyſicam & Staticam, Mechanicam, Chiromantiam, Hiſtoriam Animalium, Medicinam, Botanicam, Hiſtorias fabuloſas de Centauris & Gigantibus, de Draconibus & Satiris, & centum alia ἀλλότρια, quadrata, rotunda, angulata, hamata, ſed miſerrime omnia & imperite, coagmentavit, librumque veluti ex *Democriti*, aut *Epicuri*, atomis conſarcinavit. Quid? quod Criticæ etiam ac Philologiæ capitalia præcepta inſeruit ἀκριτικώτατος homo & ἀφιλολόγος, qui ne Literariam quidem, in quantum ea in initiis tantum ſuis verſatur, Hiſtoriam callet, ſed infinities prodidit ruditatem mentis talem & exhibuit, ut verius inſcribi opus *Ars corrumpendæ mentis*, potuiſſet, quam *dirigendæ*. Propoſuit etiam, Prolegomenorum loco, famigeratus homo, quam ne de nomine quidem recte cenſendus eſt cognoſſe, Hiſtoriam philoſophicam, atque id eſt præ reliquis in ea aſſecutus, ut impudentiſſimus fur & plagiarius dici ab omnibus haberique poſſit. Poſtquam enim a Chria quadam puerili, ſed neſcio unde deſumta, (ex ſuo certe ingenio non habet,) infelix duxiſſet initium, Hiſtoriam philoſophicam ex *Frider. Gentzkenii* Hiſtoria Philoſophiæ, quæ & ſeorſim, & cum Operibus hujus Viri aliis philoſophicis, prodiit, exſcripſit, & ita quidem, ut, quæcunque ipſe adduxit, (libuit autem nobiliſſimo capiti, quinque ſaltem plagulis pro ſuis uti,) ea omnia in hujus Viri libro inveniantur. Credant nobis Lectores noſtri bona fide, ne verbum quidem ullum a Veneto iſto immutatum eſſe. At ſcholam tamen

tamen Italicam, ſectamque Eleaticam, Epicuream, & Scepticam, tam viles eſſe omnes, nec pretii ullius, exiſtimavit magnus arbiter ingeniorum, ut eas, quamvis habeantur in ſuo archetypo, penitus tamen omiſerit; ſed ad Ionicam ſtatim progreſſus ſcholam, ſervavit verba omnia *Gentzkenii*. Et, ſi qua emendavit Vir, eruditus, ſi Dis placet, contra Grammaticam, ſciendum eſt, ab excellente Viro, & contemnente vilia Grammaticorum, peccatum eſſe. Cum enim inter alia *Gentzkenius* in Capite de *Ariſtippo* dicat: *Ariſtippus optima Socratis dicta in peſſimam interpretari cœpit partem*; ut de ſuo etiam aliquid adjiceret Latiniſſimus bipedum Vir Venetus, ſic ait: *Cujus tamen optima dicta in peſſimam partem interpretavit*. Macte virtute tua, magne Literator, & ulterius, ad uſum Scholæ, Artes mentis dirigendæ accommoda. Ita autem in aliis ſexcentis locis eundem ſervat morem incomparabilis homo, quæ non adducemus. Deinde melius & facetius, quis autem crederet? ſtudiorum Comeſtor arbitratus eſt, ſi, omiſſis Philoſophorum vitiis, dogmata tantum afferret ex *Gentzkenio*, eoque modo totum opuſculum perficeret. Hiſtoriam etiam medii & recentis ævi, ne accreſcat furtum ſuum & materies patibuli, abbreviavit, & ex compendio fecit aliud, puſillus ipſe & compendiarius homuncio, compendium. Nec ipſa adeo concluſio operis alia ulla, quam ea, eſt, qua ex *Buddeo* eſt uſus ſæpe jam nominatus *Gentzkenius*, Hiſtoriæ philoſophicæ ſcriptor, uterque non quidem primarius. Atqui auſa eſt frons caperata titulum, *Autoris prolegomena*, ac ſi ipſe ea feciſſet, præponere, cum præter vitia, & abſurda, & mendacia, nihil omnino ipſi relinqui poſſit. Præterea nuſpiam ſuum nominavit *Gentzkenium*, præterquam ſemel tantum, ut legimus, in toto Opere, atque loco quidem eo, ubi nemo aut volam ejus, aut veſtigia ulla, quæreret, nimirum in Pnevmatologicis. Ita tamen eum appellat, ut ne nomen ſuum recte exprimat deterrimus calumniator, ſed, quæ ſumma cordis malitia eſt, inter Philoſophos malos, quem ipſe tamen ſequitur in omnibus, numeret. Nam *pag. 205 Fridricum Gentkerium* eum vocat, & inter ſeculi hujus Philoſophos perverſos ponit, ac hetero-

doxos. Quis vero, quæſo, paulo humanior non omnem putaret amiſiſſe & ejuraſſe Venetum, tam abominando & deteſtabili facto, humanitatem? Sed ad alia, age. Quovis enim auderemus ſacramento contendere, ex variis undique libris Logicam æque ac Metaphyſicam exſcriptam eſſe, ſiquidem certum eſt, & poſitum extra dubitationem, ipſum compilatorem nihil ſcribere potuiſſe & excogitare illorum omnium, quæ ibi leguntur. Patet etiam, quo furtum occultaret melius, permutata ſubinde quædam male eſſe a peſſimo viro, translata, trajecta, interpoſita. Stupidiſſimus etiam demonſtrandi modus deprehenditur, ubi nihil ex rationibus rei ipſius deducitur, ſed aut Patrum, aut Sacræ Scripturæ, autoritate omnia confirmantur, aut, rationum cauſarumque loco, hiſtoriolæ quæſtiunculæve adducuntur ejusmodi, quæ caput cauſæ non feriunt, ſed aſſumtæ ſunt & arceſſitæ, ut charta impleatur, decipianturque lectores. Quis enim unquam quæſtionem tractavit in Logica, utrum *Adamus* habuerit ſcientiam per infuſionem? Atqui vero multis ratiunculis & contortis putidiſſimisque aſſertis a meritiſſimo, ſcilicet! viro hæc ingenioſiuſcule ratio pertractatur. Aliam adduxit quæſtionem, in eadem Logica ſua, humani generis doctor Venetus, quæ locum ſuum in ea tueri ſcientia poteſt, in qua intellectum ſuum impoſtor noſter corrupit, utrum ſcilicet creatura perfectior B. Virgine, & Chriſti Domini humanitate, eſſe poſſit. Quænam ſecta ſit eligenda, peculiare caput eſt in Logicis. Aliud eſt contra Hæreticos Theologos caput logicum, utrum ratio fidei contradicat. De ordine autem & hierarchia angelorum in Metaphyſicis quærit. Et in doctrina de Deo omnes Scholaſticorum enectas longeque depoſitas & conclamatas revocat quæſtiunculas, & tantam prodit Philoſophiæ peritiam, quantam optimus ille maximusque doctor Scholaſticus, S. *Joan. Duns Scotus*, σκοτινότατος, nunquam ſibi potuit arrogare. *Secundus* impudentiæ *Tomus* (Artem hanc dirigendæ mentis nominamus,) Ethicam complectitur, in quo actiones humanas moralitatemque conſiderat iſte homo, & jus naturæ explicat, in quo ſuum quidem cuique tribuendum, ſed non ſcripta cuique ſua, eſſe, ſtatuere

ſtatuere videtur; dein honeſtum atque decorum pertractat, ſed, ad ſeſe eas virtutes pertinere non poſſe, exemplo ſuo evincit; denique omnium Politicam his aſſuit. Nos autem nihil plane adjicere obſervationum, præter eam, poſſumus, quod Venetus impoſtor ex Philoſophia *Gentzkenii* ſui, ſed ſine Autoris veri nomine, ad verbum omnia exſcripſit. Inprimis in Politica nullum vocabulum eſt, quod immutaſſet. Et ſemper cavit ſummo opere, ne Virum Germanum nominet, quo haberi pro ſuo poſſit, quod nefanda Laverna compilavit. Phyſicam, quæ *tertium Tomum* inquinat, aut ex *Hereboordo*, ejusque meletematis, aut ex alio non ſatis bono libro, exſcripſit. Quicquid vero in Metaphyſicis boni eſt, quamvis parum ſit, illud omne, veluti decet plagiarium, ex *Wolfio* deſumſit, probior aliquantulum in eo, quod *Celeberrimum* eundem loco aliquo nominet, licet, ſe ipſi quidquam debere, nuspiam fateatur. Ceterum de Teraphimis, & de *Labane* ac *Rachel*, de cœlo, an ſit liber, in quo futura digito Dei conſcriberentur, de adſpectibus, de phyſiognomia, de ſtella, quæ in nativitate Chriſti apparuit, aliisque de rebus, quas non niſi grandis ingenii abſurditas in Phyſicis excogitaverit, multis verborum ambagibus pertractat. Ex omnibus autem patet, exſcripta eſſe omnia, compilata, furto ſubtracta. Quicquid ex Opticis, Catoptricis, Mechanicis, Arithmeticis, & omnibus, garrit, ipſæ etiam figuræ æri inciſæ, quarum ſat magna eſt copia adjecta, id omne ex mathematicis *Wolfii* Operibus, & tam craſſe quidem, exſcripſit, ut ne verbum immutaverit, ſed ipſas adeo literas in figuris retinuerit, & figuras easdem exhibuerit. Attamen, ut ingenue fateamur, diſcrimen in utroque invenitur. Nempe, ut corrigeret methodum mathematicam ac *Wolfii*, rigidiſſimus Demonſtrator, ad hanc ſubinde regulam *Wolfii* demonſtrationes examinavit, ut ea præmittantur, quæ ſequi debent. Subinde etiam Theorema quartum præmiſit tertio, nonum ſeptimo, ſeptimum quinto, & ita porro, atque eo ordine collocavit, qui nequit omnino intelligi, quamvis optime eſſent cuncta a *Wolfio* diſpoſita. Ex quibus omnibus aperte conſtat, nec intelligere improbum hominem &

ineruditiſſimum ea, quæ deſcripſit, ſed mortalium, cum eorum, qui ſunt, tum & horum, qui erunt & fuere, ignariſſimum eſſe ac permanſurum. Quæ ex Autoribus humanioris doctrinæ adducit loca, quis vero, hæc ſua eſſe, nebuloni imputaret? Quis non fato irato adſcriberet, quod in eum librum inciderit, quem potuit expilare? Denique infinities vapulat *Priſcianus*, & orthographia, in nominibus præſertim propriis, talis reperitur, qualem in ſex annorum puero, qui Latinitatis levem ſaporem habet, melius exſpectatis. Ut igitur ſummam faciamus dicendorum, totus liber, qui Ars dirigendæ mentis inſcriptus eſt, ſtupiditatis, ignorantiæ, malitiæque, ſpecimen primarium eſt, ac infamiæ compilatoris ſui æternum monumentum. In quo, piget tædetque, tam longe nos volutaſſe.

MYTULORUM QUORUNDAM VENENUM, & ab eo natas papulas cuticulares, Epiſtola ad Virum Illuſtrem, WERLHOFIUM, &c. illuſtrat, & utriusque rationem definit, PAUL. HENR. GERHARD. MOEHRING.

Bremæ; apud Ger. Guil. Rump, 1742, 4. Pſag. 3.

Quod argumentum ante aliquot annos Cl. *Behrenſius* excutere conſtituerat, id in præſentia Cl. *Mœhringius*, bene de re medica multis nominibus merens, perſequitur, & veneni, quod in mytulis reperitur, originem cauſamque perquirere potiſſimum contendit. Ex tribus, quas recenſet, ægrotorum hiſtoriis patet, præcipua, quæ a comeſtis mytulis, numero admodum paucis, imo ſucco tantum unius, dentibus manducati, deglutito, poſt exiguum temporis intervallum, & vix horæ quadrantem, ſe prodiderunt, ſymptomata, colli & pectoris anguſtias, ferviditſimum primarum viarum ardorem, nauſeam, vomitiones, inſolitum faciei colorem, artuum convulſiones, levem ſubinde mentis abalienationem, papulas denique urticatas, fuiſſe, quæ tamen omnia altero iterum die penitus ceſſarunt, nullo adhuc ægrotantium, quantum conſtat,

e vivis

e vivis ſublato. Cauſam venenatæ mytulorum quorundam indolis non ad ſalis marini & halituum putridorum, a mortuis piſcibus & inſectis aliquando exhalantium, acrimoniam, nec ad putredinem mytulorum emortualem, nec ad menſem Martium, nec ad pallidiorem & albidum eorum colorem, nec ad morbos eorundem, nullo quippe indicio adhuc cognitos, ſed ad urticas refert marinas, quarum ſubinde relaxata tentacula, potiſſimum filiformia, quibus maxima urentis ardoris vis ineſt, diductis teſtis amplectantur illi, eoque ſe ſuſtentent alimento, acredine vero, quam exinde ſibi compararunt, tantas in corpore humano turbas excitent. Quam proponit medendi rationem, hæc eo redit, ut initio concitetur vomitus, & cum lenientibus, atque lubricantibus oleoſis, aut lacticiniis, pauca quædam, quæ nervorum rigorem laxent, & papularum eruptionem adjuvent, ſubjungantur.

EPISTOLA ANATOMICA PROBLEMATICA DE Ductibus mammarum lactiferis, experimento novo confirmatis, ad Illuſtrem Virum, JOANNEM THEODORUM ELLERUM, &c. Autore D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO Med. & Anat. P. P.

Halæ, impenſis Orphanatrophei, 1742, 4.

Plag. 2½, cum Tab. æn. 1.

In *Nuckii* ſententiam diſcedit Cl. Autor, & genus glandularum, quæ in mammis exiſtunt, ad conglomeratas refert. Quoniam vero, quæ de tubulis lacteis iſte & alii tradiderunt, obſcuriora aliquantum, nec ex omni parte perfecta, Noſtro videbantur, accuratius eos perquirere, & nunc ſetas in oſtiola papillarum ſatis patentia immittere, nunc in eadem Mercurium vivum ope tubi capillaris chalybei injicere, &, ut ductuum progreſſus eo magis incideret in oculos, mammam loco admodum tepido exſiccare, contendit. Quo facto conſtitit, ductus hos, antequam papillam attingant, originem ſuam repetere a ſubſtantia mammarum glandulosa ſurculis tenerrimis,

quorum vero tres, quatuor, vel quinque, ex totidem glandulis emergentes, & ſibi invicem junĉti, minores canales in vas excretorium mutantur. Quot vero oſtiola in papilla, tot quoque tubuli lactiferi, non tamen neceſſario ſeptem eorum, exiſtunt, qui inter ſe jungi quidem ſolent, non vero circulo quodam vaſculoſo, ex transverſis ductibus minoribus conflato, connectuntur, nec in cellulas ſatis magnas interjectas abeunt, ſed nunc anguſtiores, nunc ampliores, redduntur, valvulisque, quas inveniſſe ſibi *Bidloo* videtur, deſtituti, dum in papilla concurrunt omnes, membranulis involuti, maximam ejus componunt partem interiorem, interjecta reticulari ſtructura fibroſa, ac nervorum filamentoſa, cujus beneficio vel conſtringi, vel relaxari, queunt. Quæ in areola cernuntur glandulæ ſebaceæ *Morgagni*, ductus lactiferos minores, ibi dilatatos, moxque in excretorium oſculum contractos, continent, imo cum majoribus communicant, ex quibus licet ſubtiliſſimum exprimi queat lactis ſerum, nihil tamen ſingulare ad lactis ſecretionem conferre videtur, cum in glandulis potius & ductibus mammarum majoribus lac penitus ſecernatur. Clariſſ. itaque *Bœhmeri* ut induſtriam felicesque in ampliſicanda re anatomica progreſſus non ſine voluptate commemoravimus; ita plures ab eodem illius laboris fructus in poſterum exſpectamus.

SPECIMEN LOGICÆ UNIVERSALITER demonſtratæ, Autore JO. ANDREA SEGNERO, Phil. & Med. Doctore, Med. Phyſic. & Mathem. in Acad. Georgia Auguſta Prof. Ord. Regiæ Societ. Londin. adſcripto.

Jenæ, ſumtibus viduæ Crœkerianæ, 1740, 8.

Plag. 12.

Celeberrimi Viri, *Herm. Frid. Teichmeyerus* & *Joannes Petrus Reuſchius*, ille gener Autoris, hic amicus, ſoli effecerunt, ut libellus hic in lucem prodierit jucundam, quibus eo nomine illi, quotquot in hoc vireto delicias ſuas inveniunt, meritiſſimum habent honorem. Conſtitutum fuerat Cl. Autori, ad hæc me-

ditanda

ditanda animum appellenti, univerſam diſciplinam logicam cum primis ratiocinationis ſtaminibus contexere, reſolutisque operationibus mentis in ſimpliciſſimas ideas, oſtendere modum, quo ex iis fluant reliquæ univerſæ. Plurimos Logicorum libellos in hunc finem haud legit, ne eorum præceptis vel invitus ſeſe adſtringeret, præiturus exemplum, quo ſinguli ſuis poſſint elementis uti logicis. Quare factum eſt, ut neglectus iſtius paſſim veſtigia ſuperſint, vocabulisque ſignificatus attributi ſint novi, quorum tamen quosdam, monitore Cel. *Reuſchio*, ſuſtulit & emendavit. Methodi mathematicæ in Matheſi quidem admittit ac largitur utilitatem; at reliquæ diſciplinæ, ipſo judice, tam arctum haud requirunt nexum, neque adeo a communi cognitione ſunt remotæ, quin & capiantur facilius, & menti firmius inhæreſcant. Nihilo minus methodum æmulatus fuit geometricam, quæ ad oſtendendas connexiones atque conſecutiones rerum potiſſimum comparata eſt. Libellum ſuum diſtribuit in *ſex Sectiones*, ſingulisque ſententiis more Geometrarum præfixit nomen congruens. *Sectione prima* exponit de notionibus, *ſecunda* de definitione, *tertia* de æquipollentiis definitionum, *quarta* de propoſitionibus, *quinta* de ſyllogiſmo directo & categorico, *ſexta* de ratiociniis, quæ a ſyllogiſmis expoſitis ſunt diverſa, *ſeptima* de ratiociniis indirectis, *octava* de propoſitionum compoſitarum uſu in ratiociniis. *Idea*, ſeu *notio*, ab ipſo appellatur *id, per quod res in mente repræſentatur*. *Ideam ſimplicem* vocat, in qua non concipiuntur plura; *compoſitam*, in qua plura a ſe invicem diſtincta concipimus. Illam etiam vocat *confuſam*; hanc *diſtinctam*. Pergit: *Si totius rei ideam habemus confuſam, eorum, quæ rem eam conſtituunt, ideæ obſcuræ ſunt, reliquæ ideæ omnes, præter obſcuras, claræ dicuntur.* Videtur hinc ſequi, ideas confuſas conſtare ex ideis Pag. 2.
pluribus obſcuris, ideoque haud eſſe ſimplices. Definit deinde ideas oppoſitas, identicas, diverſas, ſuperiores & inferiores, ac ſubordinatas, ſingulares, quibus inferior haud datur, coordinatas, infinitas & finitas, infinite oppoſitas, concretas & abſtractas. Docet deinde modum inveniendi ideas determinatas, univerſales, abſtractas, coordinatas, ſeu concretas. In demon- 14.
ſtrationi-

ſtrationibus plerumque utitur exemplis illuſtrationibusque, e
Pag. 32. Matheſi depromtis. *Definitio nominalis*, ipſo judice, eſt oratio, qua ſignificatus termini ejusdem exprimitur, terminus, cujus ſignificatus exprimitur, *definitum*, ipſa vero oratio, qua ſignificatus exprimitur, *definitio*, ſtrictiori ſenſu; & quævis notionum, quas ipſa definitio complectitur, definiti nota, ſive character, eſt. Removet a definitione genuina *circulum in definiendo*, voces vagas minusque fixas, improprias, minus determinatas, contradictiones, abundantiam, laxitatem, & anguſtiam. *Sectione tertia* Cl. Autor diſſerit de rei eſſentialibus, attributis propriis ac communibus, de modo rei proprio & communi, geneſi rei tum propria, tum communi. Et, quia
56. unius rei plures dantur geneſes propriæ, ideo & de una re plures exhiberi poſſunt definitiones. Providendum vero eſſe, ne eæ ſint vel latiores, vel anguſtiores, Cel. Autor copioſe oſtendit.
61. *Judicium* appellat relationis, quæ duas inter ideas intercedit, in mente repræſentationem, *propoſitionem* vero relationis illius
65. per vocabula expreſſionem. *Judicium perfecte determinatum* vocat, quod infimam ſpeciem relationum, quæ inter ideas intercedere queunt, repræſentat. Unde perſpicitur, quid ipſe intelligat per judicium minus determinatum. Non eſt, quod
69. de propoſitionibus ajentibus, negantibus, univerſalibus, particularibus, infinitis, veris, falſis, ea iteremus, quæ Cel. Autor poſt alios fuit commentatus. Nova autem hæc ſunt, quod ideas identicas ſignaverit per $=$, ſubordinatas ſuperiores per $\succ$, ſubordinatas inferiores per $\prec$, coordinatas per X, infinite oppoſitas per —. Niſi quis notiones harum rerum ac ſignorum diſtinctas tenuerit, ipſi haud erit integrum, ea, quæ conſequuntur, ſpeciatim doctrinam de ratiocinatione, intelligere, vel propius intueri. En propoſitiones nonnullas, ad hanc
108. amuſſim exactas. Prima eſt: *Si fuerint duo termini* A *&* B, *quorum alter* B *ſit ſuperior altero* A; *ſumatur autem termino ſuperiore* B *ſuperior terminus tertius* C; *is terminus* C *ſuperior erit & altero* A, *id eſt, ſi fuerit* B $\succ$ A, *&* C $\succ$ B, *erit quoque* C $\succ$ A. Demonſtratio: *Cum enim idea denotata per* C *ſuperior ſit notione per* B *denotata, illa in hac, una cum aliis notioni-*

notionibus, continebitur; ſed ob eandem rationem B *continetur in* A, *ergo &* C *una cum aliis notionibus in* A *continebitur, eritque adeo* C *ſuperior, quam* A, *ſive* C > A. Dolemus, exemplis haud ubique illuſtratas fuiſſe propoſitiones. En aliam: *Si fuerit propoſitio univerſalis, omne* A *eſt* B, *& alia pariter univerſalis, omne* B *eſt* C, *utraque vera, verum quoque erit, omne A eſt C.* En quoque demonſtrationem: *Quia* Pag. 111. *omne* A *eſt* B, *eſt vel* A = B, *vel* A < B, *&, quia omne* B *eſt* C, *eſt vel* B = C, *vel* B < C, *quæcunque duo horum ſumas, erit vel* A = C, *vel* A < C; *ergo ubique omne* A *erit* B. Modum hunc Ariſtotelici vocant *Barbara*, & congruenter ei ſic argumentantur: *Omnis figura eſt extenſum. Omne triangulum eſt figura. Ergo omne triangulum eſt extenſum.* Oſtendit tres propoſitiones ſyllogiſmi negantes, quæ genuinam fundunt ratiocinationem, proprie eſſe infinitas. Suppeditat idem exempla ſyllogiſmorum ad ſingulas figuras. Modos ratiocina- 136. tionum, a ſyllogiſmis expoſitis diverſarum, recenſet propoſitionibus duabus. En primam: *Si fuerint quatuor ideæ, deſignatæ per* A, B, C, D, *& ex duabus earum compoſitis formetur nova notio, tumque altera, ex compoſitis duabus notionibus reliquis, ſintque notiones hoc modo compoſitæ* AC, BD; *dico, ſi fuerit* A ≒ B, *vel* A = B, *vel* A < B, *&* C = D, *&* C < D, *&* C < D, *fore quoque* AC = BD, AC < BD, AC < BD; e. g. *Omne aureum eſt pretioſum; omne poculum eſt vas; ergo omne poculum aureum eſt vas pretioſum.* Nobis vero hæc ita liceat ſyllogiſtice enuntiare: Quicquid eſt aureum, illud eſt pretioſum. A. Omne poculum aureum eſt aureum. E. Omne poculum aureum eſt vas pretioſum. En propoſitionem alteram: 150. *Si iterum* A, B, *&* C, D, *notent quatuor ideas, &* AC *ideam compoſitam ex ideis* A *&* C; *pariterque* BD *ideam ex ideis* B *&* D *compoſitam; dico, ſi fuerit* A = B, *vel* A < B, *vel* A < B, *&* C X D *&* C > D *&* C X D, *vel denique* A X B *&* C X D; *ideas* AC *&* BD *aliquando conſentientes fore, aliquando oppoſitas.* Adjungit Cl. Autor, B. *Rüdigero* parcior, hæc: *Plures modi, per idearum compoſitionem ratiocinandi, quam qui ſuperiori propoſitione adducti ſunt, non dantur.* Miramur vero, ra-

tiocinationum modis haſce inſeri tres propoſitiones: O. *quadratum eſt rectangulum*; O. *quadratum eſt æquilaterum*; E. O. *quadratum eſt rectangulum æquilaterum*, quaſi aliquid novi colligatur, ſi dixerimus: O. viduus eſt vir; O. viduus eſt orbatus uxore; E. O. viduus eſt vir orbatus uxore. Ultra decem propoſitiones ita licet ſubjicere unam alteri, ac tandem *prædicata* ſingularum in unam coacervare. An vero ea coacervatio digna ſit ratiocinationis, vel ratiocinii, aurea appellatione, alii definiant. Placuit *regreſſus*, a Cel. Autore haud neglectus, per quem a particulari cognitione ad univerſalem progredi-
Pag. 181. mur. Solet enim hæc veri inveniendi ratio nobiliſſima a libellis logicis abeſſe. Nec inficiamur, univerſalia judiciisque politioribus digna eſſe, quæ Cl. Autor de ſcientia logica fuit commentatus.

Verſuch einer Betrachtung über die Cometen, die Sündfluth, und das Vorſpiel des jüngſten Gerichts, ꝛc.

hoc eſt,

JOANNIS HEYNII SPECIMEN MEDITATIONIS de Cometis, diluvio Noachico, ac de proludio diei noviſſimi, ſecundum fundamenta Aſtronomiæ ſacrique Codicis inſtitutæ. Præfationem præmiſit JOANNES CHRISTOPHORUS GOTTSCHEDIUS.

Berolini & Lipſiæ, apud Ambroſium Haude, 1742, 8.

Alph. 1 plag. 5, Tabb. æn. 2.

Quot capita, tot ſententiæ. Suus cuique mos. Hæc *Terentii* olim eis erant propria, qui de Cometis cogitata exponebant. Horruerunt majores noſtri cometarum conſpectus, e quibus quippe bella dirosque eventus ſibi minitabantur. Suſtulit leviſſimis argumentis terrorem *Petrus Bælius*. Ingeminant metus cauſam recentiores, nec ſatis habent, ſi dixerint, cometas hominibus phyſice eſſe calamitoſos. Cœlo omni omnique telluri eos eſſe exitioſos & funeſtos, ajunt. *Whiſtonus*, *Hallejus*,

Hallejus, *Neutonus*, ſigna ſuſtulerunt ad metuendum. Metum ad Germanos propagari videmus, ratos æque partim, diluvium *Noachicum* a cometæ appropinquatione ad tellurem eſſe arceſſendum, immo diem planetarum noviſſimum cometis deberi. Terriculamenta hæc denuo cecinit Cl. Autor, qui Gymnaſio Salderiano præeſt Brandeburgi. Cecinit vero ea tam eleganter, tam intrepide, tam ingenioſe, tamque vivide, ut cælatum Muſis novem opus, quod juvat perlegiſſe, attuliſſe & exhibuiſſe videatur. Meditationibus hiſce ornamenta præcedunt duo; unum in Dedicationis formula, *Friderico*, Borusſorum Regi Auguſtiſſimo, inſcripta, ſitum; alterum, quod Præfationem Cel. *Gottſchedii* noſtri, cui Muſa *Urania* & *Polyhymnia* & *Thalia* & reliquæ univerſæ cum Gratiis omnibus nunquam non aſſurgent, comprehendit. Liberat hic Vir præſtantiſſimus in Præfatione fidem, quam dedit abhinc annis aliquot, cum cogitata *Bælii* de Cometis luci Germaniæ obtulit. Exponit mentem Chaldæorum, Ægyptiorum, *Herculis*, & Pythagoræorum, de hoc argumento. Hi enim univerſi operæ pretium fecerunt, dum arbitrati ſunt, cometas eſſe conſtantia & firma cœli corpora. *Ariſtoteles* circulos recte ſentientium turbavit, nec tamen *Senecam* a tramite veritatis dejecit. *Seneca* prædixit incrementa ſcientiæ de cometis, quam ætas noſtra inſpiciendi capit primordia. *Nicephorus Gregoras* A. 1337 ſemitam cometes per ſidera fixa quodammodo deſcripſit. *Joannes Regiomontanus* A. 1472 attentior fuit. *Tycho Brahe Regiomontani* ſententiam emendavit A. 1577, animadvertitque, cometis parallaxes deeſſe. *Keplerus* notavit, cometas in tineis moveri longis, per orbitas planetarum ferri, & parallaxin annuam ſervare. *Keplerum* ſecutus fuit *Carteſius* cum exteris. *Hevelius* cometas complures ſpectavit ſolerter, ratus, eos intra ellipſes moveri. Emendarunt opiniones anteceſſorum diligentiſſimi duumviri, *Flamſteedius* & *Caſſinius*, ex quo cometen A. 1680 & 1681 ſpectarunt. *Neutonus* & *Hallejus* oſtenderunt artem, delineandi ſemitas cometarum. *Whiſtonus* diligentiam eorum ſuperavit. Ipſe docuit, cometen illum, qui exeunte anno 1680 apparuit, invexiſſe telluri diluvium *Noachi-*

cum, libro A. 1725 edito. *Freretus*, Gallus, exornavit eam opinionem, ac poſt *Hevelium* ex *Marci Varronis* libris obſervationem, ab *Auguſtino* conſervatam, exhibuit, qua inducimur, ut ſuſpicemur, diluvium *Ogygium* cometæ deberi. *Halleius* tradidit, cometen illum, qui A. 1680 apparuit, redire elapſis 575½ annis. Oſtendit Noſter, eum A. 1106 menſe Febr. A. 530 Nov. & 44 anno ante C. N. menſe Septembri apparuiſſe. Deficit nos adhuc notitia de comete illo, viſo annis ante Jeſum natum antiquioribus. Reſtituit vero annum 1193 ante C. N. Cel. Vir ex Mythologia de Electra. Conjecturam de maximo comete, A. 618 ante C. N. ſpectato, ex libris *Sibyllinis* ac *Jeremiæ Capite XIII* promit. Subjungit hiſce animadverſionibus deſcriptionem cometes, qui Februario ac ineunte vere anni 1742 apparuit, præcipue ex obſervationibus Cel. *Hauſii* noſtri. Hæc ſunt, quæ ocellus Muſarum & Germaniæ in Præfatione recenſuit ac ediſſeruit. Succedit eis Cl. Autoris iſagoge, quæ rationem reddit, cur hac potiſſimum via & dicendi methodo ipſe fuerit uſus. Recenſet præterea libellos *Finckii*, *Tœllneri*, *Sprengelii*, & *Semleri*, qui vel per jocum, vel ſerio, permittere noluerunt, ut cometes inveheret telluri proludium diei noviſſimæ, & eam diem ipſam. Diſputat deinde contra eos, qui, ſtellam, Magorum ducem, exſtitiſſe cometen, obnixe negant. Hæc ad iſagogen. At nunc libri tractatio ipſa nos vocat & invitat. Diſtribuitur illa in *Capita*
Pag. 130. *quinque*. *Primum* fundamenta aſtronomica complectitur. *Secundum* exhibet argumenta de ratione mentis noſtræ, Codice ſacro, & de miraculis. *Tertium* de diluvio inſcribitur. *Quarto*
43. diſſeritur de diei noviſſimæ proludio. *Quintum* continet corollaria nonnulla. Conjectat Cl. Autor, ſolem eſſe mentium beatarum ſedem. Recenſet mundi corpora, quotquot nobis ſpectare datum eſt, cœleſtia, planetisque ſuos incolas aſſignat.
35. Exponit ſyſtema *Whiſtonianum* de hexaemero creationis. De montibus ignivomis, terræque motibus, exponit. De gravitate
62. telluris diſſerit. Addit nonnihil de mutua corporum cœleſtium gravitatione. Commemorat experimentum, quo globus e tormento recta in aerem exploditur ad perpendiculum. Ad-

jungere

jungere liceat unum & alterum. Aer, quo remotior eſt a tellure, eo tardior promovetur cum terra. Ergo ſuſpicandum eſt, globum, perpendiculo congruenter per aerem tranquillum alte excuſſum, relabi ad plagam tormenti occidentalem. Quæ ipſa ratiocinatio feliciter eventui reſpondet. Perſpicitur ex hoc experimento dilucide, tellurem pro more planetarum ab occaſu ad ortum gyrari. Terroris affectus, olim cometis apparentibus adjectus, e re Aſtronomorum fuit. An enim, iſto olim abjecto, hiſtoria de cometis ad nos propagata fuiſſet? Cometen, quem *Joſephus* per annum apparuiſſe, excidiumque Hieroſolymæ præceſſiſſe, memoravit, cum Cl. Autore haud lubet pro cometa habere. *Zeltnerus* probabiliſſime oſtendit, ſignum filii hominis in eo prodigio, ſeu oſtento, fuiſſe conſpicuum. Alibi de eo aliquis noſtrum copioſius commentabitur. Caudam cometes Dortous *de Mairan* ex lumine ſolis zodiacali repetit. At hanc opinionem Noſter refellit. Stellam, a Magis viſam, & eorum, ad Jeſum, ducem, exponit de cometa. Contendit, ſolem, Jeſu in crucem acto, per cometen fuiſſe tenebris involutum, oculos ſpectatorum inter & ſolem interpoſitum. Per theoriam & experimenta de plantarum palingeneſia tentat exponere reſurrectionem ſanctorum, qui, terra motibus violentis laxata, in vitam redierunt. Quæſtio autem reſtat enodanda, cur tantum corpora piorum, immo ſanctorum, nec tamen omnia, nec impiorum corpora ulla, revixerint. Cometas excitare terræ motus & inundationes, addit Cl. Autor. Diſquirit reliquos effectus funeſtos, qui vulgo cometis attribui ſolent. Intexit dialogum, quo cogitata de cometis *Bæliana* diſcutiuntur. Dolet vicem Theologorum, qui nec Philoſophiam, nec Matheſin, ſalutarunt. *Rationem* inſerendam eſſe, docet, Dei perfectionibus, quibus nomen eſt attributorum. Infirmitates intellectus dici poſſe rationem minus ſanam, pernegat. Rationem ut appellemus ignem fatuum, haud permittit. Quantus ſit rationis uſus in lectione ac expoſitione Codicis ſacri, vitaque Chriſtiana, diſquirit, additque inveſtigationem de eo, ſecundum quod literæ diviniores ſint explicandæ, principio & elemento primo. Exhibet locum ex *Whiſtono*, quo docemur, hunc Aſtronomum

Pag. 69. 75. 81. 85. 99. 103. 108. 127. 134. 152.

Anglum ingenue fuiſſe θεανθρωπίαν Chriſti amplexatum, & decreto reprobationis, conditionibus ſoluto, contradictionis vitium impegiſſe. An *analogia fidei* ſit principium illud, diſputat. Impertit ei id honoris, ut illud vocet *principium negativum*. Rationem vero vocat *principium poſitivum*, ſenſu haud
Pag. 160. Sociniano. Fundamenta exponendi ſacras literas ſuppeditat ſuccincte. Indolem odii theologici ediſſerit. Rationes, cur
171. Deus miracula ediderit, recenſet. Diluvii *Noachici* propugnat
univerſalitatem. Ubique tellurem, diluvio illo antiquiorem,
182. fuiſſe cultam, nec eam moribus conſtitiſſe, perſuadet. Examinat opiniones aliorum, qui varios excogitarunt modulos, ut geneſin diluvii, quod ſuperficiem telluris omnem tenuit occu-
196. patam, exponerent. Approbat tandem ſententiam *Guilielmi Whiſtoni*, eamque exornat & conſtabilit uſquequaque, jam a Cel. *Gottſchedio* laudatam. Copioſiorem ſeſe hic præbet, quam in *Cometologia ſacra*, cujus ſummam alibi cum lectoribus communicatam dedimus. Verba illa *Moſaica Gen. VIII, 1*: וַיַּעֲבֵר
206. אֱלֹהִים רוּחַ עַל הָאָרֶץ וַיָּשֹׁכּוּ הַמָּיִם, ſic expoſuit: *Deus ventum redire fecit (e telluris cavernis) in ejus ſuperficiem eo eventu, ut aquæ ſubterraneæ, per cometen e cavis elicitæ, in latibula ſubterranea, ſeu hydrophylacia, redierint, ac ſeſe poſuerint, priore ordine recuperato.* Tranſitio certe indicatur in locum conſuetum, & illud עַל הָאָרֶץ notat idem ac *in ſuperiorem terræ partem.* Ventusne alias pacat & ſerenat undas? Nonne potius eas turbat, & inquietas reddit? Verbis autem שׁוּךְ, שָׁכַךְ, & סָכַךְ, ineſt ſignificatus *concludendi* & *claudendo obtegendi.* Aquæ idcirco perhibentur rurſus clauſæ & obtectæ. Et hactenus quidem ſententia Cl. Autoris expoſitioni *Moſaicæ* haud refragatur. Idem ſuſpicatur, cometen majo-
209. rem, qui diluvium orbi terrarum induxerit, hemisphærio telluris auſtrali appropinquaſſe; arcam vero *Noachicam* ſeſe tenuiſſe in altero hemisphærio. A *Noacho* cometen illum fuiſſe ſpectatum, ac narrationem ejus de cometa tam funeſto ad poſteros transmiſſam eſſe, conjicit ex libro Talmudico *Roſch haſchanah pag. 11.* Recipit ſeſe præterea ad locum *Amoſi V, 6,*
215. quem ita interpretatur: *Nam Jehova eſt ille, qui cometam creavit,*

vit, & per eum olim tempus mututinum in tenebras atras convertit, meridiem vero inſtar noctis obtenebravit. Ipſe eſt, qui per illam ſtellam ſubterraneas undas telluris in ſuperficiem elicuit, & ita diluvium formavit. Vocem כסיל exponit per ſtellam prodigioſam. Vox כִּימָה, ipſo judice, applaudente R. *Salomone Iſaacide*, notat *comcten.* Ad voces *Keſil* & *Kimah* varia annotavit, ut vulgares notiones enervaret. Tandem ipſi res eſt cum *B. H. Wideburgio*, Jenenſis Academiæ Mathematico percelebri, qui haud ita pridem, cometam diluvii exſtitiſſe cauſam, negavit. Ut vero lectoribus perſuadeat Noſter, cometam quendam circa annum 1748 proludio diei noviſſimæ inferviturum, inprimis calculum ſuum ex *Dan. VIII, 14*, it comprobatum, ubi prædicitur inſtauranda ſanctuarii inauguratio poſt 2300 intervalla, quorum ſingula conſtent ex vespertino uno ac altero matutino tempore. Patefaciet annus unus & alter, proxime inſtans, an proludium illud ſit appariturum. Evolvimus loca ſingula Codicis ſacri, e quibus Cl. Autor illud ipſum eruere ſtuduit. Expendimus ea iterum iterumque, nec tamen ea nobis aſſenſum expreſſerunt. Cur ſecus ſentiamus, rationes alibi proferentur. Juvat tamen Commentationem Cl. Viri legiſſe, quæ inſtar amœniſſimi vireti lectorem paſcit, paſſim ſatiat, ubique autem delectat.

Pag. 235.

297.

Gründlicher, mehrentheils neuer, Schrifft-Erklärungen erſter Theil, ꝛc.

hoc eſt,

SOLIDARUM, MAXIMA EX PARTE NOVArum, ſacri Codicis expoſitionum Pars I, publicata a JOANNE FRID. SCHIEBRIZ, Prof. Philoſ. P. O.

Halæ, impenſis Kittlerianis, 1743, 8.

Plag. 6.

Conſtituit Cl. Autor, obſcurioribus ſacri Codicis ſententiis lucem novam fœnerari, quippe qui olim Theologiæ linguisque

guisque orientalibus operam dedit haud vulgarem. Spondet tractationis continuationem, nec in eos ſeſe ingratum fore pollicetur, a quibus paſſim meliora fuerit edoctus. In præſens exhibuit cogitata ſua ad exponendum loca *Pſ. II, 7*, *1 Cor. XV, 28*, *Coloſſ. II, 9*. Primo loco accinxit ſeſe ad *Pſ. II, 7*, ubi hæc leguntur: *Filius meus es tu, hoc die genui te.* Communis ſententia fert, hæc verba eſſe Dei patris, ſiquidem 1) hic filio redemtori addixit gentes in peculium; 2) nec Spiritus ſanctus unquam ſe patrem Jeſu Chriſti appellavit. Filium Dei, non *Davidem*, hic deſignari, & Judæi complures & Chriſtiani do-
Pag. 2. ctores ad unum omnes confitentur. *Maimonides* ipſe in *Sanhedrin Cap. 10* hunc locum de Meſſia interpretatus fuit. Quæritur, an de divina filii natura, an de humana, ibi ſermo inſtituatur. Poſterior ſententia placuit *Origeni*, *Hilario*, *Cyrillo*, *Ambroſio*, *Athanaſio*, *Fulgentio*, *Theodoreto*, *Euthymio*, *Oecumenio*, *Hieronymo*, aliis. Hiſce Noſter accedit, cauſatus, 1) antecedentibus & conſequentibus deſignari momenta naturæ Chriſti humanæ, ſiquidem Deus *v. 6* dicatur Regem ſuum conſtituiſſe eccleſiæ principem, eique *v. 8* gentes terræque ultima in hæreditatem & peculium deſtinaſſe, atque 2) finem *Pſalmi* eo ſpectare, ut, rebellantium in eccleſiam Chriſti molitiones fore irritas, declaretur. Addit 3), verba *inviſi* celebratiſſimi
5. haud pati aliam expoſitionem, ſiquidem vaticinium enuntietur, ad tempora Nov. Teſt. trahendum. היום eſt, ipſo judice, index Novi Fœderis, ob *Ebr. XIII, 8*, & conſenſum *Outhovii* aliorumque, qui, tempus Nov. Teſt. indicari per *illum*
7. *diem*, malunt. Inprimis provocat ad *Sebaſt. Schmidii Comment. in Epiſt. ad Ebr. pag. 53*, qui dilucide: Non alias in Scriptura S. *hodie*, neque *dies*, neque *hic dies*, aut ſimile quid, æternitatem notat. Hæc ille. Eum, qui dicit: *Filius meus es tu*, putat eſſe Spiritum ſanctum, eo quod hic traditur filium unxiſſe *Jeſ. LXI, 1*, *Luc. IV, 18*, *Act. X, 38*, *Luc. I, 35*. Spiritum ſanctum eſſe autorem humanæ naturæ, adjungit ob *Matth. I,*
11. *18, 20.* ילד exponit de communicatione eſſentiæ, quæ gignenti eſt ſimilis, vel diſſimilis. Veremur vero, ne Sociniani hæc traducant ad æternam Chriſti filiationem. Diſſimilis naturæ productionem

ductionem ea voce denotari, existimat alibi, e. g. *Deut. XXXII, 18, Lev. II, 9, Job. XXXVIII, 28, Es. XL, 21.* Christum, qua hominem, dici posse filium Spiritus sancti, putat ex eo consequi, quod ille vocatur ἐκ πνεύματος γεννηθὲν *Matth. I, 20, 18,* & *Adamus* dicitur *Luc. III, 38,* filius Dei. Credimus vero, non *Adamum*, sed Christum, ibi filium Dei vocari, Cel. *Petro Zornio*, aliisque, præeuntibus. Sunt, qui arbitrantur, in Novo Pag. 13.
Test. *incisum* illud: *Filius meus es tu*, de generatione æternæ filii Dei naturæ adhiberi. Operam vero dat, ut objectionem hanc removeat. Illam vero haud attigit, angelos quoque vocari *filios Dei* per communicationem naturæ, quæ gignenti, vel producenti, est dissimilis, & hac ratione argumento *Pauli Ebr. I, 5,* nullum inesse robur, ideoque requiri, ut ibi per *filiam Dei* designetur is, qui æterna generatione & communicatione naturæ Dei est filius Dei. Nihilo secius credit, in *Ebr.* 16.
I, 4, 5, de humana Christi natura esse sermonem, provocans ad illud γενόμενος, quod ipsi idem est ac *factus*, *existere incipiens.* Addit, Jesum dici *nomen melius angelis per hæreditatem accepisse* per modum gratiæ ac doni gratuiti *Phil. II, 9,* hoc vero ad naturam humanam, consentiente *Sebastiano Schmidio*, spectare. Comprobatum it deinde, locum *2 Sam. VII, 14,* ob antecedentia momenta de humana Christi natura esse in-
terpretandum. Deinde confert se ad *Ebr. V, 5,* & *VII, 3,* 21.
atque ad objectionem nostram respondet, angelos non inunctos esse infinito modo donis Spiritus sancti, ideoque filios Dei haud posse dici ea ratione, qua Christus eam gestavit appellationem. Conferendum vero hic est Magnif. *Bærneri* Programma, quo diligentissime in hanc expositionem fuit inquisitum. Succedit expositio loci *1 Cor. XV, 28:* ὅταν δὲ ὑποταγῇ αὐτῷ τὰ πάντα, τότε καὶ αὐτὸς (υἱὸς) ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα, ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι. In eo est, ut vocem ὑποταγήσεται interpretetur activo sensu per *subjiciet.* Provocat ad Ebræos, qui verba in Ni- 34.
phal posita sumunt activo sensu, ad Græcos, qui activis passim significatum passivum tribuerunt, & passivis sensum activum assignarunt. Addit, *Luc. VI, 38,* illud ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν

idem esse ac *mensurabit vobis*, nec non illud *Matth. XI, 5*, πτωχοὶ εὐαγγελίζονται interpretandum esse, *pauperes evangelium annuntiant*. Illud ἐκρύβη *Jo. XII, 36*, exponit per *occultavit se*. Ita δεδωρημένος *2 Petr. I, 3*, & τεθέαται *1 Jo. IV,*
Pag. 37. *12*, & προσκέκλημαι *Act. XIII, 2*, immo καθίσται *Ebr. V, 1*, ac τελειωθεὶς *v. 9*, sumuntur merito intra significatum activum. Nec aliter *Theodoretus* locum *1 Cor. XV, 24*, exposuit. Autor tandem, interpretationem suam & Socinianis objacere, & Orthodoxis accommodatam esse, ostendit. Tum promovet diligentiam gradumque ad *Col. II, 9*, ubi de Christo traditur: Ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματι-
47. κῶς. *Cerinthianis* verba hæc esse opposita, ut demonstret, enisse studet. De *Cerintho* non pauca ediserit. *Samueli Basnagio* ac B. *Frid. Ad. Lampio*, qui *Cerinthum* ad Seculum II amandarunt, argumenta opponit. *Cerinthi* errores recenset, eosque
58. ex Philosophia *Platonica* arcessit. Docet, *Paulum* in *Epistola*
88. *ad Colossenses* data *Cerinthum* oppugnare. Quid sit πλήρωμα, operose evolvit, & tandem, quid de sententia Cel. *Christiani Schættgenii* ad hunc locum statua exponit. Nihil restat, nisi ut oremus Virum præstantissimum, ne propositum desistat urgere, nec a meditandis cum cura oraculis divinis se aliis laboribus patiatur avocari.

JO. GODOFREDI BÜCHNERI, CONSIliar. Rutheno-Plavienſ. & ab Archiv. Secretior. nec non Cæſar. Natur. Curioſ. Adjuncti, Diſſertationes epiſtolicæ de Memorabilibus Voigtlandiæ ſubterraneis, ad Virum Excell. Conſult. & Doct. Dominum FRANCISCUM ERNESTUM BRÜCKMANNUM.

Plaviæ, 1743, 4.
Plag. 5.

Quinque Epistolis Amplisſ. Autori visum est memorabilia Voigtlandiæ subterranea enarrare. Prima exponit *de Lapidibus figuratis, in Voigtlandia reperiri solitis*. Orditur a lapide, ex Elistro fluvio excipi soluto, qui linguam humanam refert,

refert, ſimilibusque. Commemorat de ſilicibus ſphæricis, ovalibus & quadratis, lævibus ac politis, quos agitatio in gyrum, ſeu circumvolutio, hac donavit figura. Addit amygdala ex lapicidina Planitzienſi, ſpecie quidem petrefacta, ſed ex medullis ſaxorum enata. Ex eadem fodina eruuntur lapides, qui piſa, fungos, citra, pruna ſilveſtria, & caſtaneas, cortice liberatas, fabasque lapideas, referunt, nec non ii, qui grana & ovula exprimunt figura. Omittimus eos, qui caſeorum ac ovorum formas præbent. Attentione digni ſunt illi, qui humanam faciem referunt. Præſto ſunt ibi lapides, qui animalium terreſtrium, aereorum, ac aquatilium, ſimulacra, arbuſculas, & fruticeta, repræſentant. Succi vitriolici videntur in cauſa eſſe, ut figuræ ejusmodi inibi enaſcantur. Gryphitas & lithophyta, ac conchas petrefactas, ibidem inveniri, ſilendum haud eſt. *Epiſtola ſecunda* inſcribitur *de Marmoribus in Voigtlandia*, quæ Autor pro varia ipſorum figura ediſſerit. Marmori certe Plavienſi prædicando alii quoque operam impenderunt. *Epiſtola tertia de Lapidibus pretioſis in Voigtlandia* exponit. Chryſolithus invenitur prope Reichenbachium, Iris haud procul ab Auerbach, Asbeſtitæ ad vicum Altenſaltza, adamantes paſſim, hæmatites in metallifodina Auerbacenſi, Iaspis viridis in dynaſtia Greiz ac in confiniis civitatis Hof, Topaſius ad Auerbachium, Hyacinthus in Goletio flumine, Achates & Chalcedonius paſſim, nec non ſerpentinus vulgaris, malachites, criſtallus, & gagates niger, vi electrica præditus, lapis Lydius in vicinia arcis Burgk. Margaritas alit vehitque fluvius Eliſter. *Epiſtola quarta de Foſſilibus, atque mineralibus, variique generis metallis, in Voigtlandia*, eſt inſcripta. Reperiuntur eximii fluores minerales prope Blanckenbergam, argentum rude plumbei coloris prope urbem Plauen effoditur, ſpatum album ac ponderoſum ſuppeditatur a loco Cœſtriz. Talcum optimæ notæ affertur ex villa Mielesdorf dynaſtiæ Gera, argento inprimis poliendo inſerviens. In confiniis ejus reperitur Cadmia, tam flava, quam ſubrubea, æque ac alumen ſchiſtoſum. Marga ſaxatilis & ſtalactites, vitriolum, marcaſita, cobaltum venis ſulphuris mixtum, quod cum arena permixtum præbet ſmaltum,

paſſim ſunt obvia. Ceſpites bituminoſi, lithantraces, alumen, argentum vivum, terra cinnabarina, antimonium ſolidum, & ſal, hinc inde eruuntur. Prope urbem Weida jam ante annum 1337 metallifodinas exſtitiſſe, lis indicio eſt, inter *Fridericum*, Miſniæ Marchionem, ac Advocatos Weidæ, Plauenæ, & Geræ, enata. Hiſce Advocatis jam *Fridericus II* A. 1232 jus fodiendi aurum, metallum, & alia metalla, clementer indulſit. Ad Graizam in ſilva Reinsdorfienſi fodina reperitur plumbi, quod argento permixtum. Plaviæ viſuntur fodinæ argenti, æris cyprii, ferri. Ad Geram, Schleiz, & Lobenſteinium, claruerunt cuprifodinæ. Aurobaci fodinæ præbent cuprum & orichalcum. Olsnitium exhibet ſtannifodinas. Alibi exiſtunt quoque fodinæ, quæ plumbum ſubminiſtrant. *Epiſtolæ quintæ* nobiliſſimum eſt argumentum *de Auro fluviatili in Voigtlandia.* Weida certe fluvius aurum vehit, Hungarico excellentius, nec non Goletius rivusque Seiffenbach, ac ipſe Eliſter & Mulda. Loca ad Steinheydam, Kuttenheydam, Koſchizium, & montem Goldberg, nonnunquam granis & ramentis auri ſe commendant. Si copia proveniret major, & laborem ſumtusque penſarent reditus, non eſt dubitandum, piſcatores & foſſores in auro colligendo ac effodiendo dudum fuiſſe deſudaturos. Hæc ſunt, quæ Ampliſſ. Vir, ut Voigtlandiam ſuam illuſtraret, nos noluit ignorare.

JAC. CARPOVII MEDITATIO PHILOSOPHICO-CRITICA de Lingua, ejusque perfectione, methodo ſcientifica adornata. Editio ſecunda, plurimis acceſſionibus aucta.

Francofurti & Lipſiæ, impenſis Joannis Adami Melchioris, 1743, 4.

Alph. 1.

Ratio & oratio homini divinitus impertitum munus eſt. Orationis magna eſt utilitas in diſcendo, docendo, ac ſocietatis compage ſervanda. Origo ejus ad primam referenda eſt creationem. Sciſſa fuit ipſa in diverſas linguas, quarum una alteri

alteri præſtat perfectione, nulla autem penitus eſt perfecta. Noſtrum eſt, imperfectiones ex eis, quantum fieri poteſt, profligare ac removere. At, ni noverimus, in quonam præcipue conſiſtat linguæ perfectio, deſtinationis illius finem haud aſſequemur. Leges igitur perfectionis in expedito ſint neceſſe eſt, ut hoc negotio recte defungamur. Haſce inveſtigavit Cel. Autor, ut modum, quo linguæ emendatio poſſit ſuſcipi, tradat. Diviſit eo fine Opuſculum in *duo Capita*. *Prieri* de lingua generatim, *poſteriori* de ejus perfectione ſpeciatim, diſſerit. Hæc eſt ſumma Præfationis primæ, A. 1735 adornatæ. Ordinem in editione hac altera conſervavit eundem. Argumenta attingemus pontora. Nemo alterius cogitationes citra interventum vocum intelligere poteſt. Signa cogitationum ideo ſunt neceſſaria. Hæc inter eminet vox, de cujus indole, formatione, & uſu, eapropter Autor exponit. Voces dividit in vocales & conſonantes, item in articulatas & inarticulatas. Addit nonnihil de vocabulis, & inquirit, an dentur naturalia cogitationum ſigna. Explicat, quid hoc ſit, alterum intelligere, & quomodo id ex regula imaginationis ſit explicabile. Subjicit ſermonis, linguæ, & loquelæ, definitiones. Primam linguæ originem ab *Adamo* arceſſit, cujus lingua a Patriarchis fuerit cuſtodita. Adjungit rationes confuſionis linguarum. Refellit eos, qui, primos mortales fuiſſe mutos, finxerunt. Provocat ideo ad *Gen. I, 28 ſeq. II, 16, 17, 23, 24*, ac oſtendit, *Adamum* in prima creatione facultatem & habitum, rerum cognitionem ſignificandi ſermone quodam diſtincto & intelligi apto, accepiſſe. Unam eandemque linguam utique ad tempus exſtructæ turris Babel fuiſſe, addit. *Hermanni von der Hardt* & *Joannis Clerici* rationem confuſionis linguarum, per diverſa ſtruentium ſtudia ac conſilia explicatam, rejicit. Tradit, linguam *Adamicam* in familia Patriarcharum, quippe alienorum a turris exſtructione, perſtitiſſe. *Abrahamum* dici העברי *Gen. XIV, 13*, eo quod linguam, inſtituta, cultumque, *Eberi* ſecutus ſit, exiſtimat. Idem cognomen *Ebræorum* adhæſit *Joſepho Gen. XXXIX, 14, 17*, & Iſraelitis *Exod. I, 15, 16, 19, II, 6, 11, 13, III, 18, V, 3, VII, 16*. Contendit deinde,

Pag. 16.

22.

24.

26.

Pag. 28. deinde, linguam Hebræam omnium primam exſtitiſſe. Addit reliquas variantium linguarum cauſas, docens, decreta a Prætoribus Romanorum in eorum provinciis Latine fuiſſe propoſi-
30. ta. Monſtrat modum, quo lingua diſcitur vernacula & ab audientibus, & a ſurdis, immo ſurdis mutisque. Obſervationem inſerit de peregrinarum linguarum exercitio, Apoſtolis impertito, ac, in *Act. II, 3*, legendum eſſe ἐκάθισαν (γλῶσσαι), cum Codice Cantabrigienſi ac Syro interprete contendit, ratus,
34. Apoſtolos habitum peregrinarum linguarum per tempus vitæ univerſum retinuiſſe. Approbat hanc regulam: *Ubi regulæ Grammaticæ cognitæ confeſtim transferuntur ad uſum, non tantum habitus linguæ, ſed talis etiam, qui dubitationem excludit, acquiritur.* A natura homini haud ineſſe loquendi habitum, & ratione, & exemplis hominum, inter beſtias enutritorum, oſtendit; brutis vero eſſe vim, voces ſuas, natura ſic ferente, ex-
44. primendi, addit. Scripturam hieroglyphicam alphabetica vetuſtiorem eſſe, largitur. Deſcendit ad diſquiſitionem, quæ in inventore literarum definiendo verſatur. Conficit argumentis haud tralatitiis, *Thotum, Oſiridi* gratioſum, eas inveniſſe, ac *Thotum*, ſeu *Mercurium* illum, fuiſſe *Joſephum Jacobiden.*
56. Modum, quo literæ inveniri potuerunt, exponit. Loquelæ ſcriptionisque commoda ac incommoda recenſet. Cauſam nominis ſubſtantivi & adjectivi, numerorum, caſuum, &c. in-
72. veſtigat. De Grammatica univerſali pulchre commentatur. Nec de lingua univerſali ſilet, olim Græca, dudum vero Latina. Linguæ mortuæ, eique univerſali adhuc, palmam defert præ vivis linguis. Signa ſcripta diſpeſcit in primitiva & derivativa, in
77. eſſentialia & accidentalia. Artem characteriſticam edifſerit, ac nonnihil de indole artis combinatoriæ characteriſticæ intexit.
81. Uſus certe haud ſpernendus eſt hujus artis, eo quod ipſa formet ſcripturam univerſalem, per quam ſine verbis omnes nationes ac populi cogitationes ſuas invicem communicare poſſent, ſi ipſa exſtaret. At ſolide idem monet, ſcripturam Sinenſium pro ea poſſe haberi, quoad commodior nondum ſit inventa. In *Capite ſecundo*, quo de perfectione linguæ ſpeciatim tractat, tres demonſtrat linguæ perfectæ notas generales, nempe

nempe 1) intelligentiam facilem, 2) commoditatem & brevitatem in loquendo ac ſcribendo, & 3) jucunditatem in audiendo. Derivat ex prima nota deinde plures ſpeciales, e. g. lingua perfecta excludit homonyma atque communia ab uno ad unum, res quælibet nomine gaudeat peculiari, in lingua perfecta licet, cum neceſſitas jubet, nova formare nomina, & peregrina adoptare, lingua perfecta reſpuit plura ejusdem rei nomina prorſus ſynonyma ac diverſitatem dialectorum, poſtulat e contrario multa nomina eſſentialia. Adde haſce: In lingua perfecta res ſimiles ſimilibus gaudent nominibus, in ea debent eſſe crebræ vocabulorum cognationes, in illa, ſpatio inter verba ſingula relicto, eſt ſcribendum, ſignis diſtinctionum in ea debet eſſe locus, ipſa poſtulat ſigna ad diverſam verborum relationem indicandam, quale exemplum ſuppeditant accentus Hebræorum; in illa diverſus literarum pingendarum modus eſt utiliſſimus. Eadem ratione ex nota ſecunda & tertia notas multas eruit ſpeciales. Pronuntiata firmat & illuſtrat ubique obſervationibus jucundis, multorumque exemplorum nitore perfundit. Demonſtrat rationem, cur in lingua Hebræa quæliber ſyllaba ad minimum tribus moris gaudeat. Specimini loco hæc ſufficiant in præſens. Rogatum volumus Cl. Autorem, ut ſucceſſu temporis huic argumento meditationum aliquid porro tribuat. Hic enim ratione fiet, ut Philologiæ, & inprimis ſacræ, firmiſſima ſuppeditentur fundamenta, quibus magnam partem adhuc illa caret. Pag. 89. 93. 103. 134.

Hiſtoriſche Nachricht von dem Ordens-Amte Rampitz an der Oder, ꝛc.

hoc eſt,

HISTORICA DESCRIPTIO PRÆFECTURÆ Rampitz, ad Ordinem Joanniticum referendæ, & Suevo adjacentis, ſecundum tempora Venedorum veterum & Chriſtianæ religionis, occaſione nonnullarum repertarum Antiquitatum ac figurarum, ideo adjectarum, in Jubilæo Reformationis collecta, & intra epitomen

tomen literis prodita, a JO. GOTHOFR. OHNEFR. RICHTERO, Eccleſiaſte Ordinis ibidem.

Francofurti ad Oderam, apud Joannem Gothofredum Conradi, 1740, 4.

Plag. 7.

Urnæ ſepulcrales, ad Rampitzium inventæ, ſunt reliquiæ & monumenta Venedorum, ibi olim habitantium, & Gremnizium munientium. Venedi coluerunt duo principia, Beliibogh & Zarnibogh, *Deum album & atrum.* Ab eis pendebant Pſchespolnjiza, Doppolnjiza, & Grossba, quorum primus præſedit horis matutinis, ſecundus pomeridianis, tertius meridiei. Venedi ex hinnitu equorum fata inſtantia æſtimarunt. *Triglaw* ſimulacrum fuit triceps, equo atro expiandum. *Siwa* fuit ipſa natura. *Swantibold*, ſeu *Swantibog*, fuit vir exiguus aheneus, globo inſidens, dextram demittens, ſiniſtram attollens, alatus, cujus figuram dedit Pl. Rev. Autor. *Ludki* fuere nani, ſeu Dei ſubterranei, inter Venedorum commenta. Urnas, æri inciſas, ſuppeditavit idem duas, in loco editiori repertas. Per מסרתו *Amos VI, 10*, deſignari putat *uſtorem*, ni *pollinctorem*, *ejus*. A Venedis corpora mortuorum combuſta fuiſſe, tradit. In urna una invenit ipſe fibulam, ſeu aciculam, aheneam, cujus exhibuit figuram. Vaſa lachrymatoria urnis, in quibus cineres cadaverum uſtorum fuerunt collecti, appoſita inveniri, animadvertit. Pugio in magna urna ſepulcrali ad Gubenam in vinea fuit repertus, cujus æque figuram exhibuit. Repræſentavit præterea ectypon lampadis, ſeu lychni, ſepulcralis Venedici, qui in fornice ſubterraneo prope fines Pomeraniæ eſt inventus. Rampitzii originem affigit Seculo exeunti XIII, vel ineunti XIV. Magiſter ordinis *Balthaſar de Schlieben* locum illum cum adjectis emit A. 1437, & a *Joanne* Marchione literas, proprietatis translatæ indices, obtinuit. A. 1539 Rampitzium acceſſit Evangelicæ religioni. Primus ibi Eccleſiaſtes Evangelicus exſtitit *Nicolaus Stacker*, qui per errorem in ſubſcriptione Formulæ Concordiæ vocatur *Stocker*. Omittimus ejus ſucceſſores, ipſumque carmen, quo ille inundationem Oderæ,

Pag. 7. 10. 15. 22. 27. 29. 33.

ræ, ipsi A. 1736 calamitosam, descripsit. Tribuat ei Deus clementissimus in posterum fata gratiora!

JOANNIS ADAMI OSIANDRI, GRÆC. LING. Prof. P. O. in Academia Tubingensi, Orationum Academicarum biga, quarum prior agit de Manuscripto Codice Cantabrigiensi Græco-Latino Theodori Bezæ, posterior de ejusdem Codice Manuscripto Græco-Latino Claromontano.

Tubingæ, typis & impensis Rœbelianis, 1742, 4. Plag. 4.

Cl. Autori visum fuit Orationibus hisce res criticas, Criticisque sacris jucundissimas, complecti. Celebrantur ejus jam scripta alia. Commendatur ejus inauguralis Oratio *de Originibus variantium lectionum Novi Testamenti*. Laudatur ejus *Orationum Academicarum triga*. Dixit idem A. 1741 publice *de Græco Codice Novi Testamenti Vaticano*. Nota est ejus cum Cel. *Bengelio* controversia, de nonnullis Codicibus Novi Test. Græcis agitata. Asservatur ille Codex, quem *Theodorus Beza* Cantabrigiensi Academiæ donavit, adhuc ibi in Bibliotheca S. Trinitatis, latitans olim Lugduni in S. *Irenæi* Cœnobio. Descripsit eum *Joannes Millius* in *Prolegomenis ad Nov. Test. Græcum pag. 33*. Librarius is, qui scripsit Codicem, fuit homo Latinus, isque vel Italus, vel Gallus. Metaphrasis Latina ibi est vetus Italica. Adduntur hinc inde nonnullæ sententiæ, alibi omittitur aliquid, vel mutatum transpositumque apparet. Hujus variarum lectionum modi aliquot specimina Noster dedit. Addidit judicia de manuscripto Pag. 6 seq.
hoc Codice asperiora, nominatim *Joannis Millii*, *Joannis Clerici*, *Arnaldi*, *Richardi Simonii*. Prædicavit eum Noster, eo quod in illo apud *Lucam III, 36*, *Cainan* omittitur. Agnoverunt hanc ἀκρίβειαν *Carpzovius*, *J. W. Baierus*, *Rumpæus*, *Calovius*, *Chladenius*, 11.
Kromayerus, *Cornelius a Lapide*, & *Joannes Adamus Osiander*, Autoris avus. Notavit deinde ejus nævos. Laudat lectionem, quæ in illo invenitur *Jo. XIX, 14*: ην δε παρασκευη τȣ πασχα, ωρα δε ωσει τριτη. Vulgo ibi legitur ὡσεὶ ἕκτη, quæ

quæ temporis determinatio male convenit cum relatis a *Marco*
Pag. 15. *XV*, 25. Prædicatur etiam Codex Græco-Latinus, qui in Bibliotheca San-Germanenſi Ordinis Benedictinorum ex Congregatione S. *Mauri* aſſervatur, deſcriptus a *J. A. Fabricio* in *Bibl. Gr. Lib. IV pag. 180.* *Montfauconius* ejus ætatem ad Seculum
17. VII rejicit, quippe quo accentus ſpiritusque, qui in illo apparent, libris Græcis cœperint adſcribi. Claromontanus æque fuit *Bezæ*, incipiens in *Actis Apoſtolicis*, ubi deſinit Cantabrigienſis. Jam obtinet locum in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi. Suppeditat Noſter lectori de eo notionem genuinam, ſubjungitque varias lites literarias, de eo inter eruditos ultro citroque agitatas, an Claromontanus ſit Cantabrigienſis, nec ne. Docet Noſter, illum a Cantabrigienſi eſſe diverſiſſimum, *Hieronymi* ætate recentiorem, librarii Latini opus, nec inde San-Germanenſem eſſe deſcriptum. Lectiones Græcas Claromontani Codicis peculiares diſtribuit in malas, bonas, & in utramque partem patentes. Ad priorem claſſem ex propria αὐτοψίᾳ refert hæc *1 Cor. XI*, 24, omittuntur verba λάβετε, φάγετε, nec non *v.* 26, 27, pronomina τοῦτον & τοῦτο. *1 Tim. III*, 16, Ο ἐφανερώθη ἐν σαρκι. Quæritur vero, an Ο ſit Θ, ac media lineola fuerit extrita. Ad poſteriorem claſſem ſpectant hæc Legitur *Rom. XIV*, 10: κρινεις τον ἀδελφον σε ἢ τω μη ἐθιειν. Item *2 Cor. V*, 3: εἰγε και ἐκδυσαμενοι, ἢ γυμνοι ευρεθησομεθα. Item *Eph. V*, 9: ὁ γαρ καρπος τὸ φωτος. Digna eſt utraque Oratio, quæ perlegatur integra. Ex ipſa enim experientia ſua Cel. Autor de utroque illo Codice fuit commentatus.

M. JO. GEORGII GERET, ILLUSTRIS CAROLINI Onoldini Rectoris & V. D. M. Commentatio hiſtorico-critica de Cauſis diſcrepantiarum verſionis LXXviralis a textu originali.

Onoldi, in officina libraria aulica, 1742, 8.

Plag. 5.

Dignum patella eſt operculum, quod Vir Pl. Rev. orbi literato appoſuit. Diſputarunt enim eruditi quidam de *Ariſtea*

ſtea fide ac autoritate, de metaphraſios LXX antiquitate, de ejus adornatæ auſpiciis & occaſione, de interpretum numero & indole, de numero librorum, quos ipſi in Græcum converterunt, de miraculi ratione, cui ipſa interpretatio deberi a quibusdam traditur, de ejus pondere & pretio, de ejus ad ætatem noſtram propagatione vel neganda, vel affirmanda, de illius in Novo Teſt. allegatione. At de cauſis diſcrepantiarum metaphraſios LXX paucula fuerunt extricata. Nobilius certe *Hottingerus*, atque *Grabius*, tentarunt tam pauca, ut fere nondum definire quis auſus ſit, quinam nævi, qui verſioni LXX inſederunt, ad primos translatores, quinam vero ad ſcribas & notarios, quinam porro ad interpolatores & criticos, ſint referendi. Operæ igitur pretium fecit Autor, dum in hæc tria momenta ſolertius inquiſivit, & in hac palæſtra fortius movit lacertos. In eo enim occupatus eſt, ut oſtendat, interpretes Pag. 2.
LXX Græcos tot tamque inſignium varietatum atque ſphalmatum haud eſſe autores, injuſteque a nonnullis malæ ideo fidei coargui, qua in transferendis Vet. Teſtamenti ſcriptis ſint uſi; nec tot eſſe differentias inter verba Græca & Ebræa, quot vulgo exſtare exiſtimantur. Sæpius ea, quæ videntur prima ſpecie diſcrepare, optime conciliat, licet, fieri poſſe, neget, ut omnis diſſenſus plane tolli poſſit. Diſtinxit vero diſcrepantias illas in innatas & illatas, ſiquidem, *Hieronymo* teſte, editio interpretum pura haud ubique perſtitit inviolata. *Capite priori* recenſet cauſas diſcrepantiarum, ad LXX ipſos ſpectantium; in *poſteriori* enumerat cauſas diſcrepantiarum, aliunde in eam intruſarum. In illa *Sectione* res redit ad cauſas quinque. Prima eſt ignorantia genuinæ & lectionis & ſignificationis Ebraicarum vocum. 4.
Interpretes enim illi paſſim inſolita plane vocibus puncta vocalia ſubſtraverunt, vocesque rite lectas quam falſiſſime ſunt interpretati, mutando nimirum nomina appellativa in propria, propria in appellativa, nomina in verba, & voces cognitas in plane alienas. Ipſi ordinem ſingulorum verſiculorum & commatum, quin & periodorum ac capitum, paſſim perturbarunt. Ipſi, ad diligentiam formandæ orationis haud aſſuefacti, non vocabula modo nova, ſed & genus dicendi novum, procude-

runt, idque plebejum & illiteratis familiare, quod deinde inter Helleniſtas tritum fuit, ac, in conſuetudinem receptum, ab
Pag. 16. Apoſtolis nonnunquam adhibitum eſt. Ipſi, ad verba exemplaris Ebraici haud ſatis attendentes, ex incuria non ſolum literas affines inter ſe commutarunt, ſed & ſubinde voces duas in unam contraxerunt, & contra, immo haud raro, omiſerunt,
23. uſitatisque alienas affinxere ſignificationes. Notat Noſter erudite, Codices LXX Ebræos caruiſſe literis finalibus. Ipſi potius ad ſententiam, tunc in eccleſia Judaica receptam, quam ad verba Codicis Ebraici, reſpexerunt, ideoque paſſim nomina locorum & chronologiam mutarunt. Ipſi vocabula Ebræa interpretati ſunt nonnunquam ex uſu vicinarum linguarum, Chaldaicæ, Syriacæ, & Arabicæ, quibus jam lingua Hebræa erat
35. perfuſa. *Sectione poſteriori* cauſæ proferuntur quatuor, a quibus diſcrepantiæ illatæ pendent. *Primo* enim librarii ex ignorantia æque ac ex incuria non multas tantum voces in verſione LXXvirali male corruperunt, & penitus omiſerunt, ſed & alienas plane intulerunt, dum literas, grandioris & quadrati characteris, affinesque forma & figura, commutarunt, ſcripturam
39. compendiariam haud ſunt aſſecuti, perperam audiverunt dictantem, vel male pronuntiarunt, voces omiſerunt integras, vo-
45. ces atque ſententias alienas verſioni LXXvirali intulerunt. *Se-*
49. *cundo* Critici, artis criticæ haud ſatis periti, vel nimis audaces, pariter ac librarii, multarum diſcrepantiarum exſtiterunt autores. *Tertio* Judæis juxta ac hæreticis depravationes nonnullæ
59. ſunt tribuendæ. Denique longinquitas temporis cauſa eſt nævorum haud paucorum, ac diſcrepantiæ ſententiarum Græca-
61. rum ab Hebræis ratio. Singulas haſce cauſas Autor illuſtravit exemplis. Negat vero, cauſas diſcrepantiarum arceſſendas eſſe a Codice vitioſo Hebræo, vel a Codice Samaritano, aut Chaldæo, quo LXX fuerint uſi, vel ab *Origenis* tetraplis, hexaplis, aut octaplis, vel denique a mala LXX fide, eorumque ſtudio, Regi *Ptolemæo* placendi. Multum bonæ frugis exiguus hic compleditur liber. Reſtat, ut Cl. Autorem exoremus, ne nobis de-
27. neget tractationem, qua ſeſe demonſtraturum & illuſtraturum promit-

promittit loca, quæ diſcrepant verbis, re tamen ipſa optime in Græco ac Ebræo concordant.

PRINCIPIA GEOGRAPHIÆ NOVÆ, IN USUM Scholarum privatarum conſcripta a JACOBO ODE, S. S. Theol. & Philoſ. D. hujusque Ordinis in Academia Trajectina Prof. Ord.

Trajecti ad Rhenum, apud Matthæum Viſch, 1743, 8.
Alph. 1 plag. 4½.

Eſt Profeſſorum Philoſophiæ in Batavia munus ita comparatum, ut Geographiæ docendæ eis datæ ſint partes. Hac ratione adductus Cel. Autor, cujus librum, *de Angelis* inſcriptum, alias laudavimus, hæc initia literis mandavit eo modulo, ut ſemeſtri inſtitutione poſſint ea commode exponi. Præmiſit Opuſculo Præfationem, qua inſtituti reddidit rationem. Diſtributio abit in tractationem, de globo terreſtri, & in enarrationem, de quatuor telluris partibus, agentem. Poſterior enarratio complectitur *Sectiones quatuor*, quarum ſingulæ ſingulas partes primarias recenſent. Germania ſecundum circulos eſt expoſita. Germaniæ adjecit Autor expoſitionem de Bohemia, Sileſia, Moravia, & Helvetia. Ex univerſo nominibus urbium Latinis adſcripta ſunt nomina, gentibus familiaria. Omnia ſpirant accurationem & diligentiam haud mediocrem, plerumque recentioribus detectionibus congruentem, quam inſtitutio coram audienda valet exornare & dilatare.

ELEMENTORUM EUCLIDIS LIBRI XV, ad Græci contextus fidem recenſiti, & ad uſum tironum accommodati.

Lipſiæ, ſumtu Jo. Frid. Gleditſchii, 1743, 8.
Alph. 1 plag. 5.

Commoda ac nitida eſt hæc editio Elementorum *Euclidis*, quam Cl. *Georgius Fridericus Bærmannus*, Matheſin in hac Academia cum plauſu audientium docens, adornavit tam utili, quam commendabili, deſtinatione. Quicunque enim poſt

Euclidis tempora aliquid in Geometria ſublimiori, vel in Mechanica, Optica, aut Aſtronomia, a ſe inventum literis prodiderunt, demonſtrationum ſuarum plurimas ex *Euclide* duxerunt, nec non ſæpe ad elementa ejus lectores amandarunt, veluti ad fontes limpidos & luculentos. Quare nemo eſt, quin intelligat, quam conducibile & neceſſarium ſit Matheſios amatoribus, ut ipſi in *Euclidea* ſchola tirocinium ponant. Deſiderantur in bibliopoliis noſtris inde ab aliquot annis exemplaria librorum *Euclidis*. Quare Cl. *Bermannus* communi utilitati conſuluiſſe cenſendus eſt, qui eos denuo edendos curavit. Dedit autem idem talem editionem, quæ neque mole, neque pretio, emtores deterreret. Editio, quam juvenis Geometra, *Iſaacus Barrowius*, Cantabrigiæ paravit, brevitatis adeo laudem tulit, ut & in Germania typis ſeu formis publicis quondam recuſa, & plurimorum manibus huc uſque trita ſit. Induxit igitur initio Autor animum, hano editionem typis iterum dare deſcribendam. Sed poſtea mutavit conſilium, cum perpenderet, huic, quantumvis eleganti, editioni ineſſe tamen aliquid, quod lectores aliquos offendere queat, & quod editioni aliqua ad minimum ex parte meliori locum relinquat. Scilicet, qui *Barrowianam Euclidis* editionem cum Græcis Codicibus contulerunt, non ignorant, in ea multarum propoſitionum demonſtrationes immutatas, nonnullarum quoque omnino ſublatas eſſe, aliis, quas *Euclides* Græcus non habet, in earum locum ſubſtitutis. Quod quanquam apud multos lectores ſtudio brevitatis facile excuſatur; ſunt tamen rerum harum intelligentes, qui id factum non eſſe mallent, ſiquidem is, qui ſe *Euclidem* edere profitetur, munere ſuo tunc demum rite fungitur, ſi lectoribus haud alia tradit ac ea, quæ ipſi legerent, ſi Græcis Codicibus uterentur. Statuit itaque Vir Cl. de nova prorſus editione Latina *Euclidis* condenda cogitandum ſibi eſſe, quæ Græci contextus demonſtrationes ſat fideliter exhiberet, in ceteris vero *Barrowianam* brevitatem, quantum ejus fieri poſſet, imitaretur. Sumſit proinde in manus præſtantiſſimam Operum *Euclidis* editionem, quæ cura viri doctiſſimi, *Davidis Gregorii*, Oxoniæ in lucem prodiit, & ex ea contextum Latinum definitionum

tionum & propoſitionum deſcripſit ad verbum, pauciſſimis exceptis *Prop. 7 Lib. I, Prop. 28 Lib. VI, Prop. 10 Lib. VIII,* & *Prop. 26 Lib. XI,* in quibus ſive ſenſus, ſive Græcus contextus, aliquam mutationem poſtulabat. Deinde perlectam propoſitionis uniuscujusque demonſtrationem ſic reddere ſtuduit, ut, ſervato ordine eodem, quo *Euclides* ſyllogiſmorum ſeriem inſtruxerat, totam tamen demonſtrationem in arctius quaſi ſpatium cogeret. Hoc vero quatuor potiſſimum modis efficere voluit, quibus & *Iſaacum Barrowium* uſum eſſe vidit. Nam primo ἔκθεσιν, quam *Euclides* ſingulis propoſitionibus ſubjungit, & in qua, quicquid in propoſitionibus univerſaliter enunciatum fuit, ad ſingulares ſchematum appoſitorum lineas applicat, ipſis propoſitionibus incluſit, ita tamen, ut ne ἔκθεσις cum propoſitione commiſceretur, ſiquidem hæc literis majusculis eſt expreſſa. Secundo ſyllogismorum majores, quas vocant, propoſitiones, quæ in omni demonſtratione ex ſuperioribus ſumuntur, & quas ſolet *Euclides* totidem verbis plerumque repetere, omiſit, indicans tamen per numeros, in margine adſcriptos, ea loca, in quibus eas, ſi ſponte illæ haud ſuccurrant memoriæ, lector poſſit evolvere. *Tertio* pro quibusdam verbis notas illas adhibuit, quæ apud Mathematicos dudum uſu receptæ ſunt. Habent harum notarum pleræque non ſolum hunc uſum, ut tanquam ſcripturæ compendia contextum reddant breviorem, ſed etiam, ſi quis iis ſemel aſſueverit, menti in cogitando ſint haud exiguo adjumento. Propterea in *X Libro Elementorum* quatuor notis novis uſus fuit, eo quod eæ, quæ in *Barrowiana* occurrunt editione, incommodæ ſunt nimis. *Quarto* ſubjunxit quibusdam propoſitionibus ſcholia, vel corollaria, in quibus propoſitiones ejusmodi oſtenſæ ſunt, quæ multorum ſequentium theorematum & problematum demonſtrationes porro tanquam principia ingrediuntur. Præter hæc corollaria viſum ei fuit alia etiam addere, in quibus aliæ ex *Euclidis* propoſitionibus, quarum vel ad inventionem, vel ad aliorum Autorum demonſtrationes intelligendas, frequentiſſimus uſus eſt, & quæ in vulgatis aliorum Autorum Elemen-

Elementis Geometriæ habentur, ſine longa colliguntur ratiocinatione. Pleraque horum ſcholiorum e *Barrowiana* editione huc transſcripſit, nonnulla, ſed perpauca, adjunxit ipſe. Nam eorum omnium mediocrem voluit eſſe numerum. Schemata, ligno inciſa, ſunt ſatis accurata, licet elegantiam editionis Operum *Euclidis* Oxonienſis haud referant omnino. Hiſce præmiſſis, Lectores Geometriæ addiſcendæ ſtudioſos ad novam hanc & amœnam *Euclidis* Elementorum editionem invitamus, &, ut ea diligenter utantur, amice hortamur.

COLLECTIO PROVERBIORUM ET SENTENtiarum inſignium atque uſitatiorum, poſt JO. PONTANI & JO. FRID. KOEBERI, V. V. C. C. operam repetita, amplificata, emendata, ſtudio JO. GOTHOFR. HAUPTMANNI, P. P.

Geræ, typis & ſumtibus viduæ Winterianæ, 1743, 12.

Plag. 11.

Non mentionem faceremus hujus libelli, per ſe quidem utilis, ſed uſui ſaltem ſcholarum dedicati, niſi in Præfatione quædam inveniremus, quæ partim commemoratione haud indigna videntur, partim ulteriori meditationi occaſionem dederunt. Rogatus Cl. Editor, ut libellum iſtum emendaret ac mutaret, tot reperit novanda, ut tertiam fere illius partem aliam prorſus in formam redigi oporteret. Multa erant bis terve poſita, uno vix verbo diverſo, alia ſic comparata, ut vel nihil ad uſum diſcentium conferrent, vel prorſus iisdem noxia eſſe exiſtimari poſſent. Parum igitur abfuit, quin librum plane novum elaboraſſet, niſi multi eum tunc temporis labores impediviſſent. Conſuluit pro tempore varios, qui huc ſpectarunt, libros, atque in Autorum pariter lectione obſervatas ſententias ſuo loco immiſcuit. Latinitatis non minus curam habuit, ne cum bonæ notæ ſententiis malæ notæ vocabula imbiberent adoleſcentes. Ut autem, qua ratione proverbia iſta legitimum uſum præſtent, uberius ipſe inculcet, non ſolum modum præſcri-

præſcribit in laudabili tractatione obſervandum, ſed oſtendit etiam, ita comparatum libellum eſſe, ut, quæ alias inter pia deſideria ſcholaſtica refertur, doctrina moralis, univerſa propemodum ſimul poſſit explicari. Ut periculum hujus rei faceret, quatuor primis literis, vel obiter luſtratis, quæ inſunt, exempli loco in ordinem σχιαγραφίας doctrinæ morum relata, indicavit. Non abs re fuerit, hanc doctrinæ morum σχιαγραφίαν, exemplis quidem omiſſis, indidem excerpſiſſe. Præparatio docet, quo generatim modo bonum ſit accuratius a malo diſtinguendum; ipſa vero officiorum conformatio, qua ratione mortalis ſe gerere debeat 1) erga Deum, cognoſcendo eum tanquam ſummum ac potentiſſimum rerum omnium dominum, omnia videntem & judicantem, totius mundi gubernatorem, ſapientiſſimum, juſtiſſimum, optimum; caute de eo diſputando; ei confidendo; hinc diligenter orando, ipſique vindictam relinquendo; 2) quæ erga nosmet ipſi præſtare debeamus officia: α) erga animum, ut illum quotidie ſcrutemur, ut intelligentiam quisque curet, ne rudis maneat, ſed quo diligenter diſcat, ita vero, ne quid nimis, quo exercitationem conjungat; ne judicium negligat, ne quid temere credat, vel adulatores audiat, neve nimis ſapiens eſſe velit; ut voluntati proſpiciatur, ne quid malum agat, aut in malo conſentiat, ſed actum emendet, ne quid temere ſuſcipiat, nec ſe periculis involvat, ne quid bonum intermittat, ut virtutem præcipue ſpectet, ut caute agat & prudenter, denique ut ſibi ſemper homo vitæ præclarius actæ ſit conſcius, cupiditatesque ac perturbationes bene regat; β) erga corpus, ut illud curemus, ejus fragilitatem meditemur, a gula & ingluvie abſtineamus, temperantiæ ſtudeamus, caſteque vivamus; γ) erga honorem ac fortunas, ubi quidem fama & gloria obſervanda, neque tamen affectanda, parta tuenda, divitiis non confidendum, ab avaritia cavendum, hinc nec aliena male appetenda, parſimoniæ litandum, animus ad utramque ſemper fortunam parandus, neque proſperis rebus extollendus, calamitatum utilitas pernoſcenda, rebus afflictis patientia, fortitudo, ſpes, adhibenda, hinc finis omnium rerum atque exitus ſpectandus, quæque ſors cui-

que largitur, contento animo accipienda; 3) uti ſe homo erga alios gerere debeat: in ſocietate humana tam neminem lædendo, ſive id animo fiat, ubi ſuſpicio alitur, calumniis facile creditur, ſive ore mentiendo, calumniando, contemnendo, deridendo, rixando, ſive opere ipſo, ubi quidem omnium minime afflictis afflictio addenda, quorum potius ex damno ſapere decet; quam ſuum cuique tribuendo, quod fit 1) reſpectu tribuentium, ſi a pravis conſortiis abſtineant, neque minus tamen amorem tribuant, emendationemque ſperent & exſpectent, imbecillitatique indulgeant; nec vero imprudenter quævis patiantur; ſi bonis ſe adjungant, haud tamen intempeſtive, ſed ſapienter; 2) reſpectu recipientium, qui ſunt parentes, obſequio afficiendi, atque in bono æmulandi, liberi, doctores, majores natu, familiares, convictores, juniores, egeni, adverſarii, atque inimici; 3) reſpectu rerum ipſarum ac modi, mente, ſincere vivendo, concordiamque ſervando, ore, ſilenda ſilendo, haud nugando, omnia in meliorem partem interpretando, opere, nil ſine conſilio faciendo, bonum promovendo, bona aliena bene adminiſtrando, mutuata reddendo, ac beneficia prudenter largiendo; in ſocietate civili, ubi occurrunt tum principes & magiſtratus, qui gravitatem muneris ſui & pœnas malæ adminiſtrationis curioſe meditentur, officiis neminem malum atque ineptum præficiant, cives haud deglubant, malos inprimis obſervent, clementiam erga errantes exhibeant, admoneant, puniant poſt ſedulam inquiſitionem; tum ſubjecti, qui officia ſua exhibent principi, aliis civibus, legibus civitatis, toti demum reipublicæ, quod univerſum uberius illuſtratur atque expenditur. Nobis quidem, dum hæc accuratius ponderamus, in mentem venit, an non ſtudioſæ juventutis uſibus conſultum forer, ſi quis ejusmodi ſententias non tam ad ordinem literarum, quam ad formam doctrinæ moralis, colligeret, eandemque hac ratione totam inſtillaret. Sane vel ex hoc libello e. g. doctrinam de amicitia, quæque ibi prudenter obſervanda, quæ cavenda, univerſim conſarcire poſſemus. Quid facilius, quid vero etiam adoleſcentibus, immo viris, utilius, foret, quam & reliqua capita, ad modum ſapientum ex antiquitate hominum, ſic inculcare, ut facilitas

litas cum ſuavitate contenderet? Ita vero præpararentur animi ad altiores Philoſophiæ morum demonſtrationes tanto melius capiendas, atque hæ eædem ſententiæ ſanctiſſimi ſpiritus *Salomoneis* præſertim oraculis confirmari poſſent ac ſtabiliri; maxime cum Proverbia, Cohelet, Pſalmi, *Siracides*, ii ſint libri, qui, primis ſtatim ab annis, manibus puerorum volvuntur.

JOANNIS ELIÆ LEOPOLDI HERVARTI Commentatio de Jure Suffragiorum, præcipue in incluto Senatu Auguſtano, ad Art. V §. 9 Transact. Osnabrug.

Francofurti ac Lipſiæ, impenſis Dav. Ray. Merz & Jo. Jac. Mayer, 1743, 8.

Plag. 8½.

Arduum aggreſſus fuit Cl. Autor opus, remque tricis involutam plurimis expedire conatus fuit. Veritatis amore ductum ſeſe fuiſſe, tradit, ſpondens, ſe injuriis prorſus daturum nihil. Noſtrum non eſt, vel de argumento ipſo, vel de ejus corollariis, judicare. Dabimus libelli ſummam, ac relata candide referemus. Et in hoc momento omnis opera noſtra conſiſtet. Principio, ſocietatem niti pacto vel dilucido, vel tacito, Autor negat. Societas, ex ejus ſententia, eſt aliquid, ubi idem finis præſto eſt, ad quem obtinendum, duo pluresve, ut laborent, mutua obligatione tenentur. Addit idem porro: *Hinc nulla inter Romanos, eorumque ſervos, fuiſſe videtur ſocietas, nec inter locatorem operarum & conductorem. Ibi ex altera parte obligatio; hic finis communis, deſideratur. Non magis locatione conductione ſocietas initur, quam contractu emti venditi. Vel eliminanda ergo ex diſciplina morum ſocietas illa herilis; vel jure civitatis ea quoque donanda, quæ emtorem inter ſic erit venditoremque.* Si quid aſſequi judicando nobis licet, diſtinguenda ſunt initia dominii, per ſocietatem accedentem eis juncta & connexa. Quis enim negabit, inter ducem bellicum militesque, ab eo vel emtos, vel conductos, ac mercedem merentes, dari Pag. 2.

ſocietatem? Pergit idem, oſtenſurus rationem, cur ſuffra-
Pag. 8. gia ſoleant potius numero, quam pondere pretioque ſui, vincere. Hæc ratio ex deſtinata exitii declinatione profluat neceſſe eſt. *Chriſtiani Thomaſii* opinionem, qua traditur, pauciores eſſe ſapientiores, falſam eſſe reſpectu collegiorum, in quibus de re bene cognita feruntur ſuffragia, monet. Defi-
17. nit caſus nonnullos Juris publici Germanici ac Canonici, in quibus ad ſtatuendum aliquid certi conſenſus omnium poſtulatur.
19. Parti minori contra partis majoris decretum extra caſus illos nec interceſſionem, nec operam, poſthæc tentatam eſſe integram,
24. docet. Differit deinde de modo in ſuffragium eundi, de modo ſententiam edendi, de numero ſuffragantium, de calculo Minervæ, de ſociis in partes euntibus, & de exceptionibus, quæ a jure majoris ſuffragantium partis recedunt. Major ſane pars collegii nil poteſt definire, quod legi ſancitæ repugnet, eique vel divinæ, vel humanæ, obſtet. Collegium ſi forte duobus corporibus conſtet, quæ, etſi numero ſociorum imparia ſint, pari tamen jure in rebus ſocietatis adminiſtrandis gaudent omnibus, tum exceptio a regula habet locum. Nam ſuffragio corporis non eſt locus, niſi major ejus, quantumcunque
36. ſit, corporis pars in id conſenſerit. Pace Osnabrugenſi ſtatutum eſt, ut utriusque religionis in imperio noſtro ordines pari jure gaudeant, eorumque æqualitas debeat eſſe perfecta, *Art. V §. 1, 52.* Tres ſpecies definiuntur §. *52*, ubi jus majoris par-
38. tis in comitiis locum habere nequit. Has contra diverſa ſentientium interpretationem defendit Liber Baro *Rud. Jo. de Wrisberg* in *ſacra libertatis ancora*, quantum ad religionem, vel ad jura ſingulorum, ubi membra univerſitatis pro uno dun-
43. taxat corpore nequeunt reputari, vel ad jura diverſorum corporum, e quibus una coaluit univerſitas, attinet. Hæc generatim. Quibus ſolide diſputatis, Autor ad ſtatum Auguſtæ Vindelicorum publicum accommodat pronuntiata. Formam & in-
49. dolem ſenatus recenſet. Quid ex diverſitate religionis inibi legitime ſtatui ſancirique poſſit, & quid inde circa ſuffragia in
56. ſenatu ferenda & numeranda juris ſit, expendit. Potiora momenta

menta ex hiſtoria ducentorum abhinc annorum deducit. Commentario illuſtrat verba pacis Weſtphalicæ, ad Auguſtanos nominatim ſpectantia. Tum vero regulas adhibet, ſupra demonſtratas, de caſibus, qui ſuffragiorum numerum reſpuunt majorem. Objectiones varias ex dictorum luce diluit. Subjungit Pag. 64.
tandem *rationes pro paritate in politicis intra urbes imperiales, Auguſtam, Dünckelsbühlam, Ravenspurgum, & Biberacum*, at- 73.
que *Epiſtolam amici ad Autorem de quatuor Diſſertationibus JCti Celeberrimi Wirciburgenſis de Jure ſuffragiorum in Romano Imperio*, quas amicus quidem laudat, ſtricturis tamen nonnullis illuſtrat & diſpungit.

ELOGIUM URBANI GODOFREDI SIBERI, Theologi Lipſienſis.

Ereptus ante aliquod tempus literatorum ordini fuit *Urbanus Godofredus Siberus*, cujus tanto ſtudioſius in his Annalibus noſtris ſervanda memoria eſt, quanto majoribus olim in rem publicam eruditam, & in hæc ipſa *Acta* noſtra, meritis eminebat. Feliciſſimo is partu editus fuit Scandaviæ, oppido verſus Bohemiæ fines ſito, die 12 menſis Decembris A. 1669. Parens, *Juſtus Siberus*, erat ibidem ab orationibus ſacris, qui *Catharinam, Pauli Zinkii*, Conſulis Dresdenſis, filiam, matrimonio ſibi junxerat. Sedecim hic liberos ſuſtulit, e quibus tres filii Doctoris in Theologia, unus Doctoris in Jurisprudentia, & unus quoque Doctoris in arte medica, honoribus ornati fuerunt. Adultior factus *Siberus* noſter, ad ſcholam provincialem Miſenenſem ablegatus eſt, ubi ſub auſpiciis *Jo. Georg. Wilckii*, Rectoris, aliorumque præceptorum, excellentes in humanioribus literis progreſſus fecit. Inde Vitembergam conceſſit, & celeberrimos illius ætatis Profeſſores, *Chriſtophorum Donatum*, utrumque *Schurzfleiſchium*, *Chriſtianum Rœhrenſee*, *Mich. Waltherum*, *Caſp. Læſcherum*, *Jo. Deutſchmannum*, *Jo. Georg. Neumannum*, & *Phil. Ludov. Hannekenium*, ſedulo eſt conſectatus. Triennio in hac Academia exacto, Hamburgum ſe contulit, & *Eberh. Auckelmanno*, atque *Eſra Edzardo*, in literis orientalibus

bus præceptoribus uſus eſt. Tum Kiloniam commigravit, & ex ſcholis eruditiſſimorum virorum, *Chriſtiani Kortholti*, hoſpitis ſimul ſui, *Henrici Muhlii*, *Jo. Burch. Maji*, *Martini Opitii*, & *Chriſtophori Franckii*, multum profecit. Diſputavit etiam, *Kortholto* Præſide, d. 9 menſis Decembris anno ſuperioris Seculi tertio & nonageſimo *de Sacris publicis debita cum reverentia, præſentisque Numinis metu, colendis.* Ex Holſatia in Daniam profectus eſt, generoſi juvenis, *Alefeldii*, mores ac ſtudia formaturus. Pervenit Hafniæ in notitiam viri clariſſimi, *Ottonis Sperlingii*, &, poſtquam Fridericoburgi per unius anni ſpatium commoratus fuerat, in Germaniam revertit, & in Academia Leucorea ſubſtitit. Hic denuo ſcholis doctiſſimorum virorum, & præcipue *Conr. Sam. Schurzfleiſchii*, interfuit, ac paulo poſt artium liberalium Magiſter renuntiatus, eodem præſidente, A. 1696 *de antiquitatibus templorum* diſputavit. Sequenti anno cathedram ſuperiorem occupavit ipſe, & de σκληροκαρδίᾳ, ſeu *duritia mentis*, Diſſertationem priorem, anno vero 1698 poſteriorem, ſtrenue defendit. Eodem anno iterum conſcendit cathedram, argumentumque Diſſertationis elegit *de Anancæo*, mendoſo apud *Plautum Rud. Act. II Sc. 2* loco. Acquiſiverat ſibi his ſpeciminibus Adjuncti in Academia Vitembergenſi titulum, & viam muniverat ſimul ad Rectoris in ſchola Schneebergenſi provinciam, quæ anno dicto publice ei fuit demandata. Varia hic minora ſcripta in lucem emiſit *Siberus*. Scilicet eodem anno 1698 *de vicissitudinibus libertatis & ſervitutis Britanniæ*; anno ſubſequenti *de Moly, Hermetis herba*, & *de Ducenariis*; anno hujus Seculi primo *de ſtatua Memnonis falſo credita ad C. Cornelii Taciti Ann. II, 61*, ad illuſtrem Virum, *Jo. Georg. Bœrnerum*, Proto-Synedrii Dresdenſis Conſiliarium; A. 1702 *de Civitatis & Conſulum Schneebergenſium laude* ſingulari Epiſtola gratulatoria egit. A. 1703 protractus ex ſcholaſtico pulvere, Diaconi in eadem urbe munus ſacrum ſuſcepit, & quinquennio poſt ad Archidiaconi honores adſcendit. Nec tamen, hac mutatione facta, priſtinum in literas elegantiores amorem abjecit, quin potius

potius A. 1708 *de velo virginum*; A. 1709 *de ortu festi cinerum*; & paulo post *de Lipsia, indulgentissima patrona, suscitatrice ingeniorum amplissima*, nonnihil composuit. A. 1710 singulari *Dissertatione de Collaribus Clericorum tubulatis & planis* Celeberrimo *Bœrnero* nostro primum Academicum magistratum gratulatus est, Commentationemque *de illustribus Alemannis* edidit, eandemque Poloniarum Regis purpurato, *Jo. Ægidio Alemanno*, solenni formula inscripsit. Eruditissimis his specimínibus Clarissimum *Siberum* Lipsia sibi vindicavit, suumque esse voluit. Scilicet evocavit eundem amplissimus urbis Senatus A. 1711 ad Diaconi munus in templo Thomano obeundum. Quod tam prospere cessit Nostro, ut A. 1739 Pastor ejusdem templi constitueretur, postquam A. 1714 Licentiati, & A. 1734 Doctoris Theologi, dignitate ornatus esset. Vitam semper coelibem egit, amoresque suos ac delicias in Bibliotheca invenit, selectis & multa ex parte rarioribus libris longe instructissima. Apoplexia correptus, brevi interjecto tempore die 15 mensis Junii A. 1741 animam cœlo, unde venerat, reddidit, cum in ætatis anno septuagesimo secundo versaretur. Fuit vir probus, facundus, & Antiquitatum præcipue ecclesiasticarum, quarum etiam ab A. 1714 Professor in Academia Lipsiensi publicus fuit, peritissimus. Satis hoc ipsum comprobant elegantissima ejus, & quæ nil nisi lucernam olent, ingenii monumenta. Quorundam a nobis jam mentio facta; quæ restant, age, nunc subjungamus. Edidit nimirum *Historiam Godeschalcorum; Diatriben de canе ex templo exterminando; Schediasma de aquæ benedictæ potu, brutis non denegando*; binas *Epistolas, alteram de matrimonio iterato*, ad *Alemannum*, *alteram de eo, qualis imperantibus expediat uxor*, ad *Plazium*, patronum utrumque suum; & hæc omnia A. 1712; *Dissertationem de Albatis A. 1713*; *Diatriben de sanctis columnaribus A. 1714*, qua Celeberrimo *Jœchero* nostro, in basin, ut ipse loquitur, Magistrorum Academiæ feliciter adscendenti, & fata & merita, columnis digna, apprecatus est; *Historiam Melodorum Ecclesiæ Græcæ, eorumque Theologiam poeticam e Menæis librisque Litur-*

Liturgicis, eodem anno; Programma, vitam Telesphori, Pontificis Romani, ab erroribus purgatam, exhibens, & *Orationem de Martyribus, divinitatis Christi testibus,* contra nefandum libellum, *Platonismi detecti* titulo signatum; quæ duo scripta posteriora eodem emisit tempore, quo spartam, Antiquitates ecclesiasticas publice docendi, nactus fuerat; *Programma de Gaza, Palæstinæ oppido, ejusque Episcopis, ad Cap. VIII Actor. Apost. v. 26,* & *binas de Apostasia Porphyrii Epistolas* ad Clariss. *Thomam,* Suidnicensem, A. 1715, quæ Epistolæ *in Miscell. Lipsiens. Tom. I pag. 305 seq.* locum habent; *Diatriben de ritibus templorum condendorum ac dedicandorum A. 1716; Diss. de moris & salis propter Christum; Librum singularem de S. Spyridione, Episcopo Trimithuntino, A. 1722; Enchiridion Sixti II, Pontificis & Martyris, cum Commentario perpetuo, A. 1725, 4; Martyrologium metricum Ecclesiæ Græcæ, A. 1727, 4;* & tandem *Diss. de Episcopis Cæsareæ Palæstinæ,* A. 1734 pro gradu Doctoris Theologi exhibitam, cui brevi post *Orationem de Antiquitatibus Doctoratus theologici,* in ipsa solenni panegyri recitatam, comitem adjunxerat. Hæc sunt illa, quæ in lucem publicam produxit *Siberus.* Sed prelo etiam parata reliquit Opuscula nonnulla, quæ, optabile est, ut communis mox utilitatis fiant. Dabimus eorum omnium indicem: *Commentarius in Martyrologium; Supplementum de cruciatibus Martyrum ad Ant. Gallonii librum; Historia Ecclesiæ Thessalonicensis; Historia Stylitarum, maxime Danielis,* cujus vitam MStam ex amplissimi Senatus Lipsiensis Bibliotheca accepit; *Historia Præsulum Antiochensium; Diss. de Cyriacis; de Usu florum in Ecclesia liber; Vitæ Macariorum; Historia Melodorum Græcorum & Latinorum;* & *Supplementum hæresium & hæreticorum.* Inter ea vero, quæ meditatus est *Siberus, Historia pontium,* & *explicatio Æthiopicorum Heliodori,* debent referri. Præterea multis doctissimisque specimínibus adjuvit ornavitque hæc *Acta* nostra. Sic eo, quod impositum nobis erat, officio perfuncti, manibus *Siberianis* bene precamur, floribusque, ut in antiqua etiam ecclesia factum legitur, tumulum Viri tam præclare docti coronamus.

* * *

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi V Sectio XII.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE de Malte, &c.

id eſt,

*COMMENTARII, HISTORIÆ MALTENſium inſervituri, ſeu Hiſtoria juventutis Commendatoris de ***. Per Autorem Commentariorum hominis dignitate ſpectata.*

Tomi II.

Amſtelodami, 1741, 8.

Alph. 1 plag. 14.

Recenſet hoc ipſo libro Autor, Eques Maltenſis, vitam ſuam, ab ineunte ætate traductam. Orbitelli ſalutavit Commendatorem Ordinis ejusdem, ac ejus amicam admiratus fuit. In Maltam pervenit deinde, ac Magiſtrum Ordinis Magnum deprehendit ibi *Petrum de Roccaful.* Paulo poſt navim conſcendit, adverſus Turcos bellaturus, eo eventu, ut, tempeſtate coorta, ad litus Africæ fuerit dejectus, & fere ſubmerſus. Socium calamitatis poſthæc repræſentat fata ſua Hiſpanica, ac inprimis amores, recitantem. Noſtrum non eſt, inveſtigare fidem hiſtoriæ ſpecialiſſimæ, quam Autor executus Pag. 6.

 fuit.

fuit. Quantopere vero Commentarii ejusmodi in præsens ad pascendos lectores instruantur, condocefaciunt nos libri, quibus index *Commentariorum Comitis Ranzovienſis* fuit præfixus. Nonnulli eorum sunt penitus efficti, alii verum ficto miscuerunt. Solent fœminæ illustres virique, seriis occupationibus ludicra interposituri, libris ejusmodi nobilissimum temporis impendium consecrare. Nostræ autem Musæ sunt severiores, quam ut rebus minus utilibus, voluptatesque inflammaturis, sese possint occupare. Progredimur itaque ad salubriora, postquam significaverimus, scripturæ genus, quo Autor usus est, esse purum, limpidum, ac amœnum, tractationemque tam egregie distributam & compositam, ut lector ea capiatur, devinciatur, & oblectetur.

AN ESSAY UPON POETRY AND PAINTING, &c.

hoc est,

CONATA DEMONSTRANDÆ POESEOS & picturæ, cum respectu ad Historiam sacram & profanam, & appendice, quæ ad obscœnitatem scribendi & pingendi pertinet. Per JACOBUM LAMOTTE, Theol. D. & Membrum Societatis Regiæ atque Antiquariorum, & Capellanum Ducis de Montague.

Londini, sumtibus T. Fayræ & Jo. Leake, 1730, 12. maj. Plag. 14.

Autor libri, primum, pollicetur, se dicturum de licentia poeseos & artis pictoriæ generaliter, cum ipsarum limitibus & ambitu, deinde de temeraria & nunquam excusanda licentia utriusque artis. Ergo reprehendit *Sophoclem*, qui in *Electra* mortem *Oedipi* temporibus institutionis ludorum Pythiorum assignarit. Ejusdemmodi erroris accusat pictores, *Hieronymum* cœnæ Domini paschali, & *Franciscum* cruci Domini nostri, præsentem constituentes, & *Paulum* Veronensem, convivis nuptiarum.

rum Canæ Galileæ celebratarum monachos Benedictinos admiſcentem, & *Raphaelem*, S. *Ceciliæ Mariam Magdalenam* & *Auguſtinum* comites adjungentem. Prioris pictura eſt in Cœnobio S. *Georgii* Venetiis, poſterioris Bononiæ. Porro Autor, peccari, dicit, a poetis & pictoribus in conſuetudines gentium & populorum. *Otwayus C. Marium* in Tragœdia ſepultum repræſentat; cum viros illuſtres temporibus Conſulum poſterioribus combuſtos putet *Brevalius*, Autoris amicus. Gallus quidam pictor in cubiculo, ubi Rex legatos primum audit, Chriſto, paſcham comedenti, appoſuit agnum, multo lardo trajectum. Mox negat Autor, ſe accurate poeſin cum pictura comparaturum, quod fecerint *F. Junius*, *Felibienius*, *de Piles*, *Drydenius*, & *D. B.*, ſed, quædam ſe, ait, obſervaturum, ab illis neglecta. Quem finem Autor ut conſequatur, primum ſe ait ea conſideraturum, in quibus ars utraque alteri ſit ſimillima; deinde ponderaturum propriam utriusque vel præſtantiam, vel humilitatem. Cumque nec pictor, nec poeta, ſit Autor; juſte ſe rem omnem examinaturum ſperat. Artis autem utriusque eosdem effectus eſſe; cum idem utrique propoſitum ſit, movere affectus. Quod *Polemonis* & *Auguſtini* exemplis illuſtrat. Alterum officium & pictoris, & poetæ, eſt, docere. Ubi Autor, citra Papiſmi ſuſpicionem ſe commendare poſſe, putat, moderatum picturarum uſum. Tertium poetæ & pictoris officium Autor putat eſſe, delectare. Qua in re, propter communem temporum ſuperiorum morem, carmina ludicra admirandi, editum eſſe ait Lutetiæ Carmen hoc titulo: *Hiſtoria de Salvatoris noſtri paſſione verſibus ludicris deſcripta*, quamvis grave & ſeverum eſſet carmen. Ita enim venditio libri maturari videbatur. Jam Autor progreditur ad declarandam alterutrius artis præſtantiam. A poetis initium facit, quorum propria & adventitia diſcernere conatur. Primum poetarum ſpatioſiorem campum, in quo verſentur, eſſe, dicit. Cogitata enim & ſermones & hiſtorias poetæ exprimunt, cum pictores nihil hic valeant. Deinde poetæ variare poſſunt ſcenam, geſtus, perſonas, & alio atque alio res quasque ſubito transferre, quod pictoribus negatum eſt. Tertio poeta triſtitiam & gaudia earundem perſonarum ſubito

commutare poteſt; pictor non item. Poſtremo affectus magis concitare poteſt poeta, quam pictor. Nam, etſi viri docti contra ſtent; tamen Autor id, quod a pictore ſolis oculis objicitur, a poeta etiam vocis, geſtuum, gemituumque, contentione & varietate & crebritate magis animis imprimi poſſe, dictitat. Nam poeta modo vulnerationibus, modo minis, modo indignationibus, modo veſtium mutationibus, modo lapſibus ac refocillationibus, affectum eundem vel augere, vel continuare, vel remittere, poteſt. Jam progreditur Autor ad ea, quæ adventitia vocat. Ubi poetæ rurſus præcipuas partes tribuit. Poetæ enim longe plures habent admiratores artis ipſorum peritos, ſaltem intelligentiores, quam pictores. Deinde aeris & tempeſtatum injuriæ magis obnoxia eſt ars pictoria. Summum enim quodque artificium igni, aquæ motuum vehementiæ, caſibus, & infinitis aliis obnoxium eſt injuriis, quia fere unicum eſt & ſingulare, & imitamenta ejus protrita & vulgaria. Poema contra primam pulchritudinis & ingenii laudem retinet in omnibus exemplaribus, quantumvis multiplicatis. Et hæc longius latiusque diſperguntur, quam ulla unquam pictura divulgari, & integra propagari, potuit. Præterea poetæ habent artis ſuæ exempla multo antiquiſſima, non modo recentia; cum pictores contra nullum antiquitatis exemplum habeant, quod ſequantur. Fruſtra *Parrhaſii*, *Appellis*, *Zeuxidis*, adjumenta requirunt. Pictura vero oculis ſubito vineas, domus, regiones, objicit, quas poeſis multas per ambages vix tam vivide repræſentat. Pictura etiam altius inſidet animo & fidelius, quam carmina, atque etiam vivide magis colores exprimit, quam poeſis ſolet. Figuræ Geometrarum, Architectorum, Mechanicorum, facile notionem rerum exprimunt, quam exquiſitiſſima verborum multitudo animo inſerere non poteſt. Requirit utraque ars ingenium & naturæ notitiam. Picturæ quoque errores facillime in oculos incurrunt, illi carminum non item. Altera Epiſtola exponit Autor pictorum in hiſtoriis ſacris errores, qui tanto periculoſiores ſunt, quanto, de ſententia magni cujusdam eccleſiæ doctoris, picturæ rudium hominum ſolertiores ſint magiſtræ. Ergo in *Abelis* hiſtoria reprehendit Autor

audaciam

audaciam pictorum in confingendo inſtrumento cædis, & cauſa ejus e *Gen. IV, 3, 4, 5*, colligenda, neque ex Judæorum conficto igne cœlitus delapſo repetenda. In *Abrahami, Iſaacum* mactaturi, hiſtoria reprehendit figuram *Iſaaci*, ad altare Deum precantis, gladii ab *Abrahamo* porrecti, qui potius culter fuerit, in pectus victimæ intrudendus, itemque vultus *Abrahamici* contriſtati ac perturbati. In *Hiobi* hiſtoria culpat figuram mendici, in fimeto genua ponentis; in *Suſannæ* hiſtoria deridet canos amantium, & ſpecilla, naſo impoſita, cum nomen πρεσβύτεροι, quod pictores decepit, de honoribus magis & magiſtratibus accipiendum ſit. Ad Novum Teſtamentum progreſſus Autor, pictorum virginem *Mariam* ad præſepe cum corona & regia veſte aſſidentem reprobat, item ut magnificum apparatum domicilii, quo Chriſtus a Levi exceptus eſt. Præterea magos non vult ingreſſos eſſe ſtabulum aſini & bovis, ſed domicilium conductum a *Maria* oppidulo conveniens. Magos ut Reges depictos etiam rejicit, quippe qui fuerint Aſtronomi. Idem facit in baptiſmo Chriſti, quem pictores adſperſione peractum fingunt, & in deſcenſu Spiritus ſancti, a pictoribus in columbam transfigurati, & in comedendo agno paſchali ſedentium more, & in *Joanne* ad ſinum Chriſti reclinato, atque Evangelium ſuum ſcribente, tanquam juvenis eo tempore fuiſſet. Ubi ſimul de eo in vas oleo plenum conjecto dubitat. Nec videtur ei Chriſtus puer, in templo docens, conſediſſe in cathedra, ſed in ſubſelliis ceterorum diſcipulorum. Non magis concoquere poteſt cuſtodes ſepulcri Chriſti dormientes. Poſtea *Angeli* picturam judicii extremi perſequitur, in Vaticano Pontificis ſacrario ſuſpenſam, cum qua nihil uſquam comparari poſſe creditur. Sed Autor miratur, fabulas gentium a Chriſto alienarum ei admixtas eſſe, inferno videlicet *Minoem*, *Æacum*, *Rhadamantum*, rotam *Ixionis*, ſaxum *Siſyphi*, &c. Vituperat tum Poetas *Miltonum*, *Taſſum*, *Sannazarium*, alios, qui locutiones vetuſtatis impiæ ſunt imitati. Ab his Autor redit ad picturas, a vero aberrantes in hiſtoria *Hieronymi*, cum horologio, & leone, & veſte cardinalitia, pingi ſoliti. *Epiſtola tertia* plena eſt reprehenſionibus errorum in pingendo *Alexandro M.* elephanti inſi-

dente, Bucephalo cum capite bovis, *Hectore* non currui, ſed equo, inſidente, *Cleopatra* non in brachio, ſed nudo pectore, a vipera admorſa, *Ganymede* ab aquila non unguibus in cœlum, ſed dorſo, ſubvecto, *Timurio* a Turcis deformato, & *Æſopo* a *Planude* deturpato. In Appendice Autor vituperat *Parrhaſium* & alios pictores, qui libidinoſas figuras pinxere. Præſertim auten. graviſſime invehitur in *Rouſſellum* (*Rouſſeau*). Cl Autor ſingulis pæne paginis ſingularem declarat in Deum pietatem, & odium errorum ac vitiorum acerrimum. Quare *Addiſſonium* prædicat ob religionis & virtutis ſtudium. *Rouſſelli* autem tantam prodit contemtionem, ut ne opera quidem ejus ſuo nomine dignetur. Vocat enim *Oeuvres melées*. Quæ inſcriptio, ſi eſt primæ Operum ejus editionis, quam non vidimus, at ſecundæ certe non eſt, cujus *Pars I Pieces de Theatre, II Hiſtoire ſatyriquë de la vie & des ouvrages de Mr. Rouſſeau, III les Oeuvres*, inſcripta eſt.

ELEMENTA METAPHYSICES. TOMUS prior, qui Philoſophiam primam, Ontologiam, Monadologiam, Somatologiam, atque Mechanologiam, complectitur, & ad Philoſophiam, inprimis de Animabus, Spiritibus, Deo, Mundo, atque Civitate divina, cognitionem, viam ſternit. Autore JOACHIMO GEORGIO DARIES, Phil. & J. U. D. & Ampl. Philoſ. Ord. Adjuncto.

Jenæ, apud Chriſt. Henr. Cunonem, 1743, 4.
Alph. 2 plag. 16½, Tab. æn. 1.

Sereniſſimis progeniei *Erneſtinæ* Ducibus, Muſarum tutoribus, ac Jenenſis Academiæ nutritoribus, hunc *Tomum* Cl. Autor ſacrum eſſe jubet. Præfatione autem, Operi præmiſſa, rationes methodumque lectores docet, qua ſcientias, eo comprehenſas, tradere conſueverit, ac in poſterum ſit traditurus. Adverſariis, qui famæ ipſius labeculam adſpergere ſuſtinuerant, illud *Marii* inſtillat: *Nulla oratio me lædere poteſt; quippe vera, neceſſe eſt, bene prædicet, falſam vita, mores,*

res, ac dogmata mea, ſuperant. Illuſtraverat huc uſque Ill. *Wolfii* Metaphyſicam, Germanice conſcriptam. Annotationes adjecerat ei varias, ab auditoribus calamo exceptas. Commoti ex earum lectione fuerunt multi, ut commercio literario ſciscitati fuerint ex ipſo haud pauca, quæ inſunt dogmatibus recentiorum, atque ut tandem Autori exſtiterint ſuaſores, ne dogmata ſua metaphyſica, intra cancellos complexumque methodi conſtrictioris concluſa, publicare gravaretur. Hæc ratio Operis edendi eſt privata. Publica haud procul quærenda eſt. Speciatim tamen deliberatum atque conſtitutum eſt Autori, dogmata veterum Philoſophorum progreſſu temporis intra nexum ac complexum methodi rigidioris exponere. Ponendum igitur erat fundamentum, ad cujus dogmata poſſent opiniones veterum revocari ac dijudicari. *Tomo poſteriori* ipſe in eſſentiam animarum atque ſpirituum inquiret, ea, quæ per Deum qua talem fieri queunt, docebit, atque de civitate Dei inibi ſic exponet, ut inde ea, quæ de territorio hujus civitatis edifferenda ſunt, nec non jura Dei in res creatas, & harum obligationes ad Deum referendæ, harum violationes, ac earum origo, atque modus, quo Deus cum rebus creatis verſatur, diſtincte intelligi, riteque perſpici, queat. Hoc priori expoſuit per modum prænoſcendorum naturam & conſtitutionem Metaphyſices, nec non modum Metaphyſicam tractandi. *Parti primæ* nomen Philoſophiæ primæ obtigit. In hac expoſuit de poſſibili & impoſſibili, generatim ſpectato, ac de poſſibilium nexu. *Parti ſecundæ* nomen Ontologiæ indidit. Diſtribuit hanc in *Sectiones quinque. Sectione prima* differit de entis, per ſe conſiderati, natura atque determinationibus. *Sectione ſecunda* agit de generalibus operationum, quæ a ſubſtantiis, in ſe ſpectatis, edi ſolent, legibus atque regulis. *Sectione tertia* de entium qua talium nexu exponit. *Sectione quarta* commentatur de variis nexus entium conſectariis generatim. *Sectione quinta* tradit de quibusdam entium qua talium differentiis, ex eorum perfectione atque imperfectione deducendis generatim. Notionem entis per notionem ſimplicis magis determinaturus, condidit *Monadologiam*, a reliquis Metaphyſices partibus diſtinctam,

ctam, ut principia diſtingueret accurate. Eam vero bipartito exponit per *Partem* & generalem, & ſpecialem. Priorem in *tres* diſpeſcuit *Sectiones*. *Sectione prima* diſſerit de entis ſimplicis, in ſe ſpectati, natura atque determinationibus. *Sectione ſecunda* exponit de variis modis, quibus entia ſimplicia diverſa eſſe poſſunt. *Sectione tertia* commentatur de entium ſimplicium nexu, variisque ejusdem conſectariis. Inter hæc conſectaria refert commercium mentis corporisque, infra diſtinctius explicatum *pag. 363*. In parte Monadologiæ ſpeciali naturam atque conſtitutionem elementorum breviſſime inveſtigat. Somatologiam, de eis, quæ compoſita & coalita ſunt, expoſiturus, condidit, & ſeorſim tractavit. Tractatio hæc conſtat *tribus Sectionibus*. *Prima* exponitur de corporum, in ſe ſpectatorum, natura atque determinationibus. *Secunda* agitur de variis modis, quibus corpora poſſunt eſſe diverſa, atque de principiis, quæ ſine ullo interventu inde fluunt. *Sectione tertia* tractatur de corporum nexu, variisque ejusdem conſectariis, & inter hæc de regulis motus, de nexu ſubſtantiali corporum ſolidorum, tam elaſticorum, quam non-elaſticorum, regulisque motus, quæ inde permanant, *pag. 433*, de nexu ſubſtantiali corporum fluidorum, ac de motus regulis, inde fluentibus, *pag. 442*, nec non de variis modis, quibus corpora fluida cum ſolidis, & ſolida cum fluidis, ſubſtantialiter connecti poſſunt, *pag. 445*. Appendicis loco adjecit Mechanologiam, eis perutilem, qui cum ratione de mundo cupiunt diſputare, vel hactenus diſputata penitus introſpicere. Definitiones ſpecierum ubique ex notione generum, ſeu generis, deduxit, ne quid methodo ſyſtematicæ deeſſet. *Veritas interdum*, quæ ipſius confeſſio eſt, *ut in quibusdam dogmatibus diſſentiat a recentioribus Philoſophis, quos veneratur, ipſum coegit. Hac tamen ex ratione nemini bellum indixit, nec cum quoquam immodeſtius contendit; ergo & a diſſentientibus petit, ut illud agant, quod eruditione atque æquitate eſt digniſſimum.* Index, *Tomo poſteriori* abſoluto, comparebit, & is utrique *Tomo* communis. Ut autem Lector compertam habeat eam rationem, quæ Cl. Autorem adduxit ad latifundia Metaphyſices in complures partes diſtribuenda,

buere, paucula ex præcognoſcendis, quæ in limine Operis ſuppeditavit, decerpemus. Ex notionibus, ſeu univerſalibus objectorum repræſentationibus, oriuntur partes eruditionis, quæ *ſpeculativæ*, ſeu theoreticæ, dicuntur. In ſcientiis vero theoreticis ea, quæ per objecta, qua talia, ſunt poſſibilia, evolvuntur. Quot igitur ſunt objecta, de quibus, qua talibus, exponi poteſt, tot quoque erunt ſcientiæ theoreticæ. Ita incidimus in ſcientiam quandam theoreticam eorum, quæ per ens, qua tale, ejusque varias ſpecies, qua tales, ſunt poſſibilia. Ei nomen eſt Metaphyſicæ. Hæc itaque generatim dividi poteſt in duas partes, quarum prior de iis, quæ per ens, qua tale, ſunt poſſibilia; poſterior de iis, quæ per varias entis ſpecies, qua tales, ſunt poſſibilia, exponit. Illa dicitur Ontologia, hæc Metaphyſica ſpecialis. In Ontologia ex entis notione ea ſunt explananda, quæ enti abſtracto convenire poſſunt. Antequam igitur eam evolvere poſſimus, neceſſarium eſt, ut generalia quædam cognoſcamus principia, atque notiones generales, ex quibus per uſum regularum logicarum ex notione poſita dictas affectiones poſſimus deducere. Oritur inde ſcientia primorum cognoſcendi principiorum, quorum ope tam entis notio inveſtigari, quam ex entis notione concluſiones deduci, poſſunt. Hæc eſt Philoſophia prima. Ens vero poteſt vel in alia reſolvi, vel non poteſt. Si prior caſus exiſtit, ens eſt compoſitum; ſi poſterior, eſt ſimplex, ſeu monas. Conſideratio ſimplicium gignit monadologiam. Optima compoſiti ſpecies eſt machina. Quæ igitur per machinam, qua talem, poſſibilia ſunt, ea fundunt Mechanologiam. Cum vero machina eſt corpus, Somatologia Mechanologiæ eſt præmittenda. Entia ſimplicia, quæ non ſunt elementa, vocantur animæ & ſpiritus. De anima exponit Pſychologia; de ſpiritibus Pnevmatica, ſeu Pnevmatologia. Spiritus eſt vel finitus, vel infinitus. De illo exponitur in Pnevmatica, ſpeciatim ſic dicta; de hoc in Theologia naturali. Operationes animarum atque ſpirituum optime ex effectibus cognoſcere licet. Hinc gignitur Pſychologia empirica, &, quatenus ſpirituum habetur ratio, Pnevmatica experimentalis. Utraque

Pag. 5. 7. 8. 9. 10. 11. 13.

præmittenda eſt ob principia ex obſervationibus deducenda Pſychologiæ rationali & Pnevmaticæ rationali, licet utraque illa prior obſervationum recenſio per ſe haud conſtituat Metaphyſices, generatim dictæ, partem. Mundus porro denotat vel com-
Pag. 14. pagem corporum, vel nexum animarum & ſpirituum, vel mundum corporeum & moralem, inter ſeſe connexum. Mundus, prima ratione denotatus, vocatur regnum phyſicum, ſecundus regnum morale & civitas Dei, tertius civitas Dei, in toto ſuo ambitu ſpectata. Hinc tres Cosmologiæ ſpecies enaſcuntur. Prima vocatur Mechanica, ſecunda Pnevmatica, & tertia Coſ-
15. mologia transſcendentalis. Quis ſcopum mundi mechanici cognoſcere & diſpicere poterit, antequam ea expendit, quæ ex perfectionibus divinis fluunt? Theologia itaque naturalis præ-
16. mittenda eſt Coſmologiæ mechanicæ. Mundum pnevmaticum, atque civitatem Dei, in toto ſuo ambitu ſpectatam, non eſſe entis, proprie ſic dicti, ſpeciem, idea entis immediate oſtendit. Quare ſcientia, quæ duo hæc momenta tractat, partibus Metaphyſices non per ſe annumeratur. Ut vero uſus & commodum Metaphyſices ab auditoribus ſtatim perſpiciatur, ipſe ea,
17. de *Civitate Dei* commentans, adjunxit. Habemus itaque hic, poſt Præfationem & præcognoſcenda, 1) Philoſophiam primam; 2) Ontologiam; 3) Monadologiam; 4) Somatologiam; 5) Mechanologiam. Quinque has Partes complectitur *Tomus prior. Poſterior* porro continebit 6) Pſychologiam empiricam & Pnevmaticam experimentalem; 7) Pſychologiam rationalem; 8) Pnevmaticam rationalem; 9) Theologiam naturalem; 10) Coſmologiam mechanicam; & 11) arduam de Civitate Dei ſcientiam. De cetero Cl. Autor methodi rigidæ & perſpicuitatis ſe præbuit ſtudioſum. Argumenti vero indoles obſtitit, quo minus ſcribendi genus claſſicis Autoribus proprium potuerit affectari.

CHRISTIANI HAGIOPHILI, ECCLESIAſtæ Palæo-Marchici, Obſervationes ſuccinctæ in ſelectiora IV Evangeliſtarum Novi Fœderis loca, adhuc ſeparatim

ratim per menſes anniverſarios diſtributæ, nunc collectæ, & gemino Indice inſtructæ.

Tomus I.

Gardelegiæ, apud Ern. Henr. Campium, 1741, 4.

Plag. 13.

Gratulandum eſt tempori noſtro, quo viri optimi certatim in ſenſu ſententiarum Novi Teſtamenti indagando deſudant. Si fructus pietatis ſimul in eccleſia Dei augentur, qui plurimarum ejusmodi annotationum ſcopus eſt, lætandi materies nobis oboritur uberior. Obſervationum, quas ſignificamus, Autorem eſſe Virum Pl. Rev. *Noltenium*, Superintendentem Gardelegiæ Palæo-Marchicum, nuntiat fama. Hoc Autor nos ſcire in Præfatione voluit, ſe infirmiori ſubinde valetudine, impetuoſisque mali hypochondriaci inſultibus, infeſtari. Comprecamur ei concordiam cum ſanitate, & vovemus, ut valeat ipſe athletice, immo pancratice, ut *Tomus II* conſimilis inde ab *Actis Apoſtolicis* uſque ad *Apocalypſin*, quem parat, in lucem poſſit emitti. Dare juvat ex *Tomo I* ſpecimina, e quibus Lector tanquam ex hedera de vino poſſit judicare. Initium fiet ab Obſervatione prima, qua, quid Jeſus in terra ſcripſerit, ad *Jo. VIII, 6, 7, 8*, inveſtigatur ea ratione, ut Autor acquieſcat in illo Romanorum: *Non liquet.* Si quid judicamus, Jeſus geſtu ſcribentis in terram digito ſignificavit, accuſatores irritam navare operam, ac quaſi terræ aliquid inſcribere, ſubito calcandum & obterendum, dum ſibi adulteram, ſecundum legis *Moſaicæ* præſcripta judicandam, exhiberent. Ipſe enim haud venerat, ut in munia ipſorum involaret, & πολυπραγμοσύνην exerceret, præcipue cum Deus dilucide, quid de adultera eſſet faciendum, docuerat. Tum inquirit Autor Pl. Reverendus, an a Pag. 3. *Marco III, 20, 21*, tribuatur Chriſto affectus furioſus. Ipſe monet inprimis, verba a *v. 13* uſque ad *v. 22* continuata pertinere ad parentheſios cancellos. Vox ἔξεση procul dubio ad multitudinem plebis, anteriori ædium parti foribusque ibi obſtrepentis, eſt referenda. Hanc turbam nonnulli de ſchola 5. Jeſu coercere voluerunt, cauſam interſerentes, ipſam intem-

peranter & per tumultum, inſaniæ accommodatum, agere multitudinem. Sic cuncta ſibi conſtant. Hinc Autor ad *Rom. V, 12*, accedit, & offert expoſitionem novam, ita adornatam:

Pag. 7. *Quemadmodum per unum hominem*, Adamum, *peccatum in mundum irrepſit, & per illud peccatum mors ipſa* fuit exorta, καὶ οὕτως, *ita etiam ad omnes homines mors* (Chriſti) expiatoria *pervaſit, in cujus mortem & meritum omnes peccata obtulerunt.* Expendimus locum denuo, & admiratio inceſſit legentibus, in vulgari expoſitione deficere comparationis partem poſteriorem. At exſpiravit illa admiratio, ſimul ac intelleximus, per voculam ὥσπερ non neceſſario inchoari ubique prius comparationis membrum. Sæpius enim illud ὥσπερ eſt idem ac *tanquam, quaſi, omnino.* Vide *Act. II, 2, Matth. VI, 16, XVIII, 17, 2 Cor. IX, 5, 1 Theſſ. V, 5.* Inſpeximus deinde vim dictionis καὶ οὕτως, ut pateſceret, an ea adhibeatur loco vinculi, quo pars poſterior conjungitur cum comparationis membro priori. Sed inductione exemplorum impedimur, quo minus ſic ſentiamus. Confer *Luc. XXIV, 24, Jo. VIII, 59, Act. VII, 8, XIV, 1, XVII, 33, XXVII, 44, XXVIII, 14, Rom. XI, 26, 1 Cor. VII, 36, XI, 28, XIV, 25, Gal. VI, 2, Ebr. VI, 15, Apoc. XI, 5, 1 Theſſ. IV, 17.* Retinendam igitur eſſe putamus conſuetam loci *Pauſini* interpretationem. Obſtat enim hoc, quod non ſit veriſimile, per vocem ὁ θάνατος altera vice mortem Chriſti debere intelligi. Nec ſuccurrit memoriæ exemplum, eum dici ἐπί τινι ἁμαρτάνειν, qui peccata ſua in alterum, ut expientur ea, confert. Copulandi modum circumſpicias oportet, ne *inciſum* illud *duodecimum* videatur truncum & minus cohærens. Mentionem *Paulus* injecerat reconciliationis, quam emendandæ vitæ ſtudioſi, ac fide inſtructi, per Chriſtum inveniunt. Tum pergit *v. 11: Non ſolum vero* liberabimur ab ira Dei, *ſed etiam gloriamur in Deo* (in communione, cum Deo inita,) *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem ſuſcepimus*, διὰ τοῦτο, *propter id ipſum.* Porro *v. 12* ita progreditur: *Omnino per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum illud mors* in illum irrepſit, *& hac ratione*, dum malum unum ex altero enatum eſt in primo homine,

homine, ac domicilii instar eum tenuit, *ad omnes homines mors illa pervasit, eo quod omnes peccaverunt.* Ebræi æque adhibent suum Caph ad certiorem notitiam rei exhibendam, cujus locum occupare solet Græcum ὡς, ὡσεὶ, ὥσπερ. *Incisa* deinde *13* & *14* parentheſi includenda. Tum pergit Apostolus: *Verum tamen non ut defectio a lege, sic etiam donatio gratiæ,* a Christo partæ, *seſe habet* respectu virium, &c. Supersunt alia etiam loca, in quibus illud διὰ τοῦτο ad finem periodi est retrahendum. Sed offerimus hanc quoque expositionem aliis dijudicandam, ut diligentiam eorum excitemus, & ex ipsis etiam proficiamus. Profecimus, fatemur enim, ex Autoris Diatriba de rarioribus Christi Servatoris cerimoniis ac gestibus, quibus is usus fuit, dum ægros sanavit, defunctosque vita in eam revocavit. Arrisere eodem jure nobis, quæ Autor de precibus Christi, in Codice sacro Novi Test. commemoratis, fuit commentatus, excepto, quod hæsimus ad deductionem vocis ἐπιούσιος ex ἐπὶ & οὐσία. Disseruit idem postea de Christo Laico, de Christo Physico, de Christo Oeconomo, de Christo emblematum & symbolorum magistro. In transitu meminit Commentarii sui MSti *de Jesu Nazareno duodecenni, puero præcocis ingenii.* Laudibus impertit Cl. *Christiani Bruningi Compendium Antiquitatum Græcarum.* Observatio ejus de *Joannis* victu & amictu brevior est, jucunda tamen, &, si quid judicamus, vera. Ad *Matth. V, 31,* de sensu vocis ἀποστάσιον differit, ea designari id, quo significatus fuerit uxoris ex mariti conjugio discessus, cum alimentis vitæ ab eo reddendis conjunctus. Liceat pace Autoris monere, exstare libellos, seu membranas, divortiorum Judaicorum, in eis vero de alimentis præstandis fieri mentionem. Ebræi mariti repudiatis uxoribus victum suppeditarunt nullum. Testis est libellus Talmudicus *Gittin.* E Græcorum moribus ritus Ebræorum æstimare haud licet. Sed hæc pace Autoris. Ἀποστάσιον est ex ἀποστάσει, ac discessionem, *separationemque ob animos discordes,* denotat. Verba Christi *Matth. X, 8: Gratis accepistis, gratis date,* restringit ad usum thavmaturgiæ. Per βιασταὶ, *Luc. XVI, 16,* memoratos, designari, existimat, publicanos

Pag. 9. 17. 26. 41. 44.

Pag. 47. & exactores. *Jugum Chriſti utile*, & ejus *facile onus*, breviter illuſtrat. Verba Jeſu, *Luc. XI*, 52, commemorata, ἤρατε τὴν
73. κλεῖδα τῆς γνώσεως, reddit: *Abſtuliſtis ac removiſtis clavem cognitionis* per incuriam, neglectum, & torporem. Reliqua carptim magis, quam copioſe, tractavit Autor. Quare nihil ſupereſt, niſi ut hoc Catone lector ſit contentus.

DISQUISITIO PHILOSOPHICO - THEOLOGICA de Origine mortalium, qua varia Scripturæ Sacræ atque exterorum placita de ortu hominum, & generis humani duratione, expenduntur, atque Scriptorum tum Veteris, tum Novi, Teſtamenti divinitas ex iis, quæ de hominum ortu nos edocuerunt ipſi, adſtruitur; Autore FRID. ADOLPH. HILGERO, *V. D. M.*

Lemgoviæ, typis Joannis Henrici Meyeri, 1741, 4.
Plag. 8.

Creſcente hominum veſanorum impudentia, qui vim aciemque ingenii ſui ad deſtruendam veritatem, divinitus reſeratam, ac in literas redactam, contendunt, creſcit etiam, ſingularis quæ Dei eſt providentia, diligentia & acumen Philoſophorum ac Theologorum, recte de rebus divinis ſentientium, ne civitas Dei detrimentum capiat exitioſum. In horum caſtris Rev. Autor militat, & arma victricia circumfert, lacertis calamoque robuſte commotis. Quo fine progreſſus, in infinitum
Pag. 9. porrecti inſtabilitatem disjicit ac profligat. Inde conficit cogitque, homines primos haud fuiſſe naturali lege progenitos, ac genus hominum claſſi rerum illarum eſſe inſerendum, quæ vocantur *contingentes*. Quo ipſo intelligitur, hominum fuiſſe quosdam primos, a creatore conditos ſine ullo generationis adjumento, licet ex ſolius rationis lumine haud pateſcat numerus generationum, a primo homine ad nos uſque procurren-
15. tium. De æternitate mundi, quam vocant poſſibilem, nil certi decernit, licet diſtincte demonſtret, initium generis mortalium nunquam eo uſque extendi poſſe, ut ultra numerum

nume-

numeratum collocari poſſit. Et eam ipſam ob rationem, quia numerus innumerus rationi repugnat, nec progreſſus in infinitum materialis dari poteſt, æternitati illi poſſibili locus haud relinquitur, & ipſa corruit. Pronuntiat porro idem, duos tantum initio homines fuiſſe creatos, marem & fœminam, idque rationi eſſe probabile. Confirmat hæc ex eis, quæ tradidit *Moſes Gen. I, II, Num. XVI, 22.* Addit conſenſum *Jeſaiæ* Pag. 19. *XLI, 4, XLV, 12, XLIII, 7, Zachariæ XII, 1, Malachiæ II, 10, Pſalmi CIV, 30, Act. XVII, 28,* &c. Exponit in tranſitu locum *Pſ. CXXXIX, 13 ſeq.* prorſus egregium, ac *Jobi* illa *X, 8-12.* Provocat deinde ad *Lucam III, 38,* ad *Matthæum XIX, 4,* ad 29. *Act. IV, 24, XIV, 15,* ad *Paulum Act. XVII, 24, 1 Tim. II, 13,* ad *Apoc. IV, 11, V, 12, XIV, 7.* Removet dogma, quod Præ- 31. adamitas effinxit, atque ei opponit *Pauli* autoritatem ex *Act. XVII, 26.* Negat deinde, *Adamum* fuiſſe androgynon, recipiens ſeſe ad *Gen. II, 21, 22.* Tum digreditur ad gentium quarundam de hominum origine doctrinas, & calculum probabilem temporis, quod ab exordio generis humani effluxit, exhibendum, quem figit annorum circiter 5700, ratus, exſtitiſſe jam generationes humanas ſecundum lineæ rectæ decurſum circiter 143. Expendit Chronologiam Chinenſium, Ægyptio- 34. & denique Babyloniorum, compendioſe. Oſtendit, gen. reliquarum ſupputationes annorum, ab origine rerum deductas, congruere ad *Moſis* ſententias. Deinde operam impen- 38. dit, ut, doctrinam *Moſis*, de origine hominum traditam, divinæ autoritatis eſſe, oſtendat, eamque pietati eſſe conducibilem, commonſtret.

DE INGENII USU ET ABUSU CIRCA INterpretationem Scripturæ Sacræ Commentationem, ad placita Criticorum ea, qua fieri potuit, ratione compoſitam, ſiſtit M. CHRISTIAN. FRID. ROEDERUS.

Torgaviæ, 1741, 4.

Plag. 5.

Gratu-

Gratulatur hoc ſcripto Autor Præſuli ſacrorum Torgavienſium, Summe Rev. *Jo. Chriſtiano Stemlero*, lauream Doctoralem, quam hic Lipſiæ meritiſſimam obtinuit. Ingenium, ipſo judice, eſt vis mentis, qua ſimilitudines rerum obſervantur, & novæ inveniuntur. Eo opus eſt interpreti Codicis ſacri; 1) ut ſignificatus varios circumſpiciat vocum, & videat, quinam ex iſtis congruat ad ſententiam propoſitam; 2) conformitatem ſententiæ cujusque ad antecedentia & conſequentia momenta attemperet; 3) ut tropos, typos, & vaticinia, evolvat; 4) ut δυσνόητα eruat, tum in verbis, tum in rebus ipſis, ſita; 5) in lectionibus variantibus in Vet. & Nov. Teſt. diſpiciendis; 6) in eligenda lectione genuina; 7) in inveniendo ſcriptoris affectu. Singula hæc exemplis, e Scriptura Sacra petitis, illuſtrat, & inde ad *Sectionem II* progreditur, qua abuſum notat, &, ut ille evitetur, delineat perpulchre. Abuſui enim litant, qui paralleliſmos fingunt tum verborum, tum rerum, in
Pag. 26. locis, in quibus illi haud ſunt quærendi. *Ariſteæ* librum de LXXvirali verſione in commentorum fictionumque loco habet. Abuſum ingenii, in LXX interpretatione nonnunquam
32. admiſſum, notat & damnat. Eundem notat in antiquitatum ſcrutatoribus, qui ubique eas in Scripturam Sacram intrudere conantur. Eos quoque ſub cenſuram vocat, qui in accentuum uſu apud Ebræos ſolent evagari. Notat tandem Criticos, limitum ſuorum immemores, & Myſticos, ac ita ſeſe ubique gerit, ut præſtantiora ſucceſſu temporis ab eo ſint ſperanda & exſpectanda. Dignum ſane erat hoc argumentum hermenevticum, quod ex profeſſo tractaretur. Applaudimus Autori, nil niſi ſolida ſpiranti, ſuique ſcopi deſtinationibus digne defuncto.

Schrifftmäßige Gedancken vom Separatiſmo, &c.
hoc eſt,
COGITATA DE SEPARATISMO, LITERIS SACRIS conformia, demonſtrantia, in quibus ille conſiſtat, undenam exoriatur, quomodo in republica ſit æſtimandus, & qua is ratione tolli poſſit. Refelluntur ſimul
IX &

IX & X Dialogi veritatum innocentium & Pædobaptiſmus ab objectionibus defenditur, opera HENRICI VOLCMARI STANGEN, Diaconi ad S. Nicolai Northuſæ.

Lipſiæ & Northuſæ, impenſis Joannis Henrici Groſſii, 1741, 8. Alph. 2 plag. 1.

Inſurrexit in Eccleſiam Evangelicam *Philalethes* quidam, tenebrio larvatus, qui edidit *Veritates innocentes*, ut ſcenica, oſtentatoria, ac circulatoria, differendi arte Separatiſmum muniret, ac errorum ſuorum monſtra lectori incauto obtruderet. In hoc refellendo Autor Pl. Rev. ſolide & laudabiliter operam impendit ſuam. *Capite primo* expoſuit de indole & natura Separatiſmi; *ſecundo* complexus fuit rationes & occaſionem aſſectandi ſeparationem ab eccleſiaſtica communione. Inprimis, conjunctionem dari Chriſti cum eccleſia ac fidelium inter ſeſe viciſſim, docet, eamque ſacramentis ac verbi divini tractatione communitam eſſe, adjungit. Frequentiorem ſacræ cœnæ uſum approbat. *Separatiſmum*, tradit eſſe, *pervicacem & malitioſam repudiationem adminiculorum gratiæ, ſemel ſuſceptorum ac agnitorum, quæ Deus inſtituit, ut in conjunctionem cum Chriſto veniamus, ac in ea perſiſtamus.* Fontes Separatiſmi, exiſtimat, eſſe ignorantiam & amoris defectum. Judicia de aliis haud eſſe præcipitanda, nec exigendum, ut eccleſia externa e meris ſanctis conſiſtat, docet. Genuinam de regeneratione notionem, latiorem tamen, ſuppeditat, ac *Philalethen*, qui, regenitos haud poſſe ulla ratione peccare, deificatos quippe, ſibi perſuaſit, ſolide revincit, ac ſaniora docet. Moralitatem objectivam & internam ita defendit, ut largiatur, dari caſus, in quibus momenta occurrant, quæ a natura rei haud exigantur, ſed a libertate agentis pendeant. Locum *Rom. V, 13.* egregie exponit, nec non *1 Jo. III, 9, Rom. VII, 25.* Phraſes, *peccatum facere*, & *peccatum habere*, ſolicite diſtinguit, ac ſolito copioſius illuſtrat poſteriorem. Quo ſenſu regeniti peccare nequeant, fuſius oſtendit. Baptiſmi neceſſitatem ordinis mandatique ac uſum, inprimis pædobaptiſmi, longe lateque it conſtabilitum. Quomodo pædobaptiſmus dici poſſit ſacramentum,

Pag. 64. 40. 62. 69. 88. 99. 122. 154. 169.

tum, monſtrat *pag. 177.* Obſervationem legis divinæ Chriſtianam dignoſcit a meritoria. Locum *Matth. VII, 6,* exponit & colluſtrat. Generatim annotamus, argumenta, quæcunque pædobaptiſmo opponi potuerunt, hic recenſeri atque illuſtrari, tandem vero enervari, infringi, ac everti. Carendum fortaſſis fuiſſet egregia hac tractatione, ni *Philalethes* fuiſſet, qui impudenter munimenta doctrinæ de regeneratione ac pædobaptiſmo attentavit, S. Ven. *Marpergero*, Saxoniæ noſtræ incomparabili Theologo, ægre facere ſtuduit, ac ſuam de apocataſtaſi omnium rerum opinionem Doxophilo ſuo imperavit. Si Dialogorum *Philalethis* indolem reminiſcimur, eorum Autorem eſſe fictitium illum Apoſtolum, vagantemque Scriptorem, *Tuchtfeldium*, non poſſumus non exiſtimare. Exorandus vero nobis eſt Pl. Rev. Autor, ut titulo libri porro faciat ſatis, & doctrinam de ſacra Cœna ſoliditate eadem contra *Philalethen*, promiſſi ſui memor, vindicet. Eccleſiæ enim noſtræ ſtabiliendæ aptiſſimum ſeſe oſtendit, ſacrarumque literarum & lectionis Patrum perſtudioſum ſe adeo præbuit, ut nil niſi ſubactum & elimatum ab ipſo poſſit exſpectari.

Von denen Handbibeln der erſten Chriſten, ꝛc.
hoc eſt,

PETRI ZORNII, HISTORIÆ SACRÆ, Eloquentiæ, & Græcæ linguæ, Prof. Reg. Ordin. in Illuſtr. Gymnaſ. Carolino, Hiſtoria Bibliorum manualium, ex antiquitatibus eccleſiarum ſecundum decem Seculorum ſeriem illuſtrata.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtian. Langenhemium, 1738, 4.
Plag. 16.

Quod Cl. *Zornius* in Præfatione eruditi hujus libelli impenſe commendaverat antiquitatum ſacrarum ſtudium, illud ipſum de uſu ſacri Codicis apud priſcos Chriſtianos, ejusque veneratione, abunde probat. Apparebit hoc ex præcipuis illius momentis, quæ Lectori hic ſuccincte ſiſtemus. Præceptum Chriſti, regni ſui internuntiis injunctum, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, *Matth. XXVIII, 19,* hanc ſimul ipſis obligationem impoſuiſſe,

Pag. 1 - 8.

fuiſſe, ut, quæ ad diſciplinam Chriſti faciebant, literis perſcriberent, cum *Clerico* non ſine ratione colligit. Nec dubium eſſe, quin ea, quæ perſcripta fuerant, ad exemplum Judæorum, libros divinos in ſynagogis prælegentium, ſint lectitata. Tria priora Evangelia antè finem Seculi I edita eſſe, ac omnibus innotuiſſe, nec demum ſub finem imperii *Trajani* Evangeliorum corpus collectum, & ad lectionis uſum publicatum eſſe, contra *Henr. Dodwellum* ex *Juſtino Martyre* ac *Euſebio* demonſtrat. Scriptura ſacra variis a priſcis inſignita eſt nominibus. *Hieronymo* appellatur *Bibliotheca ſacra*, Scriptura Vet. & Nov. Teſt. *utraque Bibliotheca Alcuino*, quin, Epiſtolas *Paulinas* ac Evangelia hoc nomine veniſſe, addit Autor, quia ſinguli libri olim ſeorſim & ſcribebantur, & legebantur. Et, ſi quidem præſtantiores libri profani quondam *Bibliothecæ* ſunt nuncupati, majori longe jure hoc nomine digni ſunt libri, qui æternæ ſapientiæ theſauros recludunt; indeque *Hieronymus* de *Nepotiano* pronuntiavit, ipſum pectus ſuum *Bibliothecam Chriſti effeciſſe*, quoniam pectus doctrina cœleſti probe imbutum, munitumque, habuerit. Scriptores medii ævi *Codicem ſacrum* appellarunt *Enchiridion*, item *librum manualem*, cum continuo manibus geri ac geſtari debeat. In verbis *Catulphi* apud *Dufresneum* per πυκτὶδα τῶν θειῶν γραφῶν intelligendæ ſunt diviniores literæ, in quotidianum uſum aptatæ, a verbo πτύσσω, *plico*, litera τ extruſa. In more poſitum fuit priſcis Chriſtianis, codices Evangeliorum in ſinu geſtare, quo ſic ex illis, ubi uſus poſtulabat, in ſolatium & præſidium ſuum aliquid depromere poſſent; unde factum, ut *Euplius*, Diaconus Catanenſis, ab exploratoribus profanis deprehenſus, una cum Evangelio, collo appenſo, ad ſupplicium fuerit raptatus. Cum lapſu autem temporis res hæc in ſuperſtitionem abiit, quando ſectiones aliquas, ſeparatis ſchedulis inſcriptas, phylecteriorum inſtar habebant, quas μικρὰ εὐαγγέλια nominare ſolebant, iisdemque vim aliquam miraculoſam adſcribebant, abutentes loco *Rom. I, 16*: *Evangelium eſt virtus Dei*. Hac tamen cautione ſunt uſi, ut, quotiescunque hoſtes ſævirent, vel Codicem ſacrum ſtudioſe occultarent, vel ſecum aſportarent, ne Scripturarum conſolatione in fuga deſtituerentur. Scripturam ſacram Chriſtianos omnes

Pag. 9-10. 10-12. 12-15. 15. 16. 16-18.

cujuscunque ſexus & conditionis diligenter lectitaſſe, contra inſtitutum cœtus Pontificii obſervat Autor, aliud ſtatuentibus prudentioribus ex illo, *Baluzio*, *Arnaldo*, *Paſch. Quesnello*, & quatuor Galliæ Epiſcopis, qui contra Conſtitutionem *Clementis*
Pag. 19- *XI* ad Concilium univerſale provocarunt, denique *Lud. Ellies*
26. *du Pin.* Per publicæ ſævitiæ miniſtros ſacros Codices requiſitos fuiſſe, ex Actis Martyrum probat; inde efficit, cum non imagines, non cruces, non reliquaria, poſtularint, illam tempeſtatem his omnibus caruiſſe. Aliter longe rem ſe habere cum vexationibus Lojolitarum, quas apud Japonenſes, itemque Sinenſes, ſunt perpeſſi, ubi non legimus illorum aliquem oraculorum divinorum cauſa excruciatum eſſe,
26-31. cum inauditum ſit & monſtri ſimile, Jeſuitas Scripturas in linguam vernaculam convertiſſe. In monumentis veterum Romanorum *volumen manu geſtatum* videri initio fuiſſe ſignum dignitatis, poſt promiſcue ab omnibus in uſum aſſumtum
31-32. eſſe. In numo *Theodoſii* minus conſpici Imperatorem, Evangeliorum codicem manu geſtantem, ſed illum potius, ex ſententia *Alb. Rubeni*, *Noriſii*, potiſſimum *Pagii*, cuſum eſſe eo tempore, quo *Theodoſius* junior tricennalia imperii celebr. verit. Mappam, quæ conſpiciatur in manibus, Imperatorum, aut magiſtratuum, eſſe ſignum, quo projecto, initium ludorum in amphitheatris fuerit factum. A temporibus *Conſtantini Magni*, maxime *Theodoſii*, poſt decertatam cum *Eugenio* pugnam geſtamen & veluti ſceptrum, Imperatoribus pro-
32-38. prium, fuiſſe crucem. In numis Imperatorum Græcorum, ſequioris ævi, occurrere veſtigia librorum ſacrorum manua-
38-39. lium. Hinc pergit Autor ad ſævitiam, quam pagani in libros ſacros exercuerant, qui cum in publicis locis de Chriſtianis pœnas ſumerent, ibidem etiam de illorum libris ſupplicium ſumſiſſe, admodum eſt probabile. Nec illius crudelitatis origo demum a *Dioclesiano* repetenda eſt, cum illius jam-
39-41. dum ante ipſius memoriam veſtigia quædam exſtiterint. Qui ex Chriſtianis petentibus gentilibus tradebant libros ſacros, appellabantur παραδόται, *traditores*, quales cumprimis in Africa plures exſtiterunt, haud pauci renuerunt, licet exquiſitiſſi-
41-43. mis tormentis ſolicitarentur. Propterea gentiles tanta avidita-

te

te conquiſiverunt libros ſacros, quo, illis deletis, ipſa funditus exſcinderetur Chriſtiana religio. Igitur hic *diſciplinam arcani*, quam comminiſcitur *Schelſtratius*, ac ſi noluerint gentiles in myſteriorum Chriſtianæ religionis notitiam venire, proſcribendam eſſe, exiſtimat Autor. Traditio librorum ſacrorum fere conjuncta erat cum execratione ac negatione Chriſti; porro objiciebant illos paganorum conviciis, illos ſupervacaneos eſſe, impie clamantium; cum quibus tibias inflat *Perronius*, *multa*, ajens, *foeda*, *abſurda*, *contraria*, *inania*, *ac ſupervacua*, *in illis contineri*, non Theologus, ſed atheus, habendus. Pag. 48 52.

De comburendis libris ſacris ante *Diocletianum* quidem & *Maximianum* edictum Imperatorum nullum exſtitiſſe, plebem tamen illos, ubi haberi potuerint, igni addixiſſe, docet Autor. 52-56.

Videri voluiſſe *Diocletianum* aliquid dare Judæis, quorum libros ſacros ſartos ſervarit, cum tamen hi ipſi Chriſtianorum libros dignos reputarent, qui flammis abolerentur. 56-58.

Exſtiterunt tamen inter Chriſtianos, qui poteſtatem ſacros legendi libros pecunia redemerunt; ubi quæſtionem, num liceat aliquando vectigalibus datis religionis profitendæ libertatem ſibi acquirere, prudenter Autor diſceptandam eſſe monet. 59-62.

Qui ob libros ſacros, & doctrinam, in illis traditam, ultima perpeſſi ſunt ſupplicia, patientiſſimo ea tulerunt animo. Exemplum illius, qui *Diocletiani* edictum diſcerpſit, communiter approbatum non eſt. *Legio Thebæa*, quæ integra eſt trucidata, viribus ſuis, quod facile poterat, uſa non eſt, quanquam de illa narratione in utramque partem diſputatur. *Tertullianus*, numerum Chriſtianorum nimium augens, non tam veritatem hiſtoricam ſectatus eſt, quam amplificationi oratoriæ aliquid dedit. Mira Chriſtianorum patientia, cum ſingulari lætitia conjuncta, pro χαρίσματι quodam Spiritus Sancti & extraordinario dono eſt reputanda. Diſplicuerunt illi, qui, ſe codices ſacros habere, ultro ſunt confeſſi, ac in ſe gravia quæque tormenta derivarunt. 62-72.

Iſtiusmodi genus hominum damnavit eccleſia Smyrnenſis de martyrio S. *Polycarpi*: ὃν ἐπαινοῦμεν τοὺς προσιόντας ἑαυτοῖς, ubi cum nonnullis ἑκόντως legendum eſſe exiſtimat, nec hoc illorum factum, ac ſi ex heroico quodam motu profectum eſſet, excuſandum eſſe. *Dodwellum* numerum Martyrum ſub *Diocletiano* 72-79.

no contra teſtimonium antiquitatis diminuere, fuiſſe perſecutionem illam omnino graviſſimam, de eadem intelligendos eſſe locos *Apoc. XII, 1, 2, V, 9.* Ac ſine dubio inde explicandos *Diocletiani* numos, in quorum averſa parte hæc verba legun-
Pag. 72- tur: *Jovi Fulgeratori*, una cum *Typhœo*, terræ filio, qui,
79. ſerpentinis pedibus Jovem de cœli poſſeſſione cum conaretur detrudere, ab hoc fulmine eſt percuſſus. Licet autem veritatis hoſtes, maxime *Diocletianus*, libros ſacros abolere in animo habuerint, effectui tamen id dari non potuit; unde divinitatem Scripturæ ſacræ cum nonnullis recte probari poſſe Autor contendit, cum tot alii libri, qui gentilium ſacra, itemque res
79-83. geſtas potentiſſimarum gentium, enarrabant, perierint; minus conſervationem multitudini codicum ſacrorum cum *Baronio & Lomeiero* adſcribendam eſſe, judicat. Tandem *Conſtantinum*, in ſolium imperii evectum, hoc in mandatis dediſſe *Euſebio*, ut *quinquaginta codices, qui lectionibus eccleſiaſticis* inſervirent, per καλλιγεάφος deſcribendos curaret, *de Vit. Conſtant. Lib. IV. cap. 36*; quem locum, ab aliis vel omnino
83.84. prætermiſſum, vel non debita cura tractatum, dignum omnino Noſter judicat, qui curatius inſpiciatur expendaturque. *Caput VII* complectitur additamenta, quibus illuſtrantur, quæ in prioribus dicta fuerant. Evangeliorum lectionem conjunctam fuiſſe cum lectione Prophetarum, ut libri ſacri ordine ad finem usque, quantum temporis ratio permittebat, prælecti fuerint.
88-91. Prophetarum lectione Chriſtianis a paganis ſub pœna mortis interdictum fuiſſe. Tempore *Juſtini Martyris* plurima apographa, ex Evangeliorum avtographis facta, exſtitiſſe. *Pag. 95* per errorem typographi habentur verba: *Vide de hoc inſigni Euſebii teſtimonio C. M. Pfaffium Whitby ſupra Cap. I §. 1 laudatum, itemque Danielem*, etc. quæ ita legenda: *C. M.*
92-93. *Pfaffium, ſupra laudatum Cap. I §. 1, itemque Danielem Whitby*, etc. Ubi de Chriſtianis dicitur, ipſos *adoraſſe codices ſacros*, id intelligendum eſſe, Autor docet, de debito honore, quem iisdem habuerint, cujus documenta dederint ſancti Martyres, qui graviſſima ſupplicia ſubire, quam libros ſacros igni exu-
93-96. rendos tradere, maluerint. Libros ſacros olim ſeorſim ſcriptos, pariterque lectos, fuiſſe, teſtimoniis probat; qui cum tandem

tandem uno in codice, vario tamen ordine, inter se conglutinarentur, codex sacer *Bibliorum* nomen accepit, & inde evenit, ut non semper idem ordo in omnibus fuerit observatus. Co- Pag. 96-
dices sacros complicatos in sinu vestium suarum gestasse; qua 99.
occasione quaedam de sinu vestium apud antiquos differit.
Non fœminas solum, verum etiam laicos, Scripturam lectitasse. 99-102.
Si quando apud Romanos libri sint exusti, intelligendum esse
de libris fatidicis, peregrinam religionem spirantibus, non
monumentis eruditionis, nullum periculum reipublicæ minitantibus. Statum ecclesiæ sub *Trajano*, *Adriano*, ac *Antoninis*, fuis- 102.103.
se satis florentem, & Christianorum ingentem exstitisse multitudinem, non illam tamen, ex mancipiis ac hominibus de ima plebe tantum, sed etiam ex honoratioribus, constitisse, contra
Is. Vossium disputat. Lætitiam Christianorum, qua dirissi- 104-106.
mos cruciatos ob confessionem nominis Christi adierunt, plurimis testimoniis et exemplis comprobat. *Justinum Rhinot-* 106-108.
metum primum fuisse, qui imaginem Christi, Evangeliorum librum præferentis, cum glorioso Regis regnantis elogio in numis exprimendam curarit, & quidem illam auro gemmisque forinsecus insigniter decoratam. Sanctos illos Martyres, qui 108-111.
ob sacras Scripturas dira quæque perpessi, fuisse confessores
Christi, filii Dei, & sacrosanctæ Trinitatis. Subjungit his duas 111.112.
Dissertationes breviores, quarum 1) enarrat contumeliam, qua
codicem sacrum conspergere sustinuerunt & pagani, & Judæi.
Diodorus Siculus commentus erat, *Antiochum Epiphanem*, ingressum penetrale templi interius, offendisse *statuam viri, barba promissa, tenentem manibus librum, insidentemque asino, qui Moses fuerit*, quod commentum falsi convincit. Ju- 113-115.
dæus ille Carthaginiensis proposuerat picturam *asininis auribus, altero pede ungulatam, librum gestantem, et togatam*, cum
epigraphe: *Deus Christianorum Onochoetes*, *Tertull. Apol. Cap. 16*,
Lib. I adverf. nat. Cap. 14. In inscriptionem hanc iam non inquirit, tantum notat, propius esse vero, quod *Jo. Croius*, et postea *Jo. Philippus Heinius*, existimarunt, effigiem hanc ex variis N. T. locis, invicem conflatis, confictam fuisse, ubi scilicet de Christo memoratur, ipsum urbem Hierosolymam ingressum, atque illum, qui solio insidebat, aperuisse sigilla libri, quem manibus tenebat, *Apoc.*
V, 1 seq.

Pag. 115. *V*, 1 *ſeq.* 2) Declarat, quo affectu Mohammedani in ſacrum
117. codicem ducantur. Habere et ipſos Pentateuchum *Moſis*, *Pſalmos*, et *Evangelia*, eosque libros Θεοπνεύστους agnoſcere, ſed mire interpolatos ac corruptos, cuius ſpecimina profert ex *Pſ. II*, 7, *Jo. XVI*, 7, de noſtris autem codicibus affirmare, partim a Judæis, partim a Chriſtianis, depravatos eſſe, quam criminationem refel-
117-119. lit. Mohammedanis illos, qui libro cuidam, ut normæ fidei, adhærent, appellari *populum libri*, quos bello vexare tam diu liceat, donec vel religioni Mohammedicæ ſacramentum dicant, vel libertatem pretio ſibi redimant. Si quando incidant in Evangelium Chriſtianorum, vel libros *Moſis*, nigro colore paginas inducere; ſin codices fuerint membranacei, illos probe lavare, ne qua amplius litera in illis compareat; comburere integrum non
119-128. eſſe, quia nomina Dei in iis fuerint ſcripta. Hæc fere præcipua momenta elegantiſſimæ hujus Commentationis ſunt, qua Eruditiſſ. Auctor doctrinam ac diffuſam lectionem, ex pluribus jamdum libris, ab ipſo editis, cognitam, novo, eoque luculento, documento probatam dedit. Quodſi multorum eſt querela, libros, qui in priſci ævi inſtitutis evolvendis occupantur, multa quidem doctrina, variaque lectione, refertos, utplurimum vero ab utilitate, ſaltem inſigni, ſejunctos, eſſe, illa certe in hoc Opuſculum cadere nequit. Quæ enim Autor in medium profert de affectu, quo primi Chriſtiani in oracula divina ſunt lati, de eorundem ſtudio, quo libros ſacros non tam in ſinu geſtare, quam illorum veneranda dogmata animo altius infixa habere, allaborarunt, de illorum in perferendis diris cruciatibus mira patientia, deque ſingulari providentia propitii Numinis circa conſervationem Sacræ Scripturæ, illa certe ſimilem venerationem ac amorem in verbum Dei vivi vivificum excitare, & homines, qui levitate quadam ducuntur in religionem, atque effata divina ſusque deque habent, in ruborem dare, vel maxime poſſunt. Quem laboris hujus ſui fructum ut conſequatur Cel. Autor, ex animo precamur, utque faventiſſimum Numen vires porro ipſi, valetudinem, ac otium, concedere velit, quo in poſterum de re ſacra, omnique eruditione, mereri pergat, impenſe vovemus, ſimul precantes eum, ut, quam daturum ſe promittit Diſſertationem *de Notariorum primæ Eccleſiæ in conſignandis S. S. Martyrum actis & fide, & autoritate*, quantocyus emittat.

✲ ✲ ✲



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

AD NOVA ACTA ERUDITORUM
QUAE LIPSIAE PUBLICANTUR SUPPLEMENTE

BAND 5
LEIPZIG 1745

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ERLANGEN-NÜRNBERG ZUGRUNDE

SIGNATUR: LTG. IX,88.

)o(

INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Adelt (*Martini*) *Hiſtoria de Arianiſmo, olim Smiglam infeſtante.* 309

Ahlwardti (*Petri*) *Cogitata, rationi congruentia, ac ſolida, de Deo & vero Dei cultu.* 221

Anonymi Hiſtoria & vita S. Epiphanii, Archiepiſcopi Salaminenſis, & Eccleſiæ doctoris. 1

Tractatio de vera religione adverſus Atheos, Deiſtas, ſimulacrorum cultores, Judæos, Mohammedanos, & univerſum religionis falſæ genus. Tomi V. 6

Antirrheticon, ſeu Confutatio Annotationum Jo. Kohlii ad geminos S. Ephræmi de S. Cœna Sermones. 102

Selectæ Aſſertiones theologicæ. 150

Complexus doctrinæ Theologorum veterum & recentium, conciliatus per expoſitionem diverſarum ſententiarum de ſtatu animarum, a corporibus ſeparatarum. 156

Continuatio complexus doctrinæ de ſtatu animarum, a corporibus ſeparatarum. ibid.

Diſſert. theologico-critica, in qua ex variis S. Scripturæ locis probatum itur, quod anima Jeſu Chriſti intelligentia quædam pura & glorioſa in cœlo fuerit, priusquam in utero B. Virginis Mariæ cum humano corpore conjungeretur. 259

Aymanni (*Chriſtoph. Frid.*) *in Novum Teſtamentum D. Martini Lutheri Annotationes criticæ.* Pars I. 467

Balthaſari (*Jac. Henr.*) *Hiſtoria libri Torgavienſis.* Pars I, II, III. 310

Bengelii (*Jo. Alb.*) *Expoſita Apocalypſis Joannis.* 247

INDEX

Buttſtett (*Jo. Andr.*) *de Providentia Dei ratione conſervationis & concurſus Dei cogitata.* 302

C. (*S. M.*) *Diſſ. hiſtorico-theologica de Ritu veteri formulæ applicativæ individualis in S. Cœna.* 239

Cæpollini (*Jac. Phil.*) *Sacrum Chronicon, ſive Arbor genealogiæ Patriarcharum Vet. Teſtamenti, Regum, &c.* 337

Canzii (*Iſr. Gottlieb*) *Theologia naturalis thetico-polemica.* 356

Carpovii (*Jac.*) *Elementa Theologiæ naturalis dogmaticæ, a priori methodo ſcientifica adornata.* 291

Croxall (*Sam.*) *Politica Scripturæ.* 147

Eichfeldi (*Guſt.*) *Theologia naturalis, ex motu corporum demonſtrativa methodo evicta.* 278

Erichſoni (*Jo.*) *Obſervationes in difficiliora aliquot Sacri Codicis loca.* Sylloge prima. 363

Fiſcheri (*Jo. Rud.*) *Specimen theologicarum æque ac philologicarum annotationum in diverſos ſacri Codicis locos.* 203

Freſenii (*Jo. Phil.*) *Cogitata de Chriſto.* Tomus I. 425

Fueslini (*Jo. Conr.*) *Diſſ. Apologetica prima pro Davide, Hebræorum Rege, adverſus obtrectationes Petri Bælii.* 82

Geret (*Jo. Gc.*) *Commentatio hiſtorico-critica de Cauſis diſcrepantiarum Verſionis LXXviralis a textu originali.* 514

Gœtzii (*Georg.*) *Variæ Celeberrimorum Medicorum Obſervationes, quibus multa loca N. Teſtamenti docte illuſtrantur.* 116

Hagiophili (*Chriſtiani*) *Obſervationes ſuccinctæ in ſelectiora IV Evangeliſtarum Novi Fœderis loca.* Tomus I. 538

Von Haven (*Petri*) *Commentatio analytica in Epiſtolam Pauli ad Titum.* 276

Heumanni (*Chriſtoph. Aug.*) *Commentatio theologica de Illuminatione Sauli, cœca pietate ferventiſſimi, ad Act. IX, 3-6.* 85

Heynii (*Jo.*) *Specimen Cometologiæ ſacræ.* 214

Hilgeri (*Frid. Ad.*) *Diſquiſitio philoſophico-theologica de Origine mortalium.* 542

Hornad (*Gabr. de Juxta*) *Initia religionis Chriſtianæ inter Hungaros.* 234

Jacobi (*Jo. Frid.*) *Meletemata in ſapientes Dei ſines de rebus, quas*

quas in commercio ſocietatis humanæ, & in divinioribus literis, deprehendimus. 63

Kieslingii (*Jo. Rud.*) *Commentatio philologico-theologica de Jeſu Nazareno ingrata patria exule, ad Luc. IV, 28-30.* 87

M. (*R. R.*) *Fundamentum, ſimplicitas, & excellentia, ſatisfactionis Chriſti.* 420

Mehlhorni (*Jo. Chriſtiani*) *Solida expoſitio literarum V. T. divinarum, quæ ex plenioribus epitomis Diſſertationum ſelectiorum collectæ.* Tomus II. 252

Moshemii (*Jo. Laur.*) *Hiſtoria Tartarorum eccleſiaſtica.* 50

Explicatio prioris Epiſtolæ S. Pauli ad Eccleſiam Corinthiacam. 443

Müllerі (*Godofr. Ephr.*) *Otium philologicum.* 286

Reinhardi (*Laur.*) *Chronotaxis nova Apocalypſeos Joanneæ.* 81

Rœderi (*Chriſtiani Frid.*) *de Ingenii uſu & abuſu circa interpretationem Scripturæ S. Commentatio.* 543

Rues (*Sim. Frid.*) *Genuina relatio de præſenti ſtatu Mennonitarum, ſive Anabaptiſtarum.* 469

Schultzii (*Jo. Chriſtiani*) *Sabbatum, idque inprimis myſticum.* 366

Speidelii (*Jo. Chriſtoph.*) *Veſtigia veteris Muſicæ Davidicæ minus rejicienda.* 210

Spier (*Jo. Juſti*) *Hiſtoria critica de Hiſpanico Pauli Apoſtoli itinere, ad Rom. XV, 24, 28.* 216

Stangii (*Henr. Volcmari*) *Cogitata de Separatiſmo, literis ſacris conformia.* 544

Stiebritzii (*Jo. Frid.*) *Expoſitiones cogitatorum Wolfianorum de Deo, mundo, anima hominis, rebusque generatim conſideratis.* Pars II. 458

Solidarum, maxima ex parte novarum, ſacri Codicis expoſitionum. Pars I. 503

Vincioli (*Hyacinthi*) *Diſſ. de Sancto annulo Mariæ Virginis.* 233

Winckleri (*Jo. Dieterici*) *de Immortalitate animæ, ejusque veritate & certitudine, tractatio.* 237

Winckleri (*Jo. Dieterici*) *Tractatio, ex Scriptura S. hausta, de Peccato in Spiritum S.* 238
Zornii (*Petri*) *Historia Bibliorum manualium.* 546

II. *Libri Juridici.*

Boehmeri (*Justi Henningii*) *Institutiones Juris Canonici, tum Ecclesiastici, tum Pontificii.* 265
Gleichmanni (*Jo. Zach.*) *de Magno Ducali Sigillo Majestatis Saxonico Commentatio.* 428
Gundlingii (*Nic. Hier.*) *Solidæ Prælectiones in Capitulationem Imperatoriam Caroli VI.* 26
Hanaccii (*Christiani*) *Primordia superioritatis territorialis Saxonicæ, ex antiquis Saxonum & Francorum rebus eruta.* 69
Hervarti (*Jo. Eliæ Leopoldi*) *Commentatio de Jure suffragiorum, præcipue in incluto Senatu Augustano.* 523
Pauw (*Guil.*) *Varia Juris Civilis capita. Editio secunda, emendatior.* 106
Ricci (*Christiani Gottlieb*) *Repertorium locupletissimum in Jo. Frid. Pfeffingeri Corpus Juris publici.* 267
Schusteri (*Gottwaldi*) *Commentationes, difficiliora & notatu digna quædam Themata, tam ad Medicinam, quam Jurisprudentiam, pertinentia, complexæ.* 165
Smidtii *Theses de Juribus S. R. I. Vicariorum durante interregno, nec non de electione & coronatione Imperatoris.* 347
Treueri (*Gottlieb. Sam.*) *de Investitura per sceptrum, feudis ecclesiasticis & secularibus communi.* 73
Vincioli (*Hyac.*) *ad Imperialium Institutionum Libros IV Observationes.* 408

III. *Libri Medici & Physici.*

Anonymi Tractatus de Chylo bono, & ad generandum melioris notæ sanguinem idoneo. 108
Curiosa & historica expositio ejus, quæ exstitit A. 1740, solito rigidioris longiorisque hiemis. 480
Bergeri *Dissertatio de Hydrope pectoris.* 269

AUTORUM.

Bianchini (*Joſephi*) *Judicium de mortis cauſa Comitiſſæ Corneliæ Zangarinæ Bandi, Ceſenatis.* 75

Bœhmeri (*Phil. Ad.*) *Epiſtola Anatomica problematica de Ductibus mammarum lacliferis, experimento novo confirmatis.* 493

Büchneri (*Jo. Godofr.*) *Diſſertationes Epiſtolicæ de Memorabilibus Voigtlandiæ ſubterraneis.* 506

Bülfingeri (*Ge. Bernh.*) *Elementa Phyſices.* 169

Clitomachi *Obſervationes meteorologicæ, ſive hiſtoricæ haud ſecus ac phyſicæ expoſitiones de Hieme rigida anni 1740.* 218

Gherlii (*Fulvii*) *Schola Salernitana dilucidata.* 78

Heynii (*Jo.*) *Specimen meditationis de Cometis.* 498

Hundertmark (*Caroli Frid.*) *de Sacchari Saturni uſu interno ſalutari Exercitatio Academica.* 46

Krafftii (*Ge. Wolfg.*) *Vera & accurata deſcriptio pariter atque delineatio domus notabilis, A. 1740 menſe Januario in urbe Petropolitana ex glacie exſtructæ.* 409

Krügeri (*Jo. Gottlob*) *Cogitata de Lithanthracibus.* 282

Cogitata de frigidiſſima hieme anni 1740. 283

Phyſices Pars ſecunda. 316

De Maupertuis *Figura telluris, determinata per obſervationes ipſius & aliorum, e Gallico in Latinum translata ab* Alarico Zeller. 412

Mœhringii (*Pauli Henr. Gerh.*) *Mytulorum quorundam venenum, & ab eo natæ papulæ cuticulares illuſtratæ.* 492

Oſiandri (*Jo. Adami*) *Cogitationes rationales de converſionibus corporum mundi totalium.* 362

Rega (*Henr. Joſephi*) *Diſſ. de Sympathia, ſeu conſenſu partium corporis humani, ac potiſſimum ventriculi, in ſtatu morboſo.* 313

Regnaulti *Origo antiqua Phyſicæ novæ.* Tomi III. 271

Reynelli (*Rich.*) *de Catalepſi Schediaſma.* 45

Schulteri (*Gottwaldi*) *Commentationes, difficiliora & notata digna quædam Themata, tam ad Medicinam, quam Jurisprudentiam, pertinentia, complexæ.* 165

Wepferi (*Jo Jac.*) *Obſervationes medico-practicæ de Affectibus capitis internis & externis.* 164

INDEX

IV. *Libri Mathematici.*

Anonymi Ædificiorum Academiæ Scientiarum Cæsareæ, Bibliothecæ, & rerum naturalium Gazophylacii Petropolitani, Ichnographia & Orthographia. 481

De Aquino (*Caroli*) *Vocabularium Architecturæ ædificatoriæ.* 115

Clitomachi *Observationes meteorologicæ de Hieme rigida anni 1740.* 218

Euclidis *Elementorum Libri XV, ad Græci contextus fidem recensiti, & ad usum tironum accommodati.* 517

Heynii (*Jo.*) *Specimen Cometologiæ sacræ.* 214

Specimen meditationis de Cometis. 498

De Maupertuis *Figura telluris, determinata per observationes ipsius & aliorum. Ex Gallico in Latinum transtulit* Alaricus Zeller. 412

V. *Libri Historici, Geographici, &c.*

Anonymi Vita & expeditiones militares Serenissimi Principis Sabaudiæ, Francisci Eugenii. 25

Vitæ Principum illustris Domus Arausionensis. 145

Historia de Vita, virtute, donis, ac gratiæ divinæ adminiculis, Servi Dei, Franc. Antonii de S. Petro. 290

Elogium Erhardi Reuschii, Professoris Helmstadiensis clarissimi. 329

Vita Abbatis Choisii, Academici Francici. 339

Historia exæstuantis incendio Vesuvii, quod accidit A. 1737 mense Majo. 360

Historia Petri I, qui Magnus cognominatur, Imperatoris omnis Russiæ. Tomi III. 433

Elogium Urbani Godofredi Siberi, Theologi Lipsiensis. 525

Commentarii, Historiæ Maltensium inservituri. Tomi II. 529

Du B. *Epistolæ de Hungaris.* 322

AUTORUM.

De Berswordt (*Jo.*) *Weſtphalicum Nobilium album gentile, ex edit.* Jo. Diterici de Steinen. 404

Brett (*Thomæ*) *Generalis Hiſtoria mundi a Creatione uſque ad Hieroſolymam a Nebucadnezare deſtructam.* 100

Büchneri (*Jo. Godofr.*) *Diſſertationes epiſtolicæ de Memorabilibus Voigtlandiæ ſubterraneis.* 506

De Charlevoix *Hiſtoria & deſcriptio generalis Japoniæ.* 385

Gleichmanni (*Jo. Zach.*) *de Magno Ducali Sigillo Majeſtatis Saxonico Commentatio.* 428

Gundlingii (*Nic. Hier.*) *Solidæ prælectiones in Capitulationem Imperatoriam Caroli VI.* 26

Guyonii *Hiſtoria Imperiorum & rerum publicarum, inde a Diluvio uſque ad natum Jeſum Chriſtum.* 241

Hanaccii (*Chriſtiani*) *Primordia ſuperioritatis territorialis Saxonicæ, ex antiquis Saxonum & Francorum rebus eruta.* 69

Hobbelingi (*Jo.*) *Deſcriptio univerſi Epiſcopatus Monaſterienſis, ex edit.* Jo. Diterici de Steinen. 404

Kochii (*Jac.*) *Succincta & ſolida accuratæ Chronologiæ Elementa.* 400

Lamprechti *Vita L. B. Gothofredi Guilielmi de Leibnitz.* 378

Lauenſteinii (*Joach. Barwardi*) *Hiſtoria Epiſcopatus Hildeſienſis a frivola Lipſienſium cenſura vindicata.* 91

Loſii (*Jo. Juſti*) *Commentarii de rebus Chriſtophori de Wrisberg, Ducis bellici.* 395

Mongitoris (*Antonini*) *Commentarii de Vita, morte, & antiquiſſimo cultu, S. Coſmæ, Panormitani, Archiepiſcopi Africæ.* 328

Ode (*Jac.*) *Principia Geographiæ novæ.* 517

Puccetti (*Petri Mariæ*) *Vita Purpurati Romani, Leandri Colloredi, Congregationi Oratorii Romæ olim adſcripti.* 193

Richteri (*Jo. Godfr. Ohnefr.*) *Hiſtorica deſcriptio Præfecturæ Rampitz, ad Ordinem Joanniticum referendæ.* 511

Schaffhuſii (*Pauli*) *Commentatio hiſtorico-literaria, conſilium de conſcribenda proxime Methodiſtarum hiſtoria exponens.* 382

Schœpflii (*Caroli Frid.*) *Relationes diplomatico-hiſtoricæ de Fratribus Domus S. Kiliani.* 284

Schraſſerti

Schraſſerti (*Jo.*) *Hardervicum antiquum, ſive Deſcriptio urbis Hardervici.* 194

Schuberti (*Jo. Ern.*) *Hiſtoria Philoſophiæ.* Pars I. 349. 451

Taciti (*C. Cornel.*) *de Situ, moribus, & populis, Germaniæ libellus.* 375

Thura (*Alberti*) *Conſpectus Danorum, qui partim Commentariis ſuis eruditis, partim quoque verſionibus Danicis, de linguæ Romanæ & Græcæ Scriptoribus hactenus optime & præclariſſime meruerunt.* 430

Wernsdorffii (*Gottlieb*) *Commentatio hiſtorica de Regibus crinitis Francorum Merovingicæ ſtirpis.* 231

VI. *Libri Philoſophici & Miſcellanei.*

Anderſoni (*Jac.*) *Codex novus Conſtitutionum antiquæ ac venerabilis ſocietatis liberorum muratiorum, ex lingua Anglicana in Germanicam converſus.* 477

Anonymi Antirrheticon, ſeu Confutatio Annotationum Jo. Kohlii ad geminos S. Ephræmi de S. Cœna Sermones. 102

Ars legendi promtitudinem bene docendi. 120

Subitanei imaginationis impetus, ſive Epiſtolæ de diverſis Hiſtoriæ, doctrinæ moralis, Criticæ, Hiſtoriæ naturalis, argumentis. 173

Pericula artis criticæ exercitatæ. 187

Bælius in compendio, vel Anatome operum ipſius. 368

Tractatio de Studiis literarum, fœminas ornantibus. Partes II. 436

Curioſa & hiſtorica expoſitio ejus, quæ exſtitit A. 1740, ſolito rigidioris longioriſque hiemis. 480

Ædificiorum Academiæ Scientiarum Cæſareæ, Bibliothecæ, & rerum naturalium Gazophylacii Petropolitani, Ichnographia & Orthographia. 481

Sermones, in ſolenni Academiæ Scientiarum Imperialis Conventu die 29 Aprilis anni 1742 publice recitati. 482

Ars dirigendæ mentis ad rerum metaphyſicarum, moralium, & phyſicarum, cognitionem, ad uſum ſcholæ accommodata. Tomi IV. 486

AUTORUM.

De Aquino (*Caroli*) *Vocabularium Architecturæ ædificatoriæ.* 115

Barini (*Franc.*) *Nova ratio addiſcendi facile linguam Gallicam.* 123

Baumeiſteri (*Frid. Chriſtiani*) *Philoſophia recens controverſa.* 178

Carpovii (*Jac.*) *Meditatio philoſophico-critica de Lingua, ejusque perfectione.* 508

Des Champs (*Jo.*) *Curriculum Philoſophiæ Wolfianæ compendioſum, forma epiſtolari inſtructum.* Tomus I. 454

Ciceronis (*M. T.*) *Lælius, ſive de Amicitia Dialogus, ex ed.* Jo. Godofr. Hauptmanni. 184

Partitiones oratoriæ, ex ed. Jo. Godofr. Hauptmanni. 186

Collini, *Abbatis, Interpretatio Gallica tractationis Ciceronianæ de Oratore, cum Notis.* 198

Conringii (*Herm.*) *Epiſtola, quæſtionem pertractans, num immortalitas animæ ex lumine naturæ ſolum & certo cognoſcatur.* 237

Conſtable (*Jo.*) *Cogitationes de Accuratione ſtili.* 285

Croſæ (*Petri Dan.*) *Examen tentaminis, a Domino Pope ſcripti de Homine.* 55

Daries (*Joach. Georg.*) *Introductio in artem inveniendi, ſeu Logicam theoretico-practicam.* 416

Elementa Metaphyſices. Tomus I. 534

Dieterich (*Martini*) *Nexus philoſophicus Grammaticæ Hebrææ.* 84

s' Graveſande (*G. J.*) *Introductio ad Philoſophiam, Metaphyſicam & Logicam continens.* 112

Hauptmanni (*Jo. Godofr.*) *Collectio proverbiorum & ſententiarum inſignium atque uſitatiorum.* 520

Hilgeri (*Frid. Ad.*) *Diſquiſitio philoſophico-theologica de Origine mortalium.* 542

Hübſchmanni (*Jo. Matth.*) *Celer Hebræus, qui Cel. D. Jo. Andr. Danzii Grammaticam Hebraicam breviter, perſpicue, & expedite, exhibet.* 48

INDEX

Jugleri (*Jo. Frid.*) *Epiſtola ad Auguſtinum de Leyſer, de concinnando Lexico Jureconſultorum.* 192

Klugii (*Chriſtiani Gottlieb*) *Annotationes in Præcognita & Præfationem ad Reinbeckiana Cogitata de anima rationali.* 180

Kochii (*Frid. Chriſt.*) *Praxis, ſeu Specimina, totius Grammaticæ Hebrææ in analyſi vocum Hebræarum.* 229

Kortemi (*Jonæ*) *Iter in terram olim celebratam, nunc vero inde ab annis fere 700 a benedictione Dei derelictam, nec non Ægyptum, montem Libanum, Syriam, & Meſopotamiam.* 139

Lauenſteinii (*Joach. Barwardi*) *Hiſtoria Epiſcopatus Hildeſienſis a frivola Lipſienſium cenſura vindicata.* 91

Lelli (*Franc.*) *Fabulæ XII, elegiacis numeris concinnatæ.* 371

Leſſeri (*Frid. Chriſtiani*) *Numi ſingulares, in honorem tam eruditarum Societatum, Academiarum, &c. quam doctorum Virorum, Theologorum, JCtorum, Medicorum, & Philoſophorum, percuſſi.* 125

Typographia jubilans, hoc eſt, Hiſtoria Typographiæ contractior. 130

Maittaire (*Mich.*) *Annales typographici, ab artis inventæ origine ad annum 1664. Editio nova, auctior & emendatior.* Pars I. 49

Di Miceli (*Joſephi*) *Privilegium exemtionis & immediatæ ſubjectionis ſub Sede Apoſtolica, quo gaudent Monachi Benedictini Monaſterii S. Roſaliæ intra urbem Siciliæ Panormum.* 211

Michaelis (*Chriſtiani Bened.*) *Syriaſmus, id eſt, Grammatica linguæ Syriacæ.* 142

(*Jo. Dav.*) *Elementa Hebraicæ accentuationis.* 475

La Motte (*Jac.*) *Conata demonſtrandæ poeſeos & picturæ, cum reſpectu ad Hiſtoriam ſacram & profanam.* 530

Mülleri (*Godofr. Ephr.*) *Otium philologicum, Diſſertationum aliquot varii argumenti in unum volumen collectio.* 286

(*Caroli Gotthelfi*) *Philoſophia practica univerſalis, Jus Naturæ ethicum, & Ethica.* 461

N. (*S.*) *Plagiariana, complexa varias præceptiones, de theſauro veritatis emanantes.* 343

Neapolis

AUTORUM.

Neapolis (*Caroli*) *Anaptyxis ad Faſtos Ovidianos, cum additamentis* Jo. Felicis Paleſii. 97

Oſiandri (*Jo. Ad.*) *Orationum Academicarum biga.* 513

Rothii (*Gothofr. Chriſt.*) *de Imagunculis Germanorum magicis, quas Alrunas vocant, Commentatio hiſtorico-antiquaria.* 325

De Rubeis (*Laur. Phil.*) *Cameræ ſepulchrales libertorum libertarumque Liviæ Auguſtæ, & aliorum Cæſarum.* 289

Schuberti (*Jo. Ern.*) *Hiſtoria Philoſophiæ.* Pars I. 349. 451
Logica practica. 355
Inſtitutiones eloquentiæ ſacræ. 465

Segneri (*Jo. Andr.*) *Specimen Logicæ univerſaliter demonſtratæ.* 494

Speidelii (*Jo. Chriſtoph.*) *Veſtigia veteris Muſicæ Davidicæ minus rejicienda.* 210

Starckii (*Henr. Bened.*) *Grammatica Hebræa, ex ed.* Chriſtiani Gottholdi Wiliſchii. 190

Stiebritzii (*Jo. Frid.*) *Expoſitiones cogitatorum Wolfianorum de Deo, mundo, anima hominis, rebusque generatim conſideratis.* Pars II. 458

Stieffii (*Chriſtiani*) *Hiſtoria Jubilæorum ſcholaſticorum, in Gymnaſio Wratislavienſi Eliſabetano publice celebratorum.* 137

A Wedel (*Frid. Wilh.*) *Commentatio philoſophica de Principio rationis ſufficientis.* 300

Weilhameri (*Anton.*) *de Amicitia Libri duo, carmine didactico expoſiti.* 323

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Academiæ *Gottingenſis notitia literaria.* 126 ſeq.

Academiæ *Cæſareæ Petropolitanæ ædificia deſcripta.* 481 ſeq.

De Accentibus *doctrina illuſtrata.* 117
Hebræorum doctrina explicata. 475
Actorum *Eruditorum Autores a Lauenſteinio impugnati.* 91 ſeq.
Ægypti *hiſtoria deſcripta.* 242 ſeq.
De Alrunis, *imagunculis Germanorum magicis, ſingularia.* 325 ſeq.
Amicitiæ *veræ ratio verſibus deſcripta.* 324 ſeq.
Anabaptiſtarum *doctrinæ & ſtatus hodiernus.* 469 ſeq.
De Anima *humana doctrina Wolffiana explicata.* 459 ſeq.
Animarum, *a corporibus ſeparatarum, ſtatus qualis?* 157 ſeq.
De Annulo *B. Mariæ pronubo varia.* 233 ſeq.
Antichriſtus *an ſit Pontifex Romanus?* 153
Apocalypſis *Joannea novo Commentario illuſtrata.* 80 ſeq. 247 ſeq.
Apocataſtiſmus *novis rationibus ſuffultus.* 160 ſeq.
Arauſionenſium *Principum vitæ deſcriptæ.* 145 ſeq.
Architecturæ *ædificatoriæ vocabula collecta.* 116
Arianiſmi, *urbem Smiglam infeſtantis, hiſtoria.* 309 ſeq.
Aſſyriorum *res antiquæ deſcriptæ.* 244 ſeq.
Aſtrologiæ *judiciariæ vanitas aſſerta.* 177
Atheiſmus *debellatus.* 6 ſeq.
Athenienſium *res antiquæ deſcriptæ.* 245 ſeq.
Auguſtanæ *Reipublicæ jus ſuffragiorum vindicatum.* 524

B.

Babyloniorum *res antiquæ deſcriptæ.* 244 ſeq.
Bælius (*Petr.*) *refutatus.* 82 ſeq.
multis nominibus vehementer caſtigatus. 368 ſeq.
Bærmanni (*Ge. Frid.*) *in Elementa Euclidis merita.* 517 ſeq.
De Berswordt (*Jo.*) *quis fuerit?* 405
ejus liber nunc primum editus. ibid.
Bibliorum *manualium antiquitates illuſtratæ.* 546 ſeq.
Brunneri (*Nic.*) *Epiſtola de typica Pauli converſione edita.* 209

C.

Cameræ *ſepulchrales libertorum Liviæ Auguſtæ delineatæ & deſcriptæ.* 289 ſeq.
Canonici *Juris Inſtitutiones editæ.* 265 ſeq.

Capitulatio

Capitulatio *Caroli VI Imp. illuſtrata.* 26 ſeq.
Carbonum *foſſilium hiſtoria naturalis.* 283
Carpovii (*Jac.*) *cum Klugio controverſia.* 296
Catalepſis *morbus deſcriptus.* 45
De Choiſy (*Franc. Timoleontis*) *vita & in literas merita deſcripta.* 339 ſeq.
Chriſti *animæ, antequam in uterum Mariæ deſcenderet, præexiſtentia aſſerta.* 261 ſeq.
vera divinitas impugnata. 262 ſeq.
ſatisfactionis fundamentum & excellentia demonſtrata. 420 ſeq.
Chriſtianæ *religionis veritas adverſus atheos, Judæos, & Mohammedanos, demonſtrata.* 6 ſeq.
an in ſola Romana Eccleſia reperiri poſſit? 21 ſeq.
ſocietatis quales eſſe characteres debeant? 23
religionis in Hungaria initia quæ? 234 ſeq.
Chriſtus *inter Medicos relatus.* 118
an ante nativitatem angelus lucis exſtiterit? 264
verus fuit Meſſias. 426 ſeq.
Chronologia *Pentateuchi Samaritarum multis modis a reliquis diverſa.* 100 ſeq.
Chronologiæ *ſacræ nova præcepta tradita.* 400 ſeq.
Chylus *bonus quomodo elaboretur?* 109 ſeq.
quot modis depravari queat? 111
Ciceronis *de Amicitia Dialogus denuo editus.* 185
Partitiones oratoriæ commendatæ. 187
recens editæ. 186
Orator Gallice verſus. 198 ſeq.
Clavicordium *ocularium inventum.* 482 ſeq.
De S. Cœna *qualis fuerit ſententia S. Ephræmi?* 102 ſeq.
Sermones S. Ephræmo abjudicati. 104 ſeq.
In S. Cœna *uſitata olim formula applicativa individualis illuſtrata.* 240
Colloredi (*Leandri*) *Cardinalis, vita deſcripta.* 193 ſeq.
Colorum *Muſica inventa,* 484
Cometa *olim diluvii prænuntius.* 214 ſeq. 502
aliquando judicio extremo præcurſurus. 215. 503
De Cometis *variæ variorum ſententiæ.* 499

De Comitibus *Palatinis Saxoniæ varia.* 28
Concentus *muſicos efficiendi genus novum deſcriptum.* 482 ſeq.
De Confeſſione *peccatorum monita ſalutaria.* 206 ſeq.
In Conſervandis *rebus a ſe creatis providentia Dei demonſtrata.* 303 ſeq
Corinthi *urbis antiquitates illuſtratæ.* 444 ſeq.
De Cornibus *maritorum jocus.* 175
Coronæ *olim in ſepulcra mortuorum afferri ſolitæ.* 99
Corporis *varia phænomena explicata.* 170
humani partium conſenſus demonſtratus. 313
theoria explicata. 317 ſeq.
Corporum *mundi totalium converſiones notatæ.* 362 ſeq.
S. Coſmæ, *Archiep. Africæ, vita & antiquiſſimus cultus deſcriptus.* 328 ſeq.
De Courayerii *Hiſtoria Concilii Tridentini judicium.* 3
Criniti *Reges Francorum ſtirpis Merovingicæ deſcripti.* 231 ſeq.
Groſæ (*Petr. Dan.*) *in refutandis Leibnitio & Popio imbecillitas notata.* 57 ſeq.

D.

Dani *de lingua Græca & Romana bene meriti.* 430 ſeq.
Davidis, *Hebræorum Regis, adverſus Bælium vindiciæ.* 82 ſeq.
Dei *exiſtentia adverſus atheos demonſtrata.* 9 ſeq. 293 ſeq.
ex motu corporum demonſtrata. 278 ſeq.
fines ſapientes in ejus operibus veſtigati. 63 ſeq.
verus cultus in quo conſiſtat? 221 ſeq.
eſſentia & attributa demonſtrata. 294 ſeq. 357 ſeq.
in rebus conſervandis providentia demonſtrata. 303 ſeq.
Deiſmus *debellatus.* 13 ſeq.
De Deo *doctrina per partes explicata.* 221 ſeq.
methodo demonſtrativa explicata. 291 ſeq.
Deorum *cultus profani origo.* 288
Diluvium *Nouchicum per Cometam prædictum.* 502

E.

Eccleſiæ *nomen an tantum competat Romanæ?* 152
Romanæ fundamenta ſiculnea. 345

Eloquentiæ *ſtudium commendatum.* 198 ſeq.
ſacræ præcepta tradita. 465 ſeq.
S. Ephræmus *an in doctrina de S. Cœna cum Lutheranis ſentiat?* 102 ſeq.
an vere ſcripſerit de S. Cœna Sermones? 104 ſeq.
S. Epiphanii *vita deſcripta.* 1 ſeq.
Ethica *methodo Wolffiana explicata.* 461 ſeq.
per proverbia explicata. 521 ſeq.
Etymologiæ *quædam ridiculæ.* 286
Euclidis *Elementa mathematica recens edita.* 517 ſeq.
Eugenii, *Principis Sabaudiæ, vita & expeditiones militares deſcriptæ.* 25

F.

Fabulæ *nonnullæ carmine decantatæ.* 373 ſeq.
Fabularum *in doctrina morali uſus.* 372 ſeq.
De Fide *doctrina ex mente Pontificiorum tradita.* 151 ſeq.
Flammæ *an in corpore generari poſſint?* 77 ſeq.
Fo, *Chinenſium impoſtor, quis fuerit?* 54 ſeq
Fœminarum *doctarum exempla* 436
Fœminas *quæ ſtudia ornent?* 437 ſeq.
Fœtuum *quadrimellorum per partum editorum exemplum.* 166
Francorum *reguli olim qui?* 36
Merovingicæ ſtirpis Reges criniti deſcripti. 229 ſeq.
De Francorum *prima patria controverſia.* 33 ſeq.

G.

Gallicam *linguam addiſcendi nova ratio monſtrata.* 123 ſeq.
Genealogia *ſacra Vet. Teſtamenti illuſtrata.* 337 ſeq.
Gentzkenii (*Frid.*) *Philoſophia ab Italo quodam impudentiſſime compilata.* 488 ſeq.
Geographiæ *novæ principia explicata.* 517
Geographicum *Dictionarium majus ſub judicium vocatum.* 189 ſeq.
Ex Glacie *domus integra conſtructa.* 409 ſeq.
Gottingenſis *Academiæ notitia literaria.* 126 ſeq.
Græcorum *hiſtoria unde addiſcenda?* 242
s' Graveſandii (*G. J.*) *in docenda Philoſophia methodus quæ?* 113

Gund-

Gundlingius (*Nic. Hier.*) *laudatus.* 44 seq.
Gustus *depravatior unde?* 175

H.

Hamburgensi *civitati an libertas olim vendita?* 42
Harderovici *urbis antiquitates descriptæ.* 195 seq.
Harmoniæ *præstabilitæ principium impugnatum.* 183
Hebraica *lingua per compendium tradita.* 48. 190 seq. *methodo philosophica explicata.* 84 seq. 230
Herodoti *versiones variæ sub judicium vocatæ.* 189
De Hieme *anni 1740 observationes meteorologicæ.* 219 seq.
Hiems *anni 1740 cum illa anni 1709 comparata.* 284 *accurate descripta.* 480
Hildesiensis *Historia variis erroribus a Laucnsteinio conspurcata.* 92 seq.
Historia *mundi generalis descripta.* 100 seq.
Historiæ *studium quomodo tractandum?* 242
Hominum *ortus demonstratus.* 542 seq.
Horatii *locus explicatus.* 287
Hungarorum *indoles & imperii forma descripta.* 322 seq.
Inter Hungaros *religio Christiana ministerio Ecclesiæ orientalis primum disseminata.* 236
Hydrops *pectoris unde?* 270 *quomodo curandus?* ibid.

I.

Japoniæ *regnum geographice descriptum.* 387 seq. *Imperatorum res gestæ descriptæ.* 388 seq. *regni singularia notata.* 394 seq.
De Ideis *sententia Platonis.* 201
Igne *concremetæ fœminæ singulare exemplum.* 75 seq.
De Imagunculis *Germanorum magicis, quas Alrunas vocant, singularia.* 325 seq.
Immortalitas *animæ ex Scriptura S. probata.* 237
Imperatoris *Romani electio & coronatio ex Jure publico illustrata.* 349
Immortalitatis *animæ humanæ demonstratio Reinbeckiana impugnata.* 181 seq.
Inflammationum *extraordinariarum exempla.* 175
Ingenio *quomodo in interpretatione Scripturæ S. utendum?* 544
Institutiones *Juris Justinianeæ explicatæ.* 408 seq.

Interpreti

Interpreti *Scripturæ S. leges præſcriptæ.* 277
quomodo ingenio utendum? 544
Inveniendi *ars explicata.* 416 ſeq.
Inveſtitura *per ſceptrum Feudis eccleſiaſticis & ſecularibus olim fuit communis.* 73
Jubilæorum *ſcholaſticorum hiſtoria deſcripta.* 137 ſeq.
Judæorum *ſtatus politicus ex Scriptura S. deſcriptus.* 147 ſeq.
Judicio *extremo profuſurus eſt cometa.* 503
Jureconſultorum *vitas deſcribendi inſtitutum.* 192
Juris *Canonici Inſtitutiones editæ.* 265 ſeq.
Jus *Naturæ methodo Wolffiana explicatum.* 461 ſeq.
Juſtificans *fides quæ ſit?* 346
Juſtitia *& veritas firmiſſima regnorum fundamenta.* 202

K.

S. Kiliani *Fratrum hiſtoria illuſtrata.* 284 ſeq.
Kohlius (*Jo.*) *refutatus.* 102 ſeq.

L.

Lauenſteinius (*Joach. Barward.*) *immodeſtus ſui defenſor.* 90 ſeq.
ejus in Hiſtoria Hildeſienſi errores notati. 92 ſeq.
Legendi *ars compendioſe tradita.* 120 ſeq.
Leges *quædam Romanæ explicatæ & illuſtratæ.* 107 ſeq.
Leibnitii (*G. G.*) *vita & in literas merita deſcripta.* 378 ſeq.
inventa mathematica & philoſophica deſcripta. 457
Leibnitius (*G. G.*) *a Croſa impugnatus.* 55 ſeq.
Lepra *qualis morbus?* 119
Libertas *hominis explicata.* 114
Lingua *quomodo perficienda?* 509 ſeq.
Linguæ *qualis in homine eſſe uſus debeat?* 509
Lithanthracum *hiſtoria naturalis.* 283
Logicæ *principia explicata.* 115
practicæ præcepta explicata. 355 ſeq. 416 ſeq.
theoria & praxis explicata. 416 ſeq.
præcepta inepte explicata. 488 ſeq.
univerſaliter demonſtratæ ſpecimen. 495 ſeq.
Ludorum *Olympicorum antiquitates illuſtratæ.* 246
Lutheri *verſio Nov. Teſtamenti aliis aliorum prælata.* 468

M.

Majeſtas *Ducibus Saxoniæ vindicata.* 429 ſeq.

De Magicis *Germanorum iunculis, quas Alrunas vocant, ſingularia.* 325 ſeq.

Majoris (*Eliæ*) *in Gymnaſium Wratislavienſe merita deſcripta.* 138

Jubilæum Rectorale deſcriptum. ibid

Maittairii (*Mich.*) *Annales typographici auctiores editi.* 49 ſeq.

De Malta, *Inſula, ſingularia.* 529 ſeq.

Mammarum *ductus lactiferi experimento novo confirmati.* 493 ſeq.

Mathematici *exſibilati.* 173

Medicæ *obſervationes collectæ.* 164 ſeq.

Medicina *forenſis illuſtrata.* 169

Medicorum *in Scripturam S. merita.* 116 ſeq.

Medorum *res antiquæ deſcriptæ.* 244 ſeq.

Mennonitarum *doctrinæ & ſtatus hodiernus.* 469 ſeq.

Metaphyſicæ *principia explicata.* 113 ſeq. 535

Methodiſtarum *hiſtoriam ſcribendi conſilium.* 382 ſeq.

Michaelis (*Chriſt. Bened.*) *in linguam Syrorum merita.* 143

Michaelis (*Chriſt. Bened.*) *opus novum promiſſum.* 144

Miraculorum *divinorum veritas demonſtrata.* 16 ſeq.

Miſſæ *nomen unde?* 156

Monaſterienſis *Epiſcopatus deſcriptio edita.* 404 ſeq.

Monaſterio *S. Roſaliæ Panormitano privilegium immediatæ ſubjectionis ſub Sede Apoſtolica vindicatum.* 212 ſeq.

Ex Motu *corporum Dei exiſtentia demonſtrata.* 278 ſeq.

Mundi *creatio & conſervatio divina demonſtrata.* 299 ſeq.

Mundus *an ſit æternus?* 227

Murariorum *liberorum ſocietatis quæ ſint leges?* 477 ſeq.

Muſica *vetus Davidica illuſtrata.* 210 ſeq.

Muſicos *concentus efficiendi genus novum deſcriptum.* 482

Mutæ *ac ſurdæ fœminæ, non indoctæ, exemplum.* 176

Mythologiæ *origo veſtigata.* 246

In Mytulis *venenum quale?* 492 ſeq.

N.

Neapolis (*Caroli*) *vita.* 97

Anaptyxis ad Faſtos Ovidianos cum additamentis Paleſii edita. 97 ſeq.

Nobili-

Nobilitatis *immediatæ Germaniæ origo vestigata.* 284
Numi *singulares, doctorum hominum & societatum honori dicati.* 126 seq.
vulgo dicti Gothici, Regibus crinitis Francorum vindicati. 232
De Numis *N. Testamenti varia.* 117

O.

Olympicorum *ludorum, & Olympiadum, antiquitates illustratæ.* 246
Ontologiæ *principia explicata.* 535
In Orationibus *sacris elegantiæ sermonis studendum.* 288
Origenianus *novis rationibus suffultus.* 158 seq.
Ovidii *loca nonnulla explicata & illustrata.* 98 seq.

P.

Palæstinæ *status hodiernus descriptus.* 140
De Palatinis *Comitibus Saxoniæ varia.* 28
Panther, *nomen, quid denotet?* 338
Paralysis *qualis morbus?* 120
Paulus *Apostolus an unquam in Hispaniam venerit?* 216 seq.
Pauw (*Guil.*) *laudatus.* 106 seq.
Peccatum *in Spiritum S. in quo consistat?* 238
Petri I, *Russorum Imperatoris, vita & res gestæ descriptæ.* 433 seq.
De S. Petro (*Franc. Ant.*) *vita & virtutes descriptæ.* 290 seq.
Petropolitanæ *Academiæ Cæsareæ ædificia descripta.* 481 seq.
Philosophia *Wolfiana per Epistolas explicata.* 455 seq.
Philosophiæ *Wolfianæ præcepta potiora explicata.* 179 seq.
inde ab antiquissimis temporibus historia illustrata. 349 seq. 451 seq.
Physices *elementa explicata.* 169 seq.
recentioris cum vetustiori convenientia. 272 seq.
præ vetustiori prærogativæ. 275 seq.
Pictorum *in rebus exprimendis varii errores notati.* 532 seq.
Plagiarii *exemplum.* 180
impudentissimi exemplum, vix unquam auditum. 487 seq.
Poetarum *nimia in fingendo licentia castigata.* 530 seq.
Pohlii (*Godofredi*) *in Gymnasium Wratislaviense merita.* 139
Jubilæum Prorectorale descriptum. 138

Polytheiſmus *debellatus.* 17 ſeq.
Popii *de Homine ſyſtema a Cauſa refutatum.* 55 ſeq.
Popularium *vox in lege Romana quid notet?* 106
De Principio *rationis ſufficientis judicium.* 183 ſeq.
Principium *rationis ſufficientis explicatum.* 300 ſeq.
De Probabilitate *doctrina explicata.* 419 ſeq.
Proverbia *quam in doctrina morali vim habeant?* 521 ſeq.
Providentia *Dei in conſervandis rebus demonſtrata.* 303 ſeq.

R.

Rampitzii, *præfecturæ, antiquitates illuſtratæ.* 512
Rationis *ſufficientis principium explicatum.* 300 ſeq.
De Rationis *ſufficientis principio judicium.* 183 ſeq.
Redemtionis *humanæ neceſſitas demonſtrata.* 426
Reinbeckius *a Klugio refutatus.* 181
Religionem *cognoſcendi & exercendi neceſſitas demonſtrata.* 202
Religionis *naturalis eſſentia demonſtrata.* 14 ſeq.
Revelationis *divinæ neceſſitas & veritas demonſtrata.* 15 ſeq.
Reuſchii (*Erhardi*) *vita & in literas merita deſcripta.* 329 ſeq.
Rollini *ſcripta paſſim emendata.* 188

S.

Sabbati *antiquitates illuſtratæ.* 366 ſeq.
rationes myſticæ indagatæ. 367 ſeq.
Sacchari *Saturni uſus internus ſalutaris.* 46 ſeq.
Salernitanæ *ſchola antiquitates illuſtratæ.* 79 ſeq.
libri ita dicti, hiſtoria literaria. 80
De Sanchoniathonis *Fragmento judicium.* 246 ſeq.
Sanguinis *circulatio explicata.* 320 ſeq.
Satisfactionis *Chriſti fundamentum & excellentia demonſtrata.* 420 ſeq.
Saxonicæ *ſuperioritatis territorialis primordia veſtigata.* 69 ſeq.
Saxonicum *Majeſtatis Sigillum illuſtratum.* 428 ſeq.
Per Sceptrum *inveſtituræ antiquitates illuſtratæ.* 73 ſeq.
Scholæ *Salernitanæ antiquitates illuſtratæ.* 79 ſeq.
Scriptura S. *a Medicis illuſtrata.* 117 ſeq.
quomodo interpretanda? 277

Scripturæ S. *textus an in locis nonnullis ſit depravatus?* 154
interpreti quomodo ingenio utendum? 544
qualis apud veteres Chriſtianos fuerit uſus? 546 ſeq.
loca nonnulla explicata, aut illuſtrata:
Gen. I. 543
28 ſeq. 509
II. 543
7. 183
16, 17. 509
23, 24. ibid.
III, 15. 155
IV, 3-5. 533
8. 89
VI, 12. 253
VII, 11. 215
VIII, 1. 502
21. 421
IX. 288
3. 252
4. 252. 253
6. 155. 253
25. 253
27. ibid.
X, 5. 253
XII, 3. 254
17 ſeq. 255
XIII. ibid.
XIV, 3. ibid.
5. ibid.
13. 509
Gen. XIV, 14. 255
18. 153
XV, 1-6. 256
10. ibid.
13. ibid.
16. ibid.
18. 142. 256
19-21. 256
XVI, 12. ibid.
XVII, 1. ibid.
5. ibid.
13. 205
XVIII, 1, 2. 206
14. ibid.
18, 19. ibid.
XX, 2. 257
16. ibid.
XXII, 2. ibid.
18. ibid.
XXIII, 2. ibid.
XXIV, 67. 204
XXV, 17. 258
XXVII, 15. ibid.
27. ibid.
XXXIV, 25. 204
XXXV, 21. 259
XXXVI, 33. ibid.
XXXVII, 29. ibid.
34. ibid.
XXXVIII, 18. 234
XXXIX, 14. 509
17. ibid.
XLI, 42. 234
XLVIII, 16. 155
XLIX, 10. 427
13. 88

INDEX

Exod. I, 15, 16. 509
19. ibid.
II, 0. ibid.
11. ibid.
13. ibid.
22. 154
III, 18. 509
V, 3. ibid.
VII, 16. 509
XII, 40. 256. 403
41. 256
XIII, 9, 10. 177
XV, 35. 148
XVIII, 13. 153
XX, 6. 155
XXXI, 15. 367
16. 205
XXXII, 13, 14. 155
32, 33. 420
XXXV, 22. 234
Levit. II, 9. 505
VII, 26. 253
XVI, 22. 89
XXIV, 8. 205
XXV. 401
XXVI, 46. 148
Num. XIII, 22. 258
33. ibid.
XV, 22. 543
XXI, 9. 234
Devt. VI. 347
XVI, 10. 156
XVII, 18. 148
XXI. 83
XXIX, 18. 208
22. 140
Devt. XXXI, 9. 148
24. ibid.
XXXII, 18. 505
20. 204
39. 183
43. 208
XXXIII, 18. 88
Jos. V, 9. 205
XII, 36. 154
XXI, 36, 37. ibid.
Judic. V, 20. 401. 402.
VI, VII. 16
1 Sam. VII, 2. 402
2 Sam. VII, 14. 505
1 Reg. IV, 1. 401
18. 153
29 seq. 353
VI, 1. 402. 403
VIII, 9. 364
XV, 3, 4. 155
2 Reg. IV, 5. 154
IX, 33. 89
XIII, 21. 234
XIV, 17. 402
XXII, 11. 149
XXIV, 15. 254
1 Par. V, 10 seq. 205
2 Par. V, 10. 364
XVII, 9. 149
XVIII, 2. 401
12. 89
XXV, 27. 402
Esr. VII, 6. 149
10. ibid.
Job. X, 8 - 12. 543

Job. XXXI, 26. 352
XXXIV, 10 *seq.* 402
XXXVII, 7. 177
XXXVIII, 21 *seq.* 402
28. 505
XL, 5 *seq.* 402
Ps. II. 203
7. 504. 552
XIV, 1-7. 477
XVII, 15. ibid.
XXIX, 1. 355
XXXVI, 7, 8. 307
XXXVIII, 45. 338
XL, 4. 160
9. 420
XLIV, 11, 12. 342
XLVII, 9. 152
LXVIII, 30. ibid.
LXXXVIII, 38. ibid.
XCV, 11. 367
XCVIII, 5. 155
6. 153
CIV. 253
27-29. 307
30. 543
CVII. 160
CXVI. 217
CXIX. 148
176. 477
CXXXVII, 2. 155
9. 89
CXXXIX, 13 *seq.* 543
CXLI, 6. 89
Prov. VIII, 22-31. 421
XIX, 14. 202
Eccles. II, 14. 151
Eccles. III, 18 *seq.* 183
Cant. VI, 8. 152
Es. III, 8. 203
V, 11. 468
VII, 8. 402
10. 192
IX, 2. 161
5. 204
XI. 217
3. 209
XIII, 10. 215
XXIV, 5. 205
22. 161
XXXVIII, 2. 287
XL, 1-5. 477
21. 505
XLI, 4. 543
XLIII, 7. ibid.
XLIV, 6. 264
XLV, 12. 543
20. 206
23. 161
LIII. 427
10. 204
LVII, 16. 162
20, 21. ibid.
LXI, 1. 504
8. 152
LXVI, 22, 23. 367
Jer. IX, 25, 26. 205
XIV, 7, 8. 141
XVII, 16. 287
XXV. 161
XXXI, 23, 24. 208
31, 32. 368
XXXII, 18. 155

Jer. LII, 31. 431
LIII, 8. 204
Thren. I, 12. 209
Ezech. I, 28. 253
XVI, 53. 161
55, 56. ibid.
XXI, 21. 352
XXXI, 2 *seq.* 245
XXXV. 161
XXXVI, 22-37. 208
XXXVII, 25, 26. ibid.
XXXIX, 29. 161
LIII. ibid.
Dan. II, 2. 351
4. 352
36. 152
44. ibid.
III, 19. 89
35. 155
VII, 8. 153
25. ibid.
VIII, 14. 503
IX. 401
24-27. 427
XI, 36. 153
XII, 11. ibid.
Hoſ. II, 19, 20. ibid.
Amoſ. V, 6. 502
8. 215. 402. 403
VI, 10. 512
IX, 14, 15. 208
Mich. VII, 18. 161
Nah. II, III. 245
Hagg. II, 7-10. 427
Zach. IV, 10. 204
XII, 1. 543
Malachi. II, 10. 543
Judith VII, 7. 255
X, 2, 3. 234
1 *Macc.* I, 16. 205
55. ibid.
VI, 15. 234
2 *Macc.* XIV, 44. 89
Matth. I, 18. 504. 505
20. 504. 505
II, 11. 148
16. 89
22, 23. 88
III, 4. 148
12. 152
IV, 2. 148
16. 101
23. 148
V, 13. 148
14. 152
17. 149
31. 541
36. 119
VI, 16. 540
22. 119
28. ibid.
VII, 6. 546
11. 119
16. ibid.
VIII, 2. 119
6. 119. 120
12. 120
14. ibid.
16. 148
IX, 12. 119
X, 2. 152
8. 541

Matth. XI, 5. 506
13. 208
XII, 23. 468
25. 152
31, 32. 238
40. 155
XIII, 10, 466
42. 120
47. 152
50. 120
54. 468
XIV, 2. ibid.
XV, 5. ibid.
XVI, 18-23. 152. 154
19. 154
XVIII. 471
7. 58
10. 155
17. 152. 153. 540
22. 152
XIX, 4. 543
XX, 28. 152
XXI, 28. ibid.
XXII, 13. 120
35. 148
XXIII, 35. 141
XXIV, 30. 215
38. 253
45. 152
XXV, 30. 120
XXVI, 24. 183
45. 468
XXVII, 42. 447
XXVIII, 1. 468
19. 546
Matth. XXVIII, 20. 23
Marc. I, 3, 4. 468
6. 118
30. 120
32. 118
III, 13-19. 539
20, 21. 468. 539
22. 539
28. 238
IV, 11, 12. 466
IX, 50. 118
XV, 25. 514
XVI, 17, 18. 142
Luc. I, 4. 155
33. 152
35. 504
48. 155
II, 14. 335
52. 66
III, 36. 513
38. 505. 543
IV, 2. 118
16. 88
18. 504
28-30. 87
38. 120
V, 18. 119
VI, 38. 505
44. 119
IX, 11, 12. 118
X, 16. 152
XI, 2. 119
14. 468
34. 119
42. 542
XII, 10. 238

Luc. XII, 27. 119
XIV, 34. 118
XV, 3 seq. 364
7. ibid.
10. 155
22. 234
XVI, 16. 541
25. 155
28. 208
XVII, 2 seq. 119
10. 347
XXI, 25, 26. 215
XXII, 25, 26. 153
XXIV, 24. 540
Jo. I, 1. 261. 264.
3. 421
29. 466
48. 86
II, 22. 153
V, 18. 154
22. ibid.
39. ibid.
43. 153
VI, 59. 155
62. 262
63. 345
VII, 19. 149
VIII. 19
6-8. 539
25. 364
56. 155. 206
58. 262
59. 90. 540
X, 16. 152
35. 154
XII, 36. 506
XIV, 12. 364. 365
13. 152
16. ibid.
26. ibid.
XV, 27. 155
XVI, 7. 552
XVII, 3. 151
5. 261. 421
20, 21. 152
XVIII, 36. 153
XIX, 14. 513
XX, 21. 154
23. 154. 155
XXI, 15-17. 152
Act. I, 16. 154
20. 152
II, 2. 540
3. 510
16 seq. 215
38. 155
III. 159
IV, 24. 543
VII, 8. 540
53. 364
VIII, 17. 155
IX, 3-6. 85
7. ibid.
33. 119
X, 38. 504
XII, 15. 155
XIII, 2. 506
XIV, 1. 540
15. 543
22. 154
XVII, 24. 543
26. ibid.

Act. XVII, 28. 307-543
33. 540
XVIII, 17. 446
18. 444
27. ibid.
XIX, 2. 234
15. 142
XXII, 9. 85
16. 155
XXVI, 16. 85
XXVII, 44. 540
XXVIII, 14. ibid.
Rom. I, 4. 424
8. 153
12. Ibid.
16. 547
III, 20. 347
23. 365
24-26. 423
IV, 3. 346
5. 347
11. 346
V, 2. 364. 365
11, 12. 540
13. 541. 545
14. 541
17 seq. 159
VI, 4-6. 205
VII, 1. 364
25. 545
VIII, 11. 424
19. 367
22. 466
IX, 3. 424
X, 8. 151
17. 152
Rom. XI. 207
26. 540
32. 159
XII, 5. 152
XIV, 10. 514
XV, 24. 216. 217
28. 216
XVI, 17, 18. 151
1 Cor. I, 10. ibid.
12. 445
24. 68
II, 1. 447
3. 448
5. ibid.
13. ibid.
III, 5. ibid.
6. 444. 448
IV, 3. 448
9. 155
21. 154
V. 216
1. 446. 448
3. 154. 448
4. 154
5. 154. 447
8. 448
9. 448. 449
11. 448. 449
12. 154. 448
13. 447. 448
14-16. 448
17. 447. 448
18, 19. 448
20, 21. 447. 448
VI, 2. 449
20. 68

1 Cor. VII, 21. 449
36. 540
VIII, 6. 421
IX, 15. 449
20. ibid.
26. ibid.
X, 2. ibid.
11. 152
17. ibid.
XI, 1, 2. 445
3, 4. 445. 450
5, 6. 445
7. 155. 445
8, 9. 445
10. 445. 450
11-23. 445
24. 514
28. 540
29. 152
XII, 1-3. 450
9, 10. ibid.
16. 152
21. ibid.
27. ibid.
28. 450
30. ibid.
XIII. 346
12. 155
13. 151
XIV, 25. 540
29. 450
XV, 9. 448
12. ibid.
22. 159
24. 506
28. 504. 505
1 Cor. XV, 29. 288. 450
32. 451
36 seq. 65
42. ibid
XVI, 8. 445
17. ibid.
2 Cor. I, 21. 155
V, 3. 514
VIII, 9. 261. 262
IX, 5. 540
XIII, 2. 154
10. ibid.
Gal. III, 9, 10. 347
17. 403
IV, 4, 5. 423
VI, 2. 540
Eph. I, 17. 277
II, 5. 347
16. 152
III, 9. 421
12. 151
IV, 3. 152
4, 5. 151. 152
8. 155
11. 152
13. 277
V, 9. 514
26. 155
Phil. II, 6. 154. 261
7, 8. 261
9. 155. 159. 505. 506
10. 159
Col. I, 13. 421
15, 16. ibid.
II, 2. 277

Col. II, 9. 504
11, 12. 205
16, 17. 368
18. 335
III, 10. 277
11. 421
1 Theſſ. IV, 17. 540
V, 5. ibid.
2 Theſſ. II, 3. 153
8. ibid.
10. ibid.
1 Tim. I, 16. 208
20. 154
II, 13. 543
III, 13. 151
16. 424. 514
IV, 3. 151
V, 21. 155
2 Tim. I, 6. ibid.
IV, 17. 217
Tit. I, 5. 154. 277
6, 7. 278
14. ibid.
II, 10. ibid.
Philem. v. 18, 19. 420
1 Petr. I, 25. 154
III, 18. 424
19. 155
2 Petr. I, 3. 506
21. 154
1 Jo. II, 27. 155
III, 2. ibid.
8. 162
9. 545
IV, 6. 152
12. 506
1 Jo. V, 5. 151
6. 466
16. 238
Ebr. I, 2. 421
3. 153. 307
5. 505
II, 9. 264
16. ibid.
17, 18. 66
IV, 4, 5. 368
10. ibid.
15. 66
V, 1. 506
5. 505
9. 506
VI, 4-6. 238
15. 540
VII, 2. 153
3. 153. 505.
20, 21. 364
IX, 4. ibid.
24-28. 67
X, 26-29. 238
XI, 1. 151. 277
3. 151
16. 365
40. 364. 365
XII, 23. 364. 365
XIII, 8. 504
9. 67
Jac. I. 353
II, 2. 234
V, 15. 155
Apoc. I, 10. 368
II, 20. 251
26. 155

Apoc. III, 16. 142
IV, 3. 253
11. 543
V, 1 *ſeq.* 551
6. 204
9. 550
10. 155
12. 543
VI, 12, 13. 215
VIII. 82
7. 249. 251
8. 249
10. ibid.
12. ibid.
IX. 82. 249
1. 249
13. ibid.
20. ibid.
X. 82. 249
11. 249
XI. 82. 155. 249
2, 3. 153
5. 540
8. 250
XII. 82
1, 2. 550
6. 249
7 *ſeq.* 364
11. 366
12. 249
14. 250
XIII. 82
1. 249
5. ibid.
7. 249. 250
8, 9. 250
Apoc. XIII, 15. 153
18. ibid.
XIV. 82
6. 249. 250
7. 543
8. 250
9-11. 248
XV, XVI. 82
XVII. ibid.
8. 250
10. ibid.
XIX. 82. 155
20. 153
XX. 82
XXI. 82. 249
XXII. 82. 249
18, 19. 151
Secundinarum *in corpus, & corporis in ſecundinas, actio ſympathica.* 167 ſeq.
Seidelii *in Gymnaſium Wratiſlavienſe merita.* 137
Jubilæum Conrectorale deſcriptum. ibid.
Separatiſmi *natura & indoles deſcripta.* 545 ſeq.
Septuagintaviralis *verſio cur ſæpe a textu originali diſcrepet?* 515 ſeq.
Siberi (*Urbani Godofr.*) *vita & in literas merita.* 525 ſeq.
Siderum *cæleſtium variæ mutationes notatæ & explicatæ.* 362 ſeq.
Sigillum *Majeſtatis Saxonicum illuſtratum.* 428 ſeq.

Sirenes

Sirenes *in mari exiſtere, demonſtratum.* 174
Smalcaldici *belli hiſtoria illuſtrata.* 396 ſeq.
Smiglæ *urbis hiſtoria illuſtrata.* 309
incolæ plures Ariani. ibid.
De Spiritu *S. an inter paganos conſtiterit?* 287
In Spiritu *S. peccatum in quo conſiſtat?* 238 ſeq.
Stationarii *milites in lege Romana qui ſint?* 107
Stili *accurationi quomodo ſtudendum?* 285 ſeq.
Suffragiorum *jus in quo conſiſtat?* 523
Reipublicæ Auguſtanæ competit. 524
Superioritatis *territorialis Saxonicæ primordia veſtigata.* 69 ſeq.
Syriacæ *linguæ præcepta tradita.* 142 ſeq.

T.

Tacitus (*C. Corn.*) *de Moribus Germanorum recens editus.* 377 ſeq.
De Taciti (*C. Corn.*) *ſcriptis & ſtilo varia.* 375 ſeq.
Tartarorum *Hiſtoria eccleſiaſtica deſcripta.* 49 ſeq.
Telluris *figura determinata.* 413 ſeq.
N. Teſtamenti *Codices MSti duo deſcripti.* 513 ſeq.
Teuto, *vox, quid notet?* 30
Thebanorum *res antiquæ deſcriptæ.* 245 ſeq.
Theologia *naturalis methodo demonſtrativa explicata.* 291 ſeq.
Torgavienſis *libri hiſtoria illuſtrata.* 311 ſeq.
Transſubſtantiationis *dogma an ex S. Ephræmo ſtabiliri poſſit?* 105 ſeq.
Typographicæ *artis origo & progreſſus deſcripti.* 131 ſeq.
Typographici *Annales collecti.* 49 ſeq.
Typographorum *doctorum notitia literaria.* 135
munus & officia deſcripta. 135 ſeq.

V.

De Vampyris *judicium.* 172
Venedorum *reliquiæ paſſim obviæ.* 512
Ventriculi *cum omnibus corporis humani partibus conſenſus demonſtratus.* 315
Veſuvii *incendio exæſtuantis hiſtoria.* 360 ſeq.
Vexilli *qualis olim in inveſtitura Feudorum eccleſiaſticorum uſus fuerit?* 74 ſeq.

Vicariorum *Imperii Germanici jura illuſtrata.* 348
Villicus *cur a Juvenale Præfectus urbi dicatur?* 107
Virideti *de Chylo liber laudatus.* 112
Voigtlandiæ *memorabilia ſubterranea deſcripta.* 506 ſeq.
Vulneris *lethalitas an ex ſubſecuta morte judicari poſſit?* 168 ſeq.

W.

Weſtphalica *hiſtoria illuſtrata.* 405 ſeq.
Weſtphalicæ *Nobilitatis album gentile editum.* 407
Wirciburgenſi *Epiſcopo titulus Ducis Franciæ orientalis vindicatus.* 36 ſeq.
Wirciburgicorum *Epiſcoporum vitæ illuſtratæ.* 285
Wolfiana *Philoſophia per epiſtolas explicata.* 455 ſeq.
inventa deſcripta: 457
de Deo & mundo præcepta explicata. 458 ſeq.
De Wrisberg (*Chriſtophori*) *Ducis bellici, res geſtæ deſcriptæ.* 395 ſeq.

Z.

Zornius (*Petrus*) *laudatus.* 552
ejus ſcripta varia promiſſa. ibid.

Errores operarum hi ſunt emendandi: *Pag. 76 lin. penult.* pro *habitus* leg. *halitus*; *pag. 78 lin. 22* pro *Salernitata* leg. *Salernitana*; *pag. 107 lin. 6* pro *lgum* leg. *legum.*

ENDE